1577

NAZIONALE
8
2 — C
23
ROMA
VITT. EMANUELE

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

33.7.35
33
A
35
33-A-31

Collect

Exiur

Prob

Interp

Ex pri
Fr. Pr

Confi

Confi

8.32.C.23

DE OFFICIO SACERDOTIS CHRISTO SVMMO, ET ÆTERNO SACERDOTI, ET EIVS IN TERRIS VICARIO.

TOMVS PRIMVS.

Auctore Coſmo Philiarco Piſtorienſi, Canonico, & Theologo Florentino.

CVM DVPLICI INDICE.

·L· ·A·

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, APVD IVNTAS.
M. D. XCVII.

DE OFFICIO SACERDOTIS CHRISTO SVMMO, ET ÆTERNO SACERDOTI, ET EIVS IN TERRIS VICARIO.

TOMVS PRIMVS.

Auctore Coſimo Philiarco Piſtorienſi, Canonico, & Theologo Florentino.

CVM DVPLICI INDICE.

VENETIIS, APVD IVNTAS.

M. D. XCVII.

SIXTVS PP. V.

Dilecto filio Coſmo Philiarco, Clerico Piſtorienſi, Canonico, & Theologo Florentino, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum, ſicut accepimus, tu librum, ſeu tractatum tuum quendam latinum, qui inſcribitur de Officio Sacerdotis, & pro communi, & publica omnium utilitate illum in duos Tomos imprimi facere ceperis, ſeu intendas, tamen quia in aliorum librorum impræſsione multum impēdiſti, & in hoc tractatu impendere debes, æquum ſit, vt tibi, tuæq; indemnitati aliqua ratione opportune conſulamus. Iccirco tibi in præmiſsis prouidere, teq; ſpecialis fauore gratiæ proſequi volentes, Motu proprio, non ad tuam, uel alicuius pro te nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam; ſed ex mera liberalitate, & ex certa ſcientia noſtris. Tibi, vt tractatus de Officio Sacerdotis prædictus per Decem annos à nemine ſine tui, vel hæredum, & ſucceſſorum tuorum licentia imprimi, aut ab alijs uendi, ſeu in eorum apothecis, ſeu aliàs venalis præterquam à te, vt præfertur impræſſus, vel imprimendus teneri poſsit Apoſtolica auctoritate per præſentes concedimus, & indulgemus, Inhibentes omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, tam in Italia, quam extra eam exiſtentibus, præſertim Bibliopolis, & librorum impræſſoribus ſub excommunicationis latæ ſententiæ; in terris uero Sanctæ Romanæ Eccleſiæ mediatè, uel immediate ſubiectis etiam quingentorum ducatorum auri, Cameræ Apoſtolicæ applicandorum, & inſuper amiſsionis librorum pœnis toties ipſo facto, & abſq; alia declaratione incurrendis, quoties contrauentum fuerit, ne intra Decem annos prædictum tractatum de Officio Sacerdotis per te, ſeu de tuo ordine imprimendum abſq; expræſſa tui, uel hæredum, & ſucceſſorum prædictorum licētia dictis decem annis durantibus imprimere, ſeu ab ipſis, vel alijs, præterquam à te, vel hæredibus, & ſucceſſoribus ciſdem impræſſum, & imprimendum vendere, ſeu venalem habere, vel proponere; aut illum, ut ſupra habere audeant, vel præſumant. Mandantes vniuerſis venerabilibus fratribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, eorumq; Vicarijs in ſpiritualibus generalibus, & in ſtatu temporali S. Romanæ Eccleſiæ etiam Legatis, Vicelegatis

Sedis Apoſtolicæ, ac ipſius ſtatus Gubernatoribus, ut quoties pro parte tua fuerint requiſiti, uel eorum aliquis fuerit requiſitus, tibi, ac hæredibus, & ſucceſſoribus prædictis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtentes præmiſſa ad omnem requiſitionem tuam contra inobedientes, & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas etiam illas ſæpius aggrauando, & per alia iuris remedia auctoritate noſtra exequantur, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, etiam Motu ſimili, etiam conſiſtorialiter, uel aliàs quomodolibet in contrarium conceſsis. Quibus omnibus, etiam ſi de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expræſſa, ac de verbo ad uerbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac uice duntaxat ſpecialiter, & expræſsè pari Motu derogamus contrarijs quibuſcumque. Et inſuper quia difficile admodum eſſet præſentes ad quemlibet locum deferri, volumus quo ad cõceſsionem prohibitionem, ac inbibitionem, ac alia huiuſmodi attinentia credidebat præſentium exemplo in ipſis libris imprimendo. Dat. Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris. Die octaua Februarij. 1589. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

I. Ang. Papius

A. Rudoffius.

FERDINANDVS MEDICES CARD. *Dei gratia Etruriæ Magnus Dux III. Florentiæ, & Senarum Dux IIII. Portus Ferrarij in Ilua inſula, Caſtilionis piſcariæ, & Igilij inſulæ Dominus, &c. Sacræ Militiæ Sancti Stephani Magnus Magiſter, &c. Vniuerſis, & ſingulis impreſſoribus Typographis, Bibliopolis, & huiuſmodi negociatoribus Ditiones noſtras habitantibus, & frequentantibus, & ipsorum cuilibet edicimus, & prohibemus, ne proximo ab hinc ſexennio infraſcriptum laudabile opus, titulo* De Officio *Sacerdotis à Reu. Sacræ Theologiæ Doctore Coſmo Filiarco compoſitum, cura, & induſtria Antonij Patauinij Florentiæ impreſſum, ſeu imprimendum ſine ipſius Filiarchi conſenſu, & voluntate, in Dominijs noſtris imprimere, aut alibi impraſſum uenale habere audeant, ſub pœna pro quolibet volumine Quinquaginta aureorum, & amiſſionis librorum cuicumq; contrafecerit, ipſò iure imponenda, Cuius altera pars ſupradicto Filiarco, altera uerò Fiſco noſtro* Ducali, *ipſo iure acquiratur. Contrarijs quibuſcumque non obſtantibus.* In *quorum fidem præſens diploma ab infraſcritto Secretario, & Auditore noſtro exaratum, & ſigilli noſtri appenſione munitum, manu noſtra firmauimus.* Datum *Florentiæ* Die 30. *Iunij. Anno Salutiferæ Incarnationis* Domini. 1588. Magni *Noſtri* Ducatus *Etruriæ, aliorumque* Ducatum primo.

F. Card. Gran Duca di Toſcana.

Vidit Io. Bapt. Concinus.

Ad mandatum Sereniſsimi Card. Magni Ducis.

Iac. Danius.

* 3 CHRI-

CHRISTO SVMMO, ET AETERNO SACERDOTI.

Coſmus Philiarcus, peccator, & indignus Sacerdos.

PRo Animarum noſtrarum ſalute, quas tuo precioſiſsimo ſanguine redemiſti, non ſolum dediſti legem, Sacramenta, gratiam, qua nos iuſtificas, innumera auxilia, tam interiora, quam externa, præueniendo, concomitando, ſubſequendo, cuncta externa ſalubriter diſponendo, & non ſolum delegando Angelos ad cuſtodiam noſtram, ſed etiã aliquos ex nobis, qui noſtri curam, & in ſpiritualibus, & temporalibus gererent, & vnicuique etiam mandaſti de proximo ſuo; & quæ uni concedis, ut miniſtro, & diſpenſatori, in aliorum etiam vtilitatem illi concedis, ut nullum poſsit eſſe, aut excogitari auxilij genus, quod nobis ſemper ſingulis horis, & momentis non conceſſeris, & concedas, à quo omnia

bona

bona procedunt,quę in nobis ſunt, & à nobis fiunt; nec alius unquam debet eſſe noſter ſcopus,& finis,quam tua gloria,& animarum, tum noſtrarum, tum etiam proximorũ noſtrorum ſalus. Quod ego agnoſcens,quicquid veri in hoc meo tractatu dixi,te inſpirante didiciſſe confiteor, ſi quid autem in eo eſt falſi, ignorantiæ, & temeritati meæ aſcribo, pro qua humiliter ueniam peto,& à quocunque doceri expoſco. Et ſicut nullus alius mihi fuit,aut eſt Scopus,quã tuus honor, & gloria,& animarum ſalus, ita etiam illum tibi dicare,tuæq; protectioni committere volui, ut quę de tua manu accepi,reddam tibi,pro quo hoc ſuppliciter expoſco, ut ueritas quam docendo expoſui, non ſit mihi ad iudicium, & condemnationem, ſi dictis opera mea non reſpendent. Tolle obſecro à me omnem humanum affectum, & cor meum à peccatis emunda,tuoque reple amore,ut te ſolum Deum verum,ſemper diligere, tibique ſeruire ualeam. Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſeculorum. Amen.

S.D.N.D. SIXTO V.
Pont. Opt. Max.

CHRISTO, ſimul, & Tibi, Pater Sancte, hunc Tractatum de Officio Sacerdotis dicaui; Chriſto quidem, quia ipſe ſolus, verè omnium bonorum auctor, defenſor, & remunerator eſt: cuius honor, & gloria, ab omnibus, in omnibus ſemper quærenda eſt. Tibi autem Beatiſſime Pater, quia cum ſis eius in terris Vicarius, tuum eſt errata corrigere, vera tueri, & à calumnijs innocentes defendere; Nam nos ad æternam ſalutem conſequendam, per ſe quidem interius, dirigit Chriſtus, intellectum illuſtrando, & uoluntatem inclinando; per te autem exterius docendo, confirmando, diſponendo, & corrigendo. Et verè totum ſtudium tuum, in hoc poſitum uidetur, nam ut omittam tot pyramides iacentes prope præcipua Vrbis templa erectas: tantam aquæ vim, ad conſtruendos, plurimos per multa

vr-

vrbis loca fontes,deductam : tot rectas,& latas vias munitas,tot inſignia ædificia extructa , et in ijs nobile illud xenodochium proxime xyſti pontem ad alendos egenos , à fundamentis erectum,pluraq; alia ad Vrbis magnificentiam, et decorem, & ad ciuium commoditatem à te confecta,ad ea, quæ ad propoſitum noſtrum, hoc eſt ad corrigendos mores pertinent,deueniam. Tu Beatiſsime Pater, qui prius faciendo, & docendo,uitia ex aliorum pectoribus euellere ſtudebas:nunc in ſuprema iſta poteſtate locatus, atq; ad altitudinem cælo proximam euectus, præcipiendo, & meritas pœnas imponendo, flagitia inſectaris,atq; ex hominum animis penitus propellere conaris : vt apertè oſtendunt pœnæ grauiſsimæ irrogatæ exulibus,ac latronibus, eiſque fauentibus,item adulteris, inceſtuoſis, abortum prouocantibus,alijsq; alia ſcelera patrantibus . Vere dici poteſt aureum,ac felix ſeculum,à Felice conſtitutum. Tu autem Pater Sancte vitia extirpando, latrones depellendo, penuriam remouendo,iuſtitiam æqua lance adminiſtrando, & tenuem Eccleſiæ cenſum augendo, bona omnia aduexiſti, & mala omnia propulſaſti: Quare omnes Tuæ Sanctitati longam ac feli-

cem

cem vitam ad plura, præclaraque opera perficienda à Deo Opt. Max. precantur, quod vt concedat vehementer opto. Florentiæ die 11. Martij. M. D. LXXXIX.

Ad Sanctiſsimos Pedes T. B. Subſtratus

Humillimus ſeruulus

Coſmus Philiarchus.

MO.   MO.

ILLVSTR. ET REVER. DOMINO, D. ALEXANDRO PERETTO S. R. E. CARDINALI MONTALTO.

Coſmus Philiarcus. S. P D.

CVm poſt Chriſtum Sanctiſſimo D. N. Sixto V. meum hunc tractatum dicauerim: vt ad tantum Pontificem, facilior ei ſit aditus, eoq; gratior illi eſſet; tibi etiam Illuſtriſsime Domine, eum commendare ſtatui; tum quia nemo eſt Summo Pontifici carior, qui efficere poſſit, vt eum in ſuam tutelam ſuſcipiat; tum etiã, quia vt in famulorum, ac domeſticorum tuorum numerum, me aſcribere digneris, vehementer exopto. Si enim me tuo patrocinio defenderis, à maleuolis, atq; iniquis me tutum fore confido. Vt autem inſtituti mei rationem in hoc meo tractatu reddam, Anno 1576. libellum quendam Manuale Sacerdotum inſcriptum in lucem edidi, & in eo pollicitus ſum quandam Summam. Sed cum ſtatim Florentiam veniſsem, propter quotidianas, & Chori, & mearum lectionum occupationes, aduerſa ſemper valetudine laborans; tantum abfuit, vt eam Summam incipere potuerim, vt de illa ne cogitare quidem fere vnquam licuerit. Nunc autem valetudine aliquanto firmiore vtens, hoc opus aggreſſus ſum, & vt id citius in lucem prodiret, extremam in eo manum expectare nolui, ſed illud dum imprimebatur, curſim, & veluti ſumptis calcaribus, componebam. Hanc vero meam in componendo velocitatem, quæ ad minorem illius exiſtimationem pertinere deberet; ſpero, & illud illuſtrius reddituram, & fructus vberiores allaturam. Primo enim Manuale meum hoc opere augendum aſſumpſi, tum vt promiſſioni meæ, aliqua ex parte ſatisfacerem, id enim multis gratum eſſe intellexi, tum quia ad plenam Sacerdotis inſtructionem methodus illa aptiſſima mihi viſa eſt. Deinde breuitati ſtudens, ea quæ ſunt facillima, & paſſim ſciuntur, atque ab omnibus reperiri poſſunt, vel omiſi, vel leuiter tetigi, & in illis ſolis ſum immoratus, quæ aliquam difficultatem præ ſe ferebant, pro vt res ipſa exigere videbatur. Auctorum citationes non neceſſarias conſultò prætermiſi, nam vbi rationibus agitur, in illis inſiſto; vbi ſacris canonibus, determinationes adduco: vbi res dubia eſt, ſolos pręcipuos Doctores, & Magiſtros cito: ex quibus intelligitur di-

ſcipu-

ſcipulorum caterua. Multa etiam citationes, cum earum cumulus quęritur, confuſionem parere ſolent: & pleræque ex illis parum ad rem faciunt: quamobrem paucas illas, quas adduxi, in margine notaui. Addo etiam, quia quando rem plene, vel quantum ſatis eſſet, me explicuiſſe, & probaſſe iudicaui; alios qui de ea re ſcripſerunt, legere non curaui, ne mens ſcribendi curſus retardaretur. Quod autem Doctores graues, vt Angelicum, contraria ſentientes citauerim, ideo feci, ne illorum mihi obijceretur auctoritas, quaſi ſi illos legiſſem, cum ipſis fortaſſe ſenſiſſem. Ex quibus Illuſtriſſime Domine, facile intelliges per hanc methodum breuiſſimo temporis ſpatio, multa poſſe addiſci; & quæ multorum etiam dierum lectione, apud alios addiſcenda eſſent paucis hic horis, & copioſius, & facilius ita percipi poſſe, vt etiam earum perfecta ratio, & contrariorum argumentorum ſolutio reddi poſſit: nam breuitati operam dans, ita ſæpe contraria argumenta omiſi, vt poſuerim, quæ ad illorum ſolutionem pertinent. Quamobrem, licet ſis ſummis, & innumeris negocijs ſemper occupatiſſimus, ſi tamen in hac tua iuuenili ætate, vnicam diei horam animum ſtudijs applicueris, vtens Doctore aliquo erudito, qui ſimili breuitate, & profunditate doctrinæ, ordine, & dicendi facilitate, res tibi explicet, breui ad ſummam eruditionem peruenies. Cuius rei nunc indicium tibi erit, hic primus huius operis tomus. Nam ſecundum, qui illam caſuum conſcientię partem, que ad Auaritiam, & ad Septimum Decalogi Præceptum pertinet, & pręcipua Chriſtiane Religionis myſteria continebit, propter infirmam valetudinem, & quotidianas occupationes differre cogor: ſed breui (Deo fauente) in lucem edam: & operam dabo, vt ſimili methodo, præcipuas Theologicas difficultates tractem: vt aliquando tibi Illuſtriſſime Domine, vſui eſſe poſſit. Et ſi per occupationes, & valetudinem liceret, eadem breuitate, & methodo, vniuerſam Logicam, Philoſophiam, & Theologiam, vt tibi primum, deinde cæteris rem gratam, & vtilem facerem, breuiter perſtringere vellem, ſed cum deficiant vires, deditiſſimum tibi Coſmum agnoſce, Deum precor, vt incolumen te, ac omnes tuos, in omni fælicitate quamdiutiſſime conſeruet. Florentiæ Die 11. Martij. M. D. LXXXIX.

DE OFFICIO SACERDOTIS

CHRISTO SVMMO SACERDOTI, ET EIVS IN TERRIS VICARIO

Auctore

COSMO PHILIARCO PISTORIENSI CANONICO ET THEOLOGO FLORENTINO.

PRIMA PARS.

SACERDOTIS officium circa tria præcipuè verſatur, primo circa diuinorum celebrationē, vt ſuis orationibus, & Sacrificijs Deo debitas laudes perſoluat, eumque peccatoribus propitium reddat. 2. Circa Sacramentorum adminiſtrationē. 3. Circa populi inſtructionem, viam ad æternam beatitudinem perueniendi, exemplo, & verbis hominibus oſtendēdo; quãuis hæc duo poſteriora ad eos pertineant, qui habent animarum curam: De quibus ſingulis ad Dei honorem, & laudem, & pro animarum ſalute tractare intendimus, idque ſumma breuitate, nam ea quę faciliora ſunt, & paſſim ſciuntur relinquemus, vel leuiter attingemus, & rebus dumtaxat præcipuis, & difficilioribus inſiſtemus.

Triplex Sacerdotis officium.

Totius operis diuiſio.

PRIMA PARS.

De primo Sacerdotis munere, quod circa Diuinorum celebrationem verſatur.

Primę partis diuiſio.

SICVT triplex eſt Sacerdotis officium, ita etiam hic noſter tractatus in tres præcipuas partes diuiditur, & hæc prima pars quatuor libros continet. Primus eſt de Horis Canonicis. 2. de Sacrificio Miſſæ, & quia celebrans nulla debet eſſe Eccleſiaſtica cenſura irretitus. 3. eſt de excommunicatione. 4. de reliquis cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis.

LIBER PRIMVS.

De Horis Canonicis.

Quid & quot ſint Horæ Canonicæ. *Cap. I.*

Tur. Cre. d. 91. c. qui autem q. 1.

Nauar. de Hor. can. ca. 7. n. 1.

HOræ Canonicæ ſunt, oratio publica ſub certo numero pſalmorum, lectionum, & aliorum huiuſmodi, a Sanctis Patribus ad laudem Dei ordinata, & per ſeptem congruentes horas diſtributa. Dicuntur autem Horæ, non ab oro oras, ſed ab hora horę, quia certis horis ſunt deputatæ, à quibus etiam nomina ſumpſere, & dicuntur Canonicę ſiue regulares, quia à ſacris canonibus ſunt inuentæ, & Canonum virtute illas recitare tenemur, dicuntur etiam vigiliæ, quia (vt inquit Abbas) in eis dicendis debent clerici vigilare.

Abb. c. 1. de celebr. Miſ.

Communiter diuiduntur in ſeptem horas. ſ. Matutinam, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſpertinam & Completorium. iuxta illud pſalmi, Septies in die laudem dixi tibi, & iuxta ſeptem in eis repræſentata, mundi. ſ. creationem, quę ſeptem diebus cōpleta fuit, & hominis redemptionem, ſeptem præcipuis myſterijs conſum-

Tur. Cre. d. 91. cap. Pręsbiter.

conſummatã, de qua ſunt illi quinque ſenarij memoria digni, à Gloſa Citati.

Hæc ſunt ſeptenis propter quæ pſallimus horis.
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat,
Prima replet Sputis, cauſam dat tertia mortis,
Sexta Cruci nectit, Latus eius Nona bipartit.
Veſpera deponit, tumulo Completa reponit.

Glo. ca. 1. de celeb. Miſ.

Alij dicunt eſſe octo horas canonicas, diſtinguentes Matutinum à Laudibus, tum quia Dauid non ſolum ait Septies in die laudem dixi tibi, ſed etiam Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, tum etiam quia Concilium Agatenſe, & habetur cap. 1. de Celeb. Miſ. id ſignificare videtur, quatenus inquit Matutinam, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperam, & Completorium, diſtingui à nocturno officio, de quo intelligitur illud, Media nocte ſurgebam &c. Vbi per Matutinam Orationem, videtur intelligere laudes, per nocturnam verò, Matutinum in nocturnos diſtinctum, qui durat vſque ad Laudes, pro quo facit, quod poſt Matutinum ante Laudes in nocte Natiuitatis Domini, cantatur Miſſa, & quod in multis locis in diebus ſolennioribus ad Laudes pulſantur campanæ, & quod Laudes incipiunt per Deus in adiutorium &c. & habent proprium hymnum, ut aliæ horæ. Vtraque diſtinctio eſt probabilis, hæc ſecunda multas pro ſe habet rationes, prima verò eſt communior, & communiter dicuntur ſeptem horæ. Illa Pſalmi auctoritas vtriq; diſtinctioni aptari poteſt, ſecundæ quidem, ut nox diſtinguatur à die, & ſic ſunt octo; primæ vero iuxta Abbatẽ, vt cum dicit Septies in die laudẽ, &c. loquatur de die naturali. 24. horarum, cum autem dicit Media nocte ſurgebam, &c. diſtinguat ipſas horas in diem artificialem, & noctem.

Archid. in ca. Presbiter diſ. 91. S. Ant. 2 p tit. 9. c. 12. §. 1. Nauar. de Hor. Can. c. 3. n. 17.

Abb. de cel Miſ. c. 1.

Qui teneantur recitare horas Canonicas, & vbi habeatur hæc obligatio. Cap. II.

QVatuor ſunt cauſæ obligantes ad horas canonicas. ſ. Ordo ſacer, Beneficium, Profeſſio, & votum, tenentur ergo primo eas recitare omnes illi qui ad ſacros ordines ſunt promoti, etiam ſi nullum habeant beneficium. 2. Illi etiam omnes qui habent beneficium eccleſiaſticum, etiam ſi ſacris ordinibus non ſint initiati. 3. Omnes Religioſi profeſſi, qui ſunt religioſi vt clerici, & non vt ad of-

Cauſæ obligantes ad horas.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta. ficia laicalia inſeruientes. Alij verò non tenentur, niſi ad id peculiari voto ſe aſtrinxerint.

De prima earum inſtitutione

Quando autem horæ Canonicę fuerint præceptæ, nullibi habetur, nam canones, qui de illis loquuntur, non illas præcipiunt, ſed obligationem illas recitandi, vt antiquam ſupponunt. Et de ſacris quidem initiatis loquitur Concilium Agatenſe, & habetur cap. Præsbiter diſt. 91. & cap. 1. de Cel. Miſ. Et non loquitur niſi de Sacerdotibus, Sed (vt ibidem inquit Abbas) Sacerdotis nomine intelliguntur etiam Diaconi, & Subdiaconi, vt patet de Cohab. cler. & mul. cap. 2. Vbi dicitur, ſiquis ſacerdotum, ideſt Præsbyter, Diaconus, Subdiaconus de quocunque, &c. Concilium autem Agatenſe non diſtinguit, quia non erat eius intentio præceptum conſtituere de horis canonicis, ſed illud ſupponens, Sacerdotes inſtruere. De Beneficiatis, etiam ſi non ſint ſacris ordinibus initiati, habetur Cap. quod à te ex Alex. 3. & Cap. diuerſis fallacijs ex Innoc. 3. extra de Cler. coniug. Sed in illis non præcipitur beneficiatis, quòd recitent officium, ſed ſupponitur eos teneri, & ſtatuitur clericos minoribus ordinibus inſignitos matrimonium contrahẽtes, ſuis beneficijs priuari debere, quia vxore ducta, diuinis officijs commodè vacare non poſſunt. De Religioſis nullus reperitur textus, imo inquit Caietanus quòd nec etiam eſt ratio conuincens eos ad illas teneri, ſed hoc falſum eſſe oſtendemus.

Caiet. v. Horarum. §. 1.

Obligatio vnde habeatur.

Horum ergo omnium obligationem, ex iure naturali, & ex immemorabili conſuetudine, Eccleſię auctoritate firmata habemus; quod ſufficit, licet non conſtet de eius primo præcepto (quod in earum editione factum fuiſſe creditur; & traditione, & immemorabili conſuetudine nobis innoteſcit) nam clerici ſacris initiati, ob tantum honorem ſuſceptum, naturali iure obligantur ad referendum Deo maiores gratias quam laici, nam vt inquit Turris Cre. ex Aug. de Anc. duplex eſt beneficium, ſpirituale & temporale, primum datur ad ſacramentorum diſpenſationem, ſecundum verò ad vitæ ſuſtentationem, & primum eſt maius quam ſecundum, & eſt cauſa ſecundi, dicente Apoſtolo 1. Cor. 4. Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi carnalia, ideſt corporalia veſtra metamus? per primum homo obligatur Deo, à quo ipſum beneficium ſuſcepit. per ſecundum verò obligatur Eccleſiæ, propter cuius obſequium beneficium temporale ſibi impenditur. Ergo conſtituti in ſacris ordinibus, etiam ſi nullum habeant beneficium, tenentur dicere officium. Quod etiam ſic probat idem Tur. Crę. ex Vlrico, quia ad ſacrum ordi-

De ſacris initiatis. Tur. Cre. diſt. 91.

ordinem nullus debet promoueri niſi beneficiatus, vel qui ad ſuum patrimonium loco eccleſiaſticorum redditũum voluit promoueri, vt extra de præb. c. Epiſcopus ſi aliquem. Ergo quilibet habens ordinem ſacrum tenetur ad horas canonicas, quia Eccleſia ordinando illum, intendit ipſum, vt miniſtrum Eccleſiȩ ad hoc miniſterium obligare, & pauperes ſibi imputent quod receperunt ordines ſacros ſine beneficiorum prouiſione.

De beneficiatis.

Beneficiati etiam, cum à laicis beneficiorum redditus habuerint, vt pro illis Deum intercedant & laudent, qui per occupationes ſuas non ita ſedulò id facere poſſunt, non ſolum ex Eccleſiæ ſtatuto, ſed etiam naturali iure ad diuinum officium tenentur, nam propter officium datur beneficium. ca. fi. de reſc. lib. 6. Et ſicut qui altari ſeruit de altari debet viuere, ita è contra qui viuit de altari debet ſeruire altari, ca. cum ſecundum Apoſtolum de præb. Eodem iure tenentur Religioſi & Religioſȩ ad chorum profeſſi, non ſolum quia ex redditibus ſeu eleemoſynis a laicis habitis viuunt, ſed etiam quia ad vitam contemplatiuam ordinantur, & vt fideles miniſtri non ſolum pro ſemetipſis, ſed etiam pro vniuerſali Eccleſia orare debent. Verum iſti omnes naturali lege, tantum generaliter, & indeterminate tenentur, quæ autem, & quantæ orationes fieri debeant, ad Eccleſiæ determinationem pertinet, quæ horas canonicas inſtituit, & illas quotidie prędictis recitare præcepit, vt ex immemorabili conſuetudine, & ex canonibus de illis mentionem facientibus conſtat, quibus, etiam ſi nullum præceſſiſſet præceptum, hæc immemorabilis conſuetudo ita firmatur, vt habeat vim præcepti.

De Religioſis.

Obligatio eſt naturalis, ſed determinatio eſt ab Eccleſia.

Quo ad illos autem, qui nõ habent niſi ordines minores, Gloſ. & Innoc. voluerunt eos quoque ad horas Canonicas recitandas teneri. At Ioa. And. Abbas & alij dicunt eos teneri de mente iuris diuini & humani, nam eo ipſo quo quis initiatur prima tonſura, & promouetur ad ordines minores, aſſumitur in ſortem Domini, & transfert ſe in Deum, & in Eccleſiam, & eximitur à poteſtate ſeculari, ſed excuſari generali conſuetudine. Nos autem dicimus eos iure diuino magis teneri ad orationem quam laici, ſed non ita vt in ſacris ordinibus conſtituti, cum non ita ſint in ſortem Domini aſſumpti, quin poſſint Matrimonium contrahere, ſecularibus negocijs ſe tradere, & clericali priuilegio amiſſo, vt ſeculares ſub ſeculari poteſtate viuere. Nec aliqua lege aut conſuetudine, eſt eis aliqua peculiaris oratio determinata, ad quam (ſaltem dum clericali priuilegio gaudet) teneantur. Imo inquit Nauarrus, quod cum non ſit eis aliqua peculiaris oratio deter-

Gloſ. diſt. 92. ca. fi. Innoc. in ca. 1. de celebr. Miſſ. Io. And. Ab. in c. 1. de celebr. Miſſ.

De nõ habent. niſi ordines minor.

Nauar. de hor. Can. c. 22 nu. 8.

minata, non obligantur niſi ad veniale. Concludamus igitur eos non teneri ad horas Canonicas, & ita nullum inuenimus canonem, ex quo elici poſſit eos aliquando obligatos fuiſſe, nam cap. fin. diſt. 92. in quo fundatur Gloſa, expreſſe loquitur de Clericis beneficiatis ad aliquam eccleſiam deputatis.

De profeſſis ad opera ſeruilia uel bellica. Profeſſi etiam & Profeſſæ non ad chorum, ſed ad opera ſeruilia, vel ad bellica, vt ſunt conuerſi & Equites, non tenentur ad horas canonicas, ſed ad alias orationes illarum loco eis ab Ordine ſtatutas, & ſi eorum regulæ obligant ad mortale, tenentur ſub peccato mortali. De equitibus q. ſũt in Sacris. Equites autem qui ſunt in ſacris, cum teneantur ad Horas canonicas, liberi ſunt ab illa obligatione illarum orationum, quas loco Horarum, eorum regula præcipit.

Quamuis orationis præceptum omnibus ſit commune, nullus tamen ad quotidie recitandum aliquod officium tenebatur, niſi vna ex his cauſis. At modo per extrauag. fel. rec. Pij V. De habentibus penſionem. quicumque penſionem, fructus, aut alias res eccleſiaſticas, vt clericus percipit, ad dicendum officium paruum Beatæ Mariæ Virginis obligatur. Quod ſi aliqui ex iſtis habent etiam aliquod beneficium, vel ſunt in ſacris ordinibus conſtituti, Secus ſi teneãtur ad horas canonicas. cum teneantur ad Horas Canonicas, liberi ſunt à uinculo recitandi paruum B. Virginis officium, cum Pontificis intentio, non fuerit obligare illos ad duo officia, vt ad plura teneantur quam qui habent plura beneficia, ſed eorum clericorum abuſum corrigere, qui eccleſiaſticos fructus percipiebant, & diuinis laudibus & obſecrationibus minime vacabant.

An illi qui non percipiunt fructus beneficij, teneantur ratione beneficij recitare officium. Cap. III.

Qui excuſentur. Clerici, qui ſolum ratione beneficij tenentur recitare officium, ſi nullos fructus neque per ſe, neque per alios percipiunt, & per eos non ſtat quo minus illos percipiant, nec in poſterum pro eo tempore percepturi ſunt, non tenentur illud recitare; nam in eis ceſſat illa ratio obligationis, cum nullum ſtipendium pro illo tempore ab Eccleſia recipiant, nec in poſterum recepturi ſint, vt ſunt illi, qui beneficiorum à Sede Apoſtolica obtemptorum non poſſunt habere poſſeſſionem, quia Principes, vel alij prætendunt ius patronatus, vel alia de cauſa, ſimiliter & illi qui habita pacifica poſſeſſione, eis ſpoliantur, vt accidit in Germania & in Gallia, vbi multi ab hæreticis ſuis beneficijs ſpoliati fuere.

Ex quo

Qui non excuſentur. Nauar. de hor. Can. ca. 7. n. 29.

Ex quo ſequitur, quod non excuſantur, Primo illi, qui non acceperunt poſſeſsionem ſuorum beneficiorum, quaſi obligatio ad recitandum officium incipiat à die habitę poſſeſſionis, vel à tempore quo per eos ſtat quo minus eam capiant, eo quod nullos interim percipiant fructus, neque percipere poſſint, cum fructuum perceptio à poſſeſſione incipere videatur. Hoc quidem procedere poteſt in eo, qui prouiſioni ſibi factę nondum conſenſit, eo quod beneficium nondum eſt ſuum, licet ſit ei debitum, non tamen in eo, qui iam conſenſit collationi, quia per ſolam collationem acceptatam ante poſſeſſionem quæſitam, acquiritur ius in re, & dominiũ beneficij, & fructus debentur beneficiario à die acceptatæ collationis, quia fructus rei debentur domino illius. Vnde ſi moritur prouiſus ante quæſitam poſſesſionem, beneficium illud vacat per eius mortem. Verum de Canonico non habente niſi Chori diſtributiones, concedi poſſet cum Nauarro, quod non teneatur illud recitare, niſi à die habitæ poſſeſſionis, vel à tempore, quo per eum ſtat quo minus illam accipiat, quia ante habitam poſſeſſionem nihil poteſt lucrari, ſecus ſi vltra diſtributiones, habet etiam prębendam, quia illius fructus percipiet à die acceptatæ collationis.

Obligatio incipit a die acceptatæ collationis.

Secundo nõ excuſantur illi qui ſuorum beneficiorum fructus primi anni, ex conſuetudine, aut priuilegio, debent dare fabricæ, Sacriſtiæ, pauperibus, aut prædeceſſori mortuo, ſed tenentur illo primo anno recitare officium, etiam ſi nihil percipiant, ita tenent Petrus de Palude & Turris Cremata. Nauarrus autem dicit eos teneri, quia huiuſmodi priuilegia sũt abrogata à Pio V. & ſi vellent litigare haberent ſaltem medietatem fructuum per declarationem Ioannis xxij. ſed excuſat Canonicos, quia non debent litigare contra ſuam eccleſiam. At dicimus eos teneri, etiam ſi illo anno vigore conſuetudinis, aut priuilegij nihil poſſẽt percipere, quia illo anno ſunt vere beneficiati, & in pacifica poſſeſsione exiſtunt, & cum beneficiati debeant partem fructuũ ſuorum beneficiorum fabricæ, & partem pauperibus applicare, ſi conſuetudine, vel priuilegio applicẽtur fructus primi anni, qua ratione excuſabuntur ab officio? imo illi fructus fabricæ, & pauperibus applicantur, vt fructus horum beneficiatorum, quia ad id tenentur, ergo debent facere fructus ſuos, non autem faciunt, niſi recitent officium. Præterea ſciunt conſuetudinem & priuilegium, ſi putant ſe primo anno grauari, non accipiant beneficia, & multo minus excuſantur, ſi fructus debentur hæredibus prædeceſſoris, quia etiam debebuntur ſuis hæredibus.

Palud. 4. ſ. d. 15. q. ſ. Tur. Cr. d. 95. ca. 1. Nauar. de hor. Can. c. 7. n. 30. In extrau. ſuſcepti tit. Ne ſed. vacan.

Nau. ibid. nu. 28. & in Man. c. 25. num. 104. Pal. & Turr. Cre. locis citatis.

Tertio non excuſantur illi qui litigant impetrata beneficia, etiam ſi eorum poſſeſſionem non habuerint, tamen ſperant poſt latam ſententiam, ſimul cum poſſeſſione ſequeſtratos fructus, vel ab aduerſarijs perceptos, obtinere; licet Petrus de Palude & Tur. Cremata contrarium aſſerant, quia fructus percepti, ſaltem poſt litis conteſtationem, actori debentur, ſi vincat, etiam ſi contra poſſeſſionem ſuper proprietate litigent, tam in ſpiritualibus, quam in profanis. Et confirmatur, quia ex hoc quod litigant conſenſerunt collationi, & ſperant ſe obtenturos beneficia, cum fructibus, vel per remiſſionem fructuum perceptorum, vel eorum compoſitionem, vel ſimpliciter, ergo debent facere fructus ſuos, recitando horas canonicas. Nec obſtat ſi dicatur, quod poſſent etiam nihil obtinere, quia tenenda eſt ſecurior pars, quę eſt illas recitare, & etiam quia conſcientiæ dictamen, & obligatio, ſumitur ex eo quod creditur, & ſperatur.

Quarto non excuſantur adoleſcētes, quorum patres, vel auunculi pro eis recipiunt fructus, nam cum per alios recipiant non minus tenentur recitare officium, quam ſi per ſe reciperent.

Nau. ibid.

Quinto non excuſatur ille, qui omnes fructus loco penſionis reſeruauit ei, qui in ſuum fauorem reſignauit beneficium, quod eſt quotidianum, nam ſi vult, poteſt aliquos fructus percipere, cum Eccleſiæ, ſiue Cappellæ deſeruire poſſit, & ille cui omnes fructus ſunt reſeruati, cogatur ſatisfacere inſeruienti Eccleſiæ, nam illi ſoli fructus, qui deductis oneribus ſuperſunt reſeruati cenſentur. At ſi non ſolum reſeruantur omnes fructus loco penſionis, ſed etiam omne ſeruitium, & adminiſtratio beneficij, non tenetur, quia nihil poteſt percipere, neque ſeruire, nolente penſionario, & beneficium ita eſt ei collatum, vt ſit beneficiatus nomine, et ipſe poſt mortem penſionarij, & interim pēſionarius, cui incumbit omne ſeruitium, & omnis adminiſtratio, eſt re ipſa beneficiatus, qui etiam conſequenter tenetur ad officium: hęc enim reſignatio hoc ſolum operatur, vt poſt eius mortem beneficium ſit illius, in cuius fauorem ſic reſignauit.

Nauar. in Man. cap. 25. num. 104.

De illis qui habent tenue beneficium, an teneantur recitare officium. Cap. IIII.

Sot. lib. 10. de iuſt. & iure q. 5. ar. 3.

DOminicus Sotus inquit, quod habens beneficium tenuiſſimum, vt ferè pro nihilo reputetur, vt ſi ſummam octo ſcutorum non attingeret, non tenetur ad officium, nam clericus, qui non eſt in ſacris, non alia ratione tenetur ad offi-

ad officium, quam ratione ſtipendij, ergo quando beneficium eſt adeo exiguum, vt ferè pro nihilo reputetur, non eſt cur talem obligationem inducat. Si dicatur, illi eſſe imputandum, qui illud recepit, reſpondet hoc non obſtare, quia tenuiſſimum beneficium ex natura ſua non obligat.

Sed contraria ſententia eſt communis, & tenenda, pro qua facit ca. Clericus victum. diſt. 91. ex Conc. Carth. vbi ſtatuitur quod Clericus victum, & veſtitum ſibi artificiolo, vel agricultura abſq; officij ſui duntaxat detrimento præparet. Et ibidem Gloſa notat, quod Clerici non excuſantur ab Officio propter tenuitatem beneficij, quia licet de altari debeat viuere, qui ſeruit altari, ipſi tamen ſibi præiudicium fecerunt, qui tam tenuem Eccleſiam acceperunt, & ſubdit non excuſari etiam ſi Eccleſia prius erat diues, & copioſa, & poſtea facta eſt inops, ſicut & in matrimonio carnali, vir tenetur miniſtrare neceſſaria vxori, etiam ſi talis ſit, quòd ei debitum reddere non valeat, & huius ratio eſt, quia obligationem ad recitandum officium non inducit quantitas reddituum, nec ſuſtentatio de patrimonio Chriſti; nam multi famuli clericorum, multi Doctores, & miniſtri Academiarum eo ſe ſuſtentant; & tamen ad id non obligantur, ſed vera ratio, eſt acceptatio tituli beneficij, quia ob quodlibet beneficium, quantumuis ſimplex, & exiguum, deputatur quis ad laudandum, & rogandum Deum, eiq; inſeruiendum pro populo, à quo recipit aliquē prouentum, licet ad ſui ſuſtentationem non ſit ſufficiens. Accedit etiam, quòd omnis clericus etiam primæ tonſuræ tantum, habens beneficium eccleſiaſticum quantumuis exiguum, gaudet priuilegio fori, etiam quoad crimina, quod priuilegium quoad crimina non gaudet etiam inſignitus quatuor minoribus, ſi beneficio careat, vel alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi non inſeruit, aut in aliquo ſeminario de eiuſdem Epiſcopi licentia non exiſtit. Ratione etiam qualiſcunq; beneficij, beneficiato aliquis honor, & præeminētia in Eccleſia cuius eſt beneficium debetur, qui non debetur alteri non habenti in eadem Eccleſia beneficium, Beneficium etiam ſine ſuperioris auctoritate renunciari non poteſt, quæ omnia ſunt magni momenti, & faciunt, vt beneficium quantumuis tenue, non debeat pro nihilo reputari, propter quos reſpectus non deerit qui illud acceptet cum onere recitandi officium, ſi renuncietur. Huc tandem accedit, quòd ipſe met Sotus fatetur beneficium octo ducatorum obligare ad officium, & tamen eſt valde exiguum, & ſubdit, quòd ad hoc, vt non obliget, debet eſſe adeo exiguum, vt pro nihilo reputetur, quod certè non

Gloſ. d. 91 ca. Clericus. Hoſt. Tur. Cre. d. 91. c. 1. Abb. de Cel. Miſ. c. 1. S. Ant. 3. p tit. 13. c. 4. §. 1. Sylu. V. Hora. §. 3. Nauar. in Man. c. 1. nu. 102. & de Hor. Can. c. 21. nu. xi.

Cōc. Trid. Seſſ. 23. ca. 6.

datur

datur, & ſi daretur, dummodo eſſet beneficium, obligaret propter rationes adductas.

Quæ Horæ dicendæ ſint, & quando.
Cap. V.

Quę.

QVæ Horæ Canonicæ dicendæ ſint, & quando; quinque Concluſionibus oſtendemus, quarum prima ſit. Illæ horæ dicendæ ſunt, quæ nuper ex decreto Sacri Concilij Tridentini, & Pij. V. iuſſu editæ ſunt, vel aliæ quarũ inſtitutio ducentos annos antecedit, vbi eas recitandi eſt conſuetudo, cætera enim omnia breuiaria abolita ſunt, vt patet ex extrauaganti Pij V.

Quando.

Secunda Concluſio, Tempus, quo præcepto de recitandis horis canonicis ſatisfit, eſt totus dies, incipiendo à veſpera præcedentis diei, vſque ad mediam noctem diei ſequentis, ita tamen quod ſolum Matutinum cum Laudibus licet dicere poſt Veſperas, & Completorium præcedentis diei. Nam vt determinat Alexan. 3. & habetur extra de ferijs cap. 2. Licet ſcriptum ſit de veſpera in veſperam celebrabitis ſabata veſtra, feſtorum tamen principium & finis, iuxta eorum qualitatem, & diuerſarum regionum conſuetudinem debet attendi, & ſicut magnitudo dierum exigit, prius incipere, & tardius terminari. Vbi notat Gloſa, quod dies incipit, & terminatur diuerſis horis, diuerſo reſpectu. Quoad officij ergo recitationem, vt inquit Caietanus dies incipit à veſperis & durat vſque ad mediam noctem diei ſequentis.

Caiet. in ſumma. Verbo. Horarum. Debitis horis.

Tertia Concluſio. Horæ Canonicæ nihilominus dicendæ ſunt horis debitis, ſiue in Eccleſia cantentur, ſiue extra illam priuatim recitentur, vt horæ officij correſpondeant horis diei, non quidem ſtrictè, ſed ſaltem largè conſideratis. Quod probatur primo, quia ſic iubetur in Clem. 1. de Celeb. Miſſarum. 2. quia horæ Canonicæ non ſunt ſic diſtinctæ, nec iubentur ſic recitari in fauorem recitantium, vt diuidendo commodius officium recitent, ſed in fauorem cultus diuini, & animarum recitantium; vt diuinus cultus magis augeatur, & oratio ſit frequentior, & diuturnior. 3. probatur ex communi omnium Canoniſtarum, ſummiſtarum, & Theologorum de hoc loquentium ſententia: Hugo de S. Victore inquit, quod ante horam orare, eſt prouidẽtiæ, poſt negligentiæ, debita verò, obedientiæ, Sed quod dicit de præuentione, intelligendum eſt cum iuſta cauſa, vt exponunt Doctores, nam prouidentia non eſt contra obedientiam, Et in Vitis Patrum habe-

habetur diuina reuelatio, quam ad hoc propoſitum Io. And. Abbas & alij referunt, nam Angelus cuidam Sancto Eremitæ, quando recitabat horas debitis horis, ferebat vuas maturas & bonas comedendas, quando præueniebat, ferebat vuas immaturas, & acerbas, quando po ſtponebat, marcidas. In cap. 1. de Celeb. Miſ.

Quarta Concluſio, ex cauſa licet recitare horas, alijs horis, tã priuatim quam publice in Eccleſijs, & quando aliqua ſuperueniẽte cauſa non poſſunt debitis horis recitari, melius eſt præuenire, quam differre; huius ratio eſt, quia præuenire eſt prouidentiæ, poſtponere negligentiæ, vt cum Hugone dicunt Doctores. Cum autem priuatim dicuntur, non requiritur tam vrgens cauſa, ſicut cum in Eccleſiis cãtãtur. Vnde poſt Veſperas, & Completorium, qui ſunt in litteris diſcendis, vel docendis, vel in aliis piis operibus occupati, vt eis commodius inſiſtant, poſſunt Matutinum cum Laudibus diei ſequentis recitare, vt inquit S. Th. quem omnes ſequuntur. Et qui timent ne eis deſit tempus ad recitandum horas deuotè & attentè, ob negocia ſibi occurrentia, poſſunt diluculò recitare omnes horas vſq; ad Veſperam, vt ab Illuſtriſsimis Cardinalibus, & Reuerendiſsimis Epiſcopis paſſim fit, vt dicunt Innoc. & Ioa. And. Et eſt communis ſententia, ad quod etiam facit cap. 1. de Celeb. Miſ. Nec obſtat quod ſæpe Romæ impetratur priuilegium, & per Bullas Cruciatæ conceditur, vt Matutinum vnius diei, præcedenti veſpera dici poſſit, & quod iure conceditur, fruſtra præcibus impetratur; nam vt reſpõdet Nauarrus, multa Romæ via priuilegij conceduntur, licet iure communi ſint cõceſſa, vt abſolutio irregularitatis mentalis, & alia ſimilia, neque id fruſtra fit, nam reperiuntur non nulli ita Scrupuloſi, quod nullius opinione ſerenari queunt, quos tamen Apoſtolica conceſſio ſerenat, & ſereniſsimos reddit. Poſſet etiam (vt inquit Nauar.) hoc priuilegium tam efficacibus verbis concedi, quod liceret impetranti etiam impunè ſine iuſta cauſa anticipare. Et non ſolum licet ſic præuenire vel poſtponere cum recitantur priuatim, ſed etiam cum publice cantatur, verum debet eſſe magna cauſa, vt publica proceſſio, Concio in illa Eccleſia, Regis aduentus, & ſimiles, & debet etiam Superioris auctoritas ad id poteſtatem habentis interuenire; qualis eſt Epiſcopus in Eccleſia Cathedrali, vel Vicarius, aut Capitulum, vel Decanus, vel alij de capitulo ad curam Eccleſiæ deputati, In alijs autem, eſt Abbas, Præpoſitus, Prior, vel alius Prælatus.

Melius eſt præuenire, quã differre.

S. Thom. quodlib. 5. ar. 28.

In c. 1. de cel. Miſ.

Nauar. de Orat. & hor. can. c. 3. n. 57.

Tur. Cre. d. 91. ſuper c. Presbiter.

Nauar. de hor. can. c. 3. n. 55.

Quinta Concluſio. Non recitare Horas Canonicas debitis horis, ſine iuſta cauſa, ſiue præueniendo, ſiue poſtponendo, eſt peccatum,

catum, ſed veniale ſi priuatim dicuntur. Quòd ſit peccatum, patet ex præcedenti concluſione. Vnde S. Tho. cum dixit licitum eſſe dicere matutinum ſequentis diei, de ſero propter neceſſitatẽ literarum, & honeſtarum occupationum, ſubiũxit etiam, eſſe peccatum ſi id fiat, vt quietius ſomnolentiæ, & voluptati vacetur. Quod autem non ſit niſi veniale, etiam ſi dicatur Prima imò, & Matutinum poſt meridiem, etiam poſt decimam, & vndecimam horam à meridie, dummodo ante mediam noctem finiatur, docent inter alios S. Ant. Sylu. & Caiet. & probatur cum Nauarro; primo, quia nulla eſt ratio, nec auctoritas quæ in contrarium vrgeat. 2. quia licet Concilium generale in cap. Dolentes de Celeb. Miſ. præceperit, vt obligati ad horas canonicas dicant officium, tam nocturnum, quam diurnum, non tamẽ præcepit, vt nocturnum nocte, & diurnum die dicatur. 3. quia ſi, ſicut tenemur ſingulis diebus dicere omnes horas, ita tenemur ad dicendum illas debitis horis, ſequeretur, quòd ſicut non poſſumus vlla de cauſa horas vnius diei differre in alterum diem, ita etiam nõ poſſemus eaſdem de vna hora in aliam differre, & tamen contrarium vbiq; ſeruatur, & à iure etiam conceditur cap. 1. de Celeb. Miſſ. Verum ſi loquamur de Horis Canonicis, quæ in Eccleſijs cantantur, dicimus quòd illas non cantare debitis horis ſine iuſta cauſa, eſt peccatum mortale, & peccant mortaliter, tam Prælati non præcipientes illas cantari, ſeu publicè recitari horis debitis, quã ſubditi clerici, ſeu Monaci horis minime conuenientibus illas publicè recitantes. Tum quia in Clem. 1. de celeb. Miſ. præcipitur, vt in cathedralibus, regularibus, & collegiatis eccleſijs, horis debitis pſallatur, tum etiam propter ſcandalum, quod eſſet, ſi. V. g. poſt meridiem cãtarẽtur Matutinum, Prima, & Tertia illius diei.

S. Ant. 3. p. tit. 13. c. 4. §. 4. Syl. V. Hora. q. 9. Caiet. V. Horar. §. quo ad 4. Nau. de Hor. Can. c. 3. n. 58.

Quomodo recitandæ ſint Horæ Canonicæ.

Cap. VI.

Horæ Canonicę recitandę ſunt debito ordine, & cum debita attentione. Et vt prius de ordine loquamur. Sit Prima Concluſio. Horæ, & pſalmi aliquando ſine peccato tranſponi poſſunt, vt exempli gratia, poſt Tertiam, Sextam, & Nonam, recitetur Prima, & primus pſalmus Primæ, recitetur poſt Nonam. probatur quia aliquando ſic tranſponuntur ſine vlla culpa, vt qui non potuit intereſſe principio chori, poteſt cum alijs cantare, quæ dicuntur, & poſtea ſolus recitare alia, & qui cum ſuo Prælato, cum non dixerit Primam, debet recitare

Aliquando poſſit tranſponi

Tertiam

Tertiam, Sextam, & Nonam. Similiter iter agentes, qui non habent tempus recitandi in diuerſorium totum officium, poſſunt equitando recitare pſalmos, quos memoriæ tenent, vel facilè legere poſſunt, & poſtea in diuerſorio recitare lectiones. Iter agentes non amittant horas, ſed ſic recitẽt

Secunda Concluſio. Per negligentiam, aut in curiam, imo etiã ſcienter inuertere ordinem Horarum citra contemptum, eſt ſolum veniale, & non eſt neceſſarium iterare horam iam dictam, vt ſi dicantur Horæ memoriter, & poſtea Matutinum, cum commodè potuiſſet expectari donec habeatur Breuiarium. Ita tenent. S. Ant. Ang. Sylu. & Nau. quod etiam colligitur ex Innocentio. S. Ant. 3. p. tit. 13. c. 4. §. 4. Ang. V. Hora. §. 12. Sylu. V. Hora. q. 9. Nauar. de Hor. Can. c. 3. n. 68. Innoc. in ca. dolentes de celeb. Miſſ. De mutatione officij.

Tertia Concluſio. Si mutetur officium, & fiat de ſancto, cum deberet fieri de feria, poteſt eſſe ſine peccato, vt cum priuatim dicitur de Sancto illo die occurrente, propter deuotionem ad illum ſanctum, ſi autem id fiat ex inaduertentia eſt veniale, ſi verò fiat in fraudem, vt dicatur officium breuius, eſt grauius peccatũ, Sylueſter dicit eſſe veniale, quia præceptum eſt de recitando officio, & non de officio determinato. At modò per extrauagantem ſe. re. Pij. V. eſt etiam præceptum de officio determinatò, vnde ſi fieret de ſancto illo die minime occurrente, quia officium eſt breuius crederem eſſe mortale, quia videtur etiam quidam contemptus. Sylu. V. Hora. q. 12.

Quo ad ſecundam partem de attentione, aliquas diſtinctiones præmittemus. Prima ſit, quòd attentio ad officium, ſicut & ad quodlibet bonum opus dupliciter intelligi poteſt; primo vt officium ab intentione procedat. 2. vt attentio ipſum officium comitetur. 2. diſtinctio ſit. Attentio eſt duplex, actualis vel virtualis. 3. diſtinctio. Attentio tam actualis, quam virtualis eſt triplex, prima verborum, ne alia pro alijs, aut confusè, aut irreuerenter dicantur, 2. rerum ſignificatarum per verba. 3. eſt finis orationis, qui eſt Deus, qui oratur, & res quæ petuntur, puta beatitudo, gratia, fides, ſpes, charitas, & cęterę virtutes. 4. diſtinctio. Mens in Oratione tripliciter vagatur, primo ex infirmitate, 2. ex negligentia, 3. ex propoſito. De attentione, quę multiplex eſt.

Quibus diſtinctionibus ſuppoſitis, ſit Prima concluſio. Quilibet ad officium obligatus tenetur ſub peccato mortali à principio Officij habere actualem, vel ſaltem virtualem intentionem ſatisfaciendi obligationi de recitando officio. hanc virtualem intentionem habet, qui ita petit, vel accipit breuiarium, quòd ſi interrogaretur quare illud velit, reſponderet, vt debito ſuo de recitando officio ſatisfaciat. Huius concluſionis ratio eſt, quia recitatio officij debet eſſe actus humanus, & ideo non debet eſſe Quæ neceſſaria.

ex ſo-

ex ſola imaginatione, quæ nobis,& beſtijs eſt communis, ſed ex deliberatione, quę attentionem requirit.

Secunda concluſio. Attentio ad officium neceſſaria, eſt illa verborum,& finis orationis, ideſt, qui recitant officium debent attendere, vt benè legant, nihil omittant, & ne vnum pro alio dicant,& quòd recitando officium, Deum laudant,& orant. Attentio autem rerum ſignificatarum per verba, non eſt neceſſaria, & eſt paucorum. quæ concluſio ſequentibus magis declarabitur.

De diſtinctione. Tertia concluſio. Recitare officium ſinè actuali attentione, euagata mente ex infirmitate, non eſt peccatum mortale, imo

2.2. q. 83. art. 13. ad 2. nec aliquando veniale. Nam vt inquit S. Thomas, mens humana propter infirmitatem naturę, diù in alto ſtare non poteſt, pondere enim infirmitatis humanæ, anima ad inferiora deprimitur,& ideo contingit, quòd ſæpe mens ſubitò ex quadam infirmitate, ſine aliquo propoſito vagatur, quando ergo orans omni qua valet diligentia, cum Abraham abigit volucres, ideſt volatiles

Glo Gen: 15. 2. Reg. 7. cogitationes à Sacrificio orationis,& cum inuenit cor ſuum in oratione, quod fugitiuum pergit per varias cogitationes, feſtinat intrare cubiculum, ideſt ſecretum mentis arcanum, vt dicit

Mat. 6. Gloſa, & claudit Oſtium, ideſt, præcludit aditum turbę phantaſmatum,& orat Patrem in abſcondito occultę intentionis, quę ſoli Deo per orationem placere deſiderat; tunc ſi mens diſtrahitur nulla videtur eſſe culpa, quia, vt dicit Hieronimus. Deus non præcipit, quod homo non poteſt facere, Vnde Baſilius in ſermone de orando Deum, inquit. Si verè debilitatus à peccato, fixè nequis orare, quãtum potes te ipſum cohibeas, & Deus ignoſcit, eo quod non ex negligentia, ſed ex fragilitate, non potes, vt oportet, aſſiſtere coram eo.

Quarta concluſio. Recitare officium ſine actuali attentione ex ſua deſidia, licet ſit peccatum propter negligentiam, non tamẽ eſt peccatum mortale, Iſta concluſio eſt Vlri. Innoc. Hoſt. & Ioa.

Tur. Cre. d. 92. in c. cãtantes. And. quos citat, & ſequitur Tur. Cre. Et ratio eſt, quia iſte modus orandi ex pręcepto Eccleſię ſtatutus eſt, pręcepta autem iuris poſitiui non referuntur niſi ad ea, quę ſub iudicio humano cadere poſſunt, quæ ſunt actus exteriores, & non interiores, niſi quatenus requiruntur ad hoc, vt opus ſit humanum, qualis eſt virtualis, ſeu habitualis intentio.

Palud. 4. d. 15. q. 5. Adr. q. lib 8. Caietan. v. Ho Quinta concluſio, ita recitare officium, vel eius notabilem partem, quòd ſcienter pereat omnis virtualis attentio, eſt peccatum mortale,& ſic illud recitans non ſatisfacit. huiuſmodi ſunt illi, qui aduertunt mentem ſuam circa alia ita euagari, vt planè

ab

ab omni officij attentione euagetur, & cum hoc aduertant, non procurant animum ſuum ab ijs reuocare. Et illi qui animo deliberato ſe occupant in actibus exterioribus repugnantibus omnibus ſupradictis attētionibus recitandi officium, vt alia legere, vel ſcribere dum recitatur officium, quę ſentētia eſt communis.

rarū. §. 3. Maior 4. ſ d. 12.

De officio B. Virginis, & mortuorum, ſeptem pſalmis, & Gradualibus. Cap. VII.

QVi tenentur recitare Horas Canonicas, per extrauagantem Pij V. non tenentur dicere extra chorum officium B. Virginis, Mortuorum, Septē pſalmos, & Graduales, quoad Chorum autem ſeruanda eſt vniuſcuiuſq; Eccleſiæ conſuetudo, & vbi eſt conſuetudo illa recitandi, recitari debent vigore eiuſdem extrauag. quod ergo in rubricis Romani breuiarij prę ſcribitur, quibus diebus iſta dici debeant, non eſt præceptum, ſed conſilium ſaluberrimum.

De illis, qui habent plura beneficia, vel cum beneficio penſionem, an ſatisfaciant recitando ſingulis diebus ſemel tantum horas Canonicas.
Cap. VIII.

VIderi poſſet alicui, quod illi qui habent plura beneficia non ſatisfaciant, ſemel tantum in die recitando officium, primo quidem, quia non eſt ferendus, qui commodum ſumit, & onus ferre recuſat, nam onus debet reſpondere emolumento. Et iure naturæ, qui habet commodū debet ferre illius commodi onus. Commoda qui ſentis, iungas onus emolumentis; Sed vnumquodq; beneficium habet onus dicendi quotidie Horas Canonicas, vt ſuperius cap. 2. oſtendimus, ad quod etiam facit, quod beneficium datur propter officium. de reſcr. ca. fin. lib. 6. ergo qui habet duo beneficia, tenetur quotidie bis recitare officium, & qui tria, ter; Et confirmatur quia ſi duo beneficia duobus conferrentur, bis quotidie propter illa diceretur officium, & ter, ſi tria tribus darētur, ergo ſi duo vel tria vni conferantur, debet quotidie bis, vel ter dicere officium, aliàs Deus, & Eccleſia defraudarentur. 2. probatur, quia habens plura beneficia in pluribus eccleſijs, obligatur cuilibet Eccleſiæ vbi accipit beneficium, de prę b. ca. ſignificatum, ergo niſi iuxta beneficiorum numerum recitet officia, defraudat illas Eccleſias, nam obli-

Argumenta pro parte negatiua.

obligationem debet ſequi ſolutio. Et confirmatur à ſimili, quia ſi quis tribus creditoribus deberet ſingulis decem aureos, non ſatisfaceret ſi omnibus ſimul ſolueret decem, & ſi quis duo ſacella, ſiue capellanias haberet, quibus ſingulis onus dicendi quotidie vnam Miſſam eſſet iniunctum, non ſatisfaceret dicẽdo vnam Miſſam pro vtroq; ſacello, ergo neq; habens duo beneficia quorum cuilibet eſt iniunctum onus dicendi officiũ, ſatisfacit dicendo ſemel tantum pro vtroque officium.

De legitimè diſpenſato.

His nihilominus non obſtantibus. Sit prima concluſio. Nullus propter plura beneficia, quę legitimè habet, tenetur ad pluries quotidie recitandum officium. Quę concluſio probatur. primo vniuerſali totius Eccleſiæ conſuetudine, ſcita, & tolerata ab omnibus Eccleſiæ Pręlatis, quæ conſequenter habet vim legis. probatur 2. ratione, quia habens beneficium obligatur Deo, & Eccleſiæ, ergo ſi habens duo beneficia obligatur ad recitandum quotidie bis officium, vel eſt ratione obligationis, quam habet cum Eccleſia, vel ratione ipſorum beneficiorum, quia quodlibet eorum hanc obligationem annexam habet. Sed propter nullum horum tenetur, nam iuſta diſpenſatio obtinendi duo beneficia, ob neceſſitatem, pietatem, vel vtilitatem, facit quodammodo ex illis vnum beneficium, & ſicut vnione duorum beneficiorum, ex duobus efficitur vnum beneficium, ita diſpenſatione obtinendi duo beneficia, ex illis efficitur quodammodo vnum durante diſpenſatione, cum ergo virtute diſpenſationis teneantur, vt unum beneficium, ceſſat omnis ratio obligationis ad duo officia recitanda, ex parte quidem Dei, quia ei ad officium recitandum obligatur vt vnus, ex parte Eccleſiæ, quia illud ad quod homo non tenetur niſi ratione ſtatuti, non obligat niſi ſecundum modum, & formam ſtatuti, at nullo ſtatuto, & nullo iure præcipitur, quod homo dicat eodem die duo officia canonica, quocumq; caſu. Ex parte etiam beneficiorum, quia virtute diſpenſationis ſunt quodammodo vnita in diſpenſato, & conſideratur, vt vnum, licet ſint diuerſi tituli. Probatur 3. quia obligatio ſumenda eſt iuxta intentionem obligantis, intentio autem obligantis ad horas canonicas, non eſt, vt iuxta numerum cauſarum, quibus eſt annexa obligatio illas recitandi, toties recitentur, ſed vt vnus homo ad illas obligatus, ſemel recitet, etiam ſi pluribus de cauſis obligetur quarum quælibet per ſe ſufficiat, V. g. quilibet Sacer ordo habet hanc obligationem annexam, & ſi quis per ſaltum ordinetur Diaconus, vel Sacerdos, illas recitare tenetur, & nihilominus ille, qui habet tres ſacros ordines non tenetur ter illas recitare, vel quater ſi

ter, ſi cum ſacris ordinibus habet Eccleſiaſticum beneficium.

Nec eſt ſimile de alijs obligationibus, puta celebrãdi Miſſas, faciendi eleemosynas, excipiendi pauperes, & huiuſmodi, quæ beneficijs ſunt annexæ, quia iſtæ obligationes magis reſpiciunt ipſa opera, & eorum multiplicitatem, quam vnitatem miniſtri, vnde videmus ſæpe iuxta quantitatem redditũum eſſe onera, & onera aliquando eſſe talia, quę non poſſunt à beneficiario per ſe adimpleri, vt celebrandi plures Miſſas in vno die, & propterea iſta onera ſemper tranſeunt cum beneficio; At onus recitandi officium, magis reſpicit vnitatem miniſtri, & ideo multiplicatis in eo cauſis recitandi officium, non propterea debet multiplicari officij recitatio, ſicut præceptum ieiunandi certo die, magis reſpicit illum diẽ quam ieiunium; vnde ſi concurrant in vno die duo præcepta ieiunij, vno ieiunio ſatisfit vtriq; præcepto, & non propterea alio etiam die ieiunare debemus, vel ſi ratione vnius pręcepti non cænamus, ratione alterius debemus non prandere. — Reſpondetur cõtrariis argumentis.

Nec obſtat etiam, quòd ſi habens beneficium, voueat iterum recitare quotidie officium, tenetur ratione voti quotidie bis dicere officium, nam illa obligatio voti non cadit ſuper officium ſimpliciter, ſed ſuper illius reiterationem. At omnes obligationes recitandi officium ab Eccleſia inductæ, ſic cadunt ſuper officium, vt in vno concurrentes, etiam cum ſimplici uoti obligatione, aggrauent quidem peccatum tranſgreſſionis, ſed non obligẽt ad plura officia.

Nec etiam obſtat quod dicitur, Onus reſpondere debere emolumento; & qui habet commodum, debere iure naturæ ferre illius onus; & Deum, & Eccleſiam defraudari. Nam reſpondetur onus officij, beneficij commodo annexum, intelligendum eſſe iuxta ea, quæ diximus: & cum quis licitè diſpenſatur, vt habeat plura beneficia, cauſa illa rationabilis (vt ex Palud. inquit Tur. Cre.) propter quam eſt facta diſpenſatio, recompenſat pro illo onere. — Tur. Cre. diſt. 91. in ca. qui autem.

Secunda concluſio, Qui habet plura beneficia, & non eſt legitimè diſpenſatus, tenetur pluries quotidie iuxta numerum beneficiorum recitare officium; & probatur quia rationes excuſantes legitimè diſpenſatos (quia ſ. diſpenſatio quodammodo vnit, & legitimæ diſpenſationis cauſa recompenſat prò illo onere) non habent locum in iſtis. Nec etiam pro iſtis facit, quod habentes tres ſacros ordines ſemel tantum in die recitant officium, nã ſacri ordines ſunt ſubordinati, & Sacerdotium includit, ſeu præſupponit præcedentes; Et propterea Deus, & Eccleſia defraudantur — De non legitimè diſpenſato.

& ita Doctores, qui dicunt excuſari eos, qui habent plura beneficia, dicunt etiam dummodo iuſta conſuetudine, vel diſpenſatione, obtineant: Ex quo inſert Nauarrus, quòd qui tenet alia beneficia, præter vnum iniuſtè, quod ei ſufficiat, tenetur reſtituere fructus eorum, quæ iniuſtè tenet, non ſolum quia iniuſtè tenet, ſed etiam quia non recitauit pro illis officium.

Tertia concluſio. Habentes cum beneficio penſionem, non tenentur recitare paruum Beatæ Virginis officium, Sed ſatisfaciunt recitando Horas canonicas, probatur, quia Pontificis intentio non fuit obligare iſtos ad duo officia, ſed illorum clericorum abuſum corrigere, qui Eccleciaſticos fructus, vt clerici percipiebant, & diuinis laudibus, & obſecrationibus minime vacabant. Et confirmatur, quia ſi habentes plura beneficia ſatisfaciunt recitando quotidie ſemel tantum officium, multò magis ſatisfacient, qui cum beneficio habent penſionem.

Quibus de cauſis excuſemur à recitandis Horis Canonicis. Cap. IX.

Prima eſt infirmitas Innoc. & Hoſt. in c. 1. de cel. Miſ.

Secunda Occupatio. Henr. de Gand q.l. 15. q. 12. Maior. 4. ſ. d. 12. q. 6. Sylu. v. Hora. q. fin.

Tertia defectus breuiarij. Nauar. in Man. c. 25. n. 101. & de Hor. Can. c. 9. nu. 38.

Quarta di

MVltę ſunt cauſæ ob quas excuſamur à recitandis Horis Canonicis, quarum prima eſt infirmitas talis, ob quam directè vel indirectè Horarum recitatio infirmo noceret, quod intelligendum eſt de nocumento notabili, & de toto tempore ſatisfaciendi præcepto. Vnde febris leuis, quæ non impedit colloquia grauia, & negociorum, ac rerum grauium ordinationem, non excuſat, nec etiã excuſat magna febris, quæ ſtatutis horis aduenit, & infirmum ita inuenit, vel ita poſtea relinquit, vt ſine graui incommodo illas recitare poſsit. Secunda eſt occupatio repentina, aut quæ ſine ſcandalo, aut peccato omitti non poſſit, vt ſi ad ſedandos populi tumultus, ad concionem præparandam, quæ ſine ſcandalo, aut magno damno omitti non poteſt, ad lectionem inconcurſu publico prælegendam, ad publicas concluſiones defendẽdas, neceſsè ſit omittere Horas, cum eorum ſtudium, & Horarum recitatio, propter tẽporis breuitatem, ſe non compatiuntur. Tertia eſt defectus breuiarij, etiã ſi ſua culpa contingat, nam quamuis peccauerit, breuiarium cũ poſſet non emendo, vel non ſecum portando, tamẽ ſi de hoc peccato verè peniteat, non peccat non recitando, cum ſine breuiario illas recitare non poſſit, & ad impoſſibile nemo teneatur. Quarta eſt diſpenſatio Papæ, nam licet oratio ſit de iure diuino, hic tamen modus orandi eſt de iure poſitiuo. Quinta. Si non perci-

piuntur fructus beneficij,& non niſi ratione beneficij ad illas tenetur, quam intelligas iuxta ea, quæ ſuperius diximus cap. 3. Aliqui addunt Sextam cauſam .ſ. ſtudere, conſtituto Vicario, qui beneficio deſeruiat,& peregrinationem ad Vrbem, relicto ſimiliter Vicario. Sed hoc eſt falſum, quia onus recitandi officiũ eſt perſonale, iuxta communem,& deducitur ex cap. 1. de Cel. Miſſ. vbi dicitur fructuum labiorum ſuorum,& quędam Gloſa citata à Nauarro inquit Maledictum ſtudium propter quod relinquitur diuinum officium. Alij addunt ſeptimam cauſam, si beneficium sit tenue, de quo ſuperius capit. 4. vbi oſtendimus hoc minime excuſare.

ſpenſatio. Tur. Cre. d.91. in c. Eleuteri⁹ q. 5.

Quinta ſi non percipiũtur fructus beneficij.

Seſta, & ſettima cauſa reijcitur.

An illi qui excuſantur à recitatione officij, teneantur ſi poſſunt, illud cum alijs dicere, vel eius partem quam poſſunt, recitare.

Cap. X.

Nauar. de Hor. Can. c. 11. n. 3.

PRo huius dubij ſolutione notandum eſt Cum Nau. quòd argumentum de toto ad partem, aliquando valet, aliquando non, non valet quando non militat eadem ratio in toto & in parte, vt cum præcipitur alicui, vt eat Romam, si non poteſt ire Romam, non tenetur ſaltem peragere partem itineris, quam poteſt. At quando militat eadem ratio, excuſatus à toto, non obid excuſatur à parte, quam poteſt. Sed adhuc diſtinguendum eſt, nam cum obligamur iure naturali, qui non poteſt totum adimplere, tenetur quamlibet partem, quam poteſt, vt qui non poteſt totum reſtituere, tenetur reſtituere eam partem, quam poteſt. At cum obligamur iure poſitiuo, qui non poteſt totum, & poteſt partem notabilem, ad illam tenetur, ut tempore ieiunij, qui poteſt abſtinere a carnibus, ſed non à duplici comeſtione, tenetur abſtinere à carnibus,& non à duplici comeſtione; Ille autem qui non poteſt niſi partem paruam, non tenetur ad illam, vt in eodem exemplo, qui non poteſt tempore ieiunij abſtinere à duplici comeſtione, ſed poteſt in vtraq; comeſtione minus ſumere, non tenetur ponderare id quod comedit, vt æquiualeat vni comeſtioni; ſed ſimpliciter liberatur; Et qui diebus feſtis non poteſt audire integram Miſſam, nec partem notabilẽ, ſed fortè poſſet audire vltimam orationem, non tenetur accedere ad illã partem audiendam. Et ratio eſt, quia ad id non tenemur ex natura rei,& iure naturali, ſed ſolum iure poſitiuo, ius autem poſitiuũ non reſpicit potentiam naturalem, ſed moralem, nec etiam la-

Nauar. de Hor. Can. c. 11. nu. 9. & ſeq.

præceptũ de toto quando obligat ad partem.

queum iniicit, ſed eſt ſuaue; vnde præcipiendo, obligat caſu quo id fieri poſſit, non ſimpliciter, & abſolute, ſed ſine magno incommodo, & licet eadem præcepti ratio militet in toto, & in partibus, excuſat tamen à parua parte illos, qui non niſi ſecundum partem paruam poſſunt illud adimplere, ne ſcrupulos, & laqueos hominibus iniiciat.

Potens dicere alternatim, tenetur.

Quibus ſuppoſitis, ſit Prima concluſio. Ille qui eſt excuſatus ab Horis dicendis, ſi illas cum ſocio alternatim commodè dicere poteſt, & ſocium cum quo illas dicat commodè habere poteſt, tenetur ſic dicere, & licet Ang. Sylu. Caiet. & alii abſolutè dicant, cæcum excuſari ab Horis dicendis, intelligendi tamen ſunt tantum de illo, qui non poteſt dicere per ſe, neque cum ſocio, vel ſocium, qui illum ad dicendum adiuuet, commodè habere non poteſt. Dixi (commodè) quia ſi non habet redditus eccleſiaſticos, vel patrimonij ad cuius titulum ſit ordinatus, quibus ſocio ſatisfacere poſsit, & non habet qui gratis eum adiuuet, non tenetur illum quærere, vt benè inquit Nauarrus, etiam ſi habeat multos redditus prophanos, & patrimonij, ad quorum titulum non ſit ordinatus, quia nullo iure tenetur illos impendere in ſeruitio Eccleſiæ, ſed poteſt viuere de redditibus Eccleſiaſticis, & patrimoniales conſeruare quibus voluerit, vt colligitur ex Innoc. & docet Nauarrus: conſulendus tamen eſſet, vt ſocium ad tã pium opus conduceret. Probatur concluſio, quia ratio ob quam excuſatur ægrotus, vel cæcus, à dicendis Horis, eſt quia non poteſt illas dicere, at ſi illas cum ſocio alternatim commodè dicere poteſt, ceſſat ratio excuſans, nam etiam ſanus ſic illas dicens ſatisfacit præcepto, ergo tenetur illas ſic dicere, ceſſante enim cauſa ceſſat effectus. Et confirmatur, quia aliàs ſequeretur, quòd ille qui ſanus, vel aliàs non impeditus, ſolebat dicere Horas cum ſuis familiaribus, excuſaretur ab eis propter tãtillum oculorum dolorem impedientem à lectione horarum, etiam ſi partem ſuã memoriter teneret, quod eſt abſurdum, & nullo modo dicendũ.

Innoc. in cap. Epiſcopus de præben. Nauar. in Apol. de red. eccl. q. 1.

Potens recitare maiorem partem, vel fere æqualem, tenetur.

Secunda concluſio: Ille qui excuſatus non poteſt dicere integras Horas, neq; ſolus, neq; cum ſocio, ſi commodè poteſt recitare illarum maiorem partem, vel ſaltem ferè æqualem, illam recitare tenetur. quæ concluſio patet, quia abſurdum eſt dicere, quòd ille ſit excuſatus ab omnibus Horis, qui, vel propter defectum breuiarij, vel propter caliginem oculorum, non poteſt omnes dicere, ſed poteſt earum maiorem, vel æqualem partem, cũ ſolo diurnali, vel quia illam memoria tenet, & memoriter commodè recitare poteſt, ſimiliter & ille qui obtento beneficio, vel pro-

promotus ad ſacros ordines, neſcit ordinare officium, & ita non poteſt illud recitare ordinatè, quod quouſque illud ordinare diſcat, non teneatur recitare, eo modo, quo poteſt. Et probatur etiã ex dictis, nam ratio huius præcepti Eccleſiaſtici de recitandis Horis Canonicis, non ſolum militat reſpectu totius officij, ſed etiam reſpectu eius partium, & ratio excuſans infirmum, vel cæcum, vel non habentem breuiarium à toto officio, quia illud recitare non poteſt, ceſſat quoad dimidiam eius partem, in illo qui eam recitare poteſt. ergo eam recitare tenetur; quod etiam confirmatur exemplo ſuperius adducto de illo, qui excuſatur à ieiunio, tantum quoad vnam comeſtionem.

Tertia concluſio. Ille qui eſt excuſatus ab Horis Canonicis, & poteſt ſolum earum minorem partem commodè recitare, non tenetur illam recitare. Quæ concluſio etiam patet ex dictis, quia lex poſitiua Ciuilis, & Eccleſiaſtica, illos qui excuſantur à maioribus, vel ferè æqualibus, ſimpliciter liberat, & nõ obligat ad eorum minima, ne laqueum injiciat, ſicut in pręſenti caſu videmus, nullus enim ferè eſt, qui aliquanto tempore Horas recitare conſueuerit, & aliquam earum partem non teneat memoria, & nullus ferè infirmus eſt, qui non poſſit memoriter dicere, ſi non omnia, quæ memoria tenet, ſaltem aliquam eorum partem, & conſequenter cæci, infirmi, & alij qui excuſantur ab Horis, & à maiori, & æquali earum parte, ſemper ſcrupulis torquerentur, ſi ſic ad ea, quæ poſſunt obligarentur. Quanta pars excuſet.

Quarta concluſio. Quanta pats Horarum obliget, & quanta, excuſet, relinquitur arbitrio timoratæ conſcientiæ; ſed generaliter poſſet dici, quòd maior, vel ferè æqualis pars obliget, & minor excuſet. Pro qua notandum eſt, quòd nullo iure determinatur quam magna, vel parua debeat eſſe iſta pars, quæ obligat, vel ab obligatione liberat; Sed prudentis iudicio relinquitur, in quo attendenda eſt ratio præcepti, an eadem militet in toto, & in parte, & attendenda eſt etiam intentio præcipientis, quæ tanquã moralis non reſpicit poſsibilitatem phyſicam, ſed moralem, & tanquam pia nemini laqueum parat, obligando ad minima quæq; illos, qui à maioribus excuſantur, vt ſic in continuo verſentur timore, & præcipue in præceptis Eccleſiæ, quæ eſt benigna mater; ob quam etiam cauſam poſſet generaliter dici cum Nau. quòd maior, vel æqualis pars obliget, & minor ab obligatione liberet, etiam ſi ſit notabilis pars, quia regulariter maior pars trahit ad ſe minorem partem. Illud etiam addam quoad febricitantes, & oculorum, ſeu capitis dolore laborantes, quod Medicorum iudi- Infirmi ſtent medicorum iudicio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cio ſtare debent, nam licet eis videatur quod poſſint recitare Horas, ſi Medici timoratæ conſcientiæ id eis prohibent propter notabile nocumentum, quod inde habere poſſent; illis credere debent, & ſic omittentes non peccant.

De illis qui excuſantur à recitatione officij, an teneantur aliquid aliud eius loco, dicere.

Cap. XI.

Vigore iuris poſitiui ad nihil aliud tenentur.

QVi excuſantur à recitatione officij, de rigore præcepti iuris humani, non tenentur eius loco aliquid aliud dicere, aut facere, ſicut qui die ieiunij ieiunare non poſſunt, non tenentur pro eo eleemoſynis, vel orationibus, vel aliqua alia re compenſare; & eſt communis ſententia, quia cum nullum ius iſtos ad id obliget, nos nõ debemus illos obligare. Verùm cum omnes, qui iure humano obligantur ad Horas Canonicas, teneantur iure naturali, pro honore in ſacris ordinibus ſuſcepto, vel pro redditibus eccleſiaſticis, ad aliquas preces, quibus, & Deo gratias agant, & pro benefactoribus orẽt, non quidem determinatè, ad has, vel illas, aut tantas, ſed generaliter, & indeterminatè; & Eccleſia vigore huius naturalis, & diuinæ obligationis, certas preces, & tempus illas recitandi inſtituerit, & præceperit; Conſulendum eſſet, vt qui illas recitare non poſſunt, compenſent alijs orationibus, vel eleemoſynis, eo modo quo poſſunt; & ego quidem ſacerdotem illum, ſeu beneficiatũ, qui obſuperuenientem cæcitatem non poteſt recitare Horas Canonicas, & cum aliàs ſit ſanus, commodè alias orationes, vel coronas recitare poteſt; & nihil Horarum loco dicere, aut facere vellet, difficile excuſarem, etiã ſi nullum ſit ius poſitiuum, quod illum ad id obliget, quia eſt ius naturale. Sed quia hoc ius nihil determinat, nec qualitatem, nec quantitatem orationis, nec locũ, nec tempus, neminem auderem damnare peccati mortalis, vt etiam inquit Nauarrus, niſi illum finaliter; qui habet perpetuum impedimentum legendi, vt cæcus, & nullam vnquam peculiarem orationem facit ratione huius obligationis, nec ſaltem ſemel mentem ad Deum eleuat, vel orationem Dominicam, aut Angelicam hac (vt diximus) intentione recitat.

Tenentur vigore iuris naturalis.

Nauar. de Hor. Can. c. 11. n. 19.

De pœ-

De pœna non recitantium Horas Canonicas. Cap. XII.

OMittentes Horas Canonicas ſine aliqua rationabili cauſa excuſante; primo peccant mortaliter toties quoties relinquunt, in totum, vel ſecũdum notabilem partem, Et licet qui omittit vno die partem notabilem, & qui omittit omnes horas, comittant vnum peccatum mortale omiſſionis, quia ſeptem horæ ſunt tantum vna oratio, iſte tamen grauius peccat; & peccato commiſſionis toties quis mortaliter peccat, quoties proponit omittere omnes, aut aliquam earum, licet poſtea intra tempus debitum illas recitet, & ſi poſtea non recitat, nouum adhuc omiſſionis peccatum facit. Secundo illi qui habent beneficia, amittunt etiam eorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie diuiderētur, quod ſi relinquunt tantum Matutinum, vel cæteras omnes horas, dimidiam, ſi verò aliquam aliam horarum, ſextam partem fructuum eiuſdem diei amittunt. Quæ pœna extenditur etiam ad illos, qui penſiones, vel alias res Eccleſiaſticas, vt clerici percipiunt, & non recitant paruum B. Virginis officium, vt patet ex Bulla Pij V. ſuper hoc ædita, & reſtitutio fieri debet Eccleſiæ, vel pauperibus, quando non eſt de diſtributionibus quotidianis, quæ debentur illis, qui horis diebus illis interfuerũt, niſi fructus male percepti ſint per aliquod ſtatutum certis operibus pijs applicati, nam reſtitutio illis eſſet facienda. Nec liberatur quis ab obligatione ſatisfaciendi, ſi alteri officium recitare faciat, vel ipſe toties alijs diebus dicat, quoties omiſit, cum hoc ſit onus perſonale, pro quolibet die determinatè; imo illi qui officium reliquit, nō debet iniungi, vt eaſdem Horas repetat, ſed aliqua alia pœnitentia imponēda eſt.

Primo peccant mortaliter. Nauar. de Hor. Can. c. 7. n. 6.

Secundo tenentur reſtituere fructus beneficiorũ.

Non excuſantur.

An illi qui non interſunt Horis Canonicis, pro quibus ſunt quotidianæ diſtributiones, poſſint iure illas percipere, & retinere, ſi ab illis concedantur, quibus ob eorum abſentiam iure debebantur. Cap. XIII.

AD hanc quæſtionem Nauarrus reſpondet, & benè, quinque Concluſionibus, propoſitis prius argumentis, quæ partem affirmatiuam probare videntur. & primum eſt auctoritate Gloſæ c. 1. de Cler. non reſid. verbo ſuas in 6. quæ dicit valere remiſsionē diſtributionum male perceptarum

Nauar. de Hor. Can. c. 22. n. 48. Argumenta pro parte affirmatiua.

ſactam ab eis quibus accreſcebant. 2. quia ille, qui tenetur ad reſtitutionem alicuius rei, abſoluitur ab obligatione, ſi illa res remittatur ab illo ad quem ſpectabat, iuxta Gloſam verbo reſtituatur de reg. iur. in 6. & meritò quia remittens donare videtur. ca. veniens de teſtibus. 3. quia quilibet poteſt de re ſua ad libitum diſponere, ergo, & is cui accreſcit diſtributio poteſt illam donare cui volet, & conſequenter poteſt illam ſibi debenti remittere.

Non poteſt ſtatui de illis remittẽdis. His nihilominus non obſtantibus cum Nauarro, melius tamẽ re declarata, ſequentes concluſiones ponimus. Et Prima ſit. Canonici, vel clerici non poſſunt ſtatuere, neque paciſci de remittendis diſtributionibus in futurum perdendis. probatur; Primo; quia diſtributionum perditio principaliter ſtatuta eſt in fauorẽ publicum cultus diuini, ca. 1. de Cler. non reſ. in 6. At conſenſus priuatorum non poteſt tollere ius publicum. Nec obſtat ſi dicatur, quòd perditio diſtributionum eſt etiam in fauorem intereſſentium, quatenus illis accreſcunt, & quòd ſaltem hac ratione illas remittere poſſunt, Nam quando ius concernit publicam, & priuatam vtilitatem, ſi ſeparari poſſunt, tunc poteſt quis renunciare illi iuri, quatenus concernit propriam vtilitatem; at ſi non poſſunt ſeparari, non poteſt ei renunciari, vt dicit, & probat Sylu. huiuſmodi eſt diſtributionum perditio. 2. quia materia delinquendi tollenda eſt, & non poteſt quis cedere iuri, etiam ob ſolũ, priuatum fauorem inducto, quando ceſſio eſt contra bonos mores, vel inducit ad peccatum, at ſi ſufficeret conſenſus eorum quibus diſtributiones accreſcerent, facilè fieret, vt omnes in abſentia illas perciperent, facilè enim conſentiret vnus Canonicus, ne alius in abſentia perdat, vt alius ſimiliter conſentiat, ne & ipſe perdat cum abſuerit, & ita omnes delinquerent. 3. probatur à ſimili, quia in cap. ſtatutum de reſcri. in 6. ſtatuitur, ne Delegatus Apoſtolicus aliquod munus accipiat à partibus, nec participet cum notario, vel aſſeſſore de lucro, & quòd ſi aliquid contra illam cõſtitutionem receperit, ad integram ipſius reſtitutionem teneatur, nulla eorum quibus reſtitutio facienda fuerit remiſſione vllatenus profutura. Ecce vbi non poteſt quis etiam remittere, & donare, quod ſibi reſtituendum eſt. 4. quia hoc videtur expreſſum in Concilio Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. vbi dicitur. Diſtributiones verò qui ſtatutis horis interfuerint recipiant, reliqui quauis colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant.

Syl. v. Renunciatio §. 4.

Secunda concluſio. Nulla colluſione, machinatione, vel doloſa inuentione, effici poteſt, vt ille non teneatur reſtituere diſtributiones,

tiones, qui cùm nõ interfuerit diuinis ſtatutis temporibus, ideſt extra tempus quietis omnibus cõceſſum, indebitè eas percepit. Diximus extra tempus quietis omnibus cõceſſum, propter quãdam quarundam Eccleſiarum conſuetudinem, & cõſtitutionem ab Apoſtolica etiam ſede approbatam, nam communiter Canonici, Beneficiati, & alij Choro ſeruientes, ſolent alternis hebdomadis ſeruire, & qui extra propriam hebdomadã interſunt diuinis, habent quidem meritum apud Deum, ſed nullas percipiunt diſtributiones, ob quam etiam cauſam illis diebus ad Chorum non accedunt, ex quo diminuitur diuinus cultus, nam extra dies ſolenniores pauci interſunt diuinis, & Canonici non ſolum alternis hebdomadis abſunt à Choro, ſed etiam poſſunt frui beneficio iuris communis, & tribus menſibus extra reſidentiam ob propria negocia imorari, quibus etiam diſtributiones omnes amittunt. Vt huic incomodo obuietur, ad maius diuini cultus augmentum, in quibusdam Eccleſijs collegiatis in quibus eſt copioſus Canonicorum numerus, vt omnes, aut ſaltem ferè omnes quotidie diuinis interſint, ſingulis diebus, pro omnibus ſunt diſtributiones, quæ etiam ob hanc cauſam ſunt minores, & cum quotidie omnes ad Chorum accedant, eis conceditur, vt tribus menſibus à iure conceſsis ſingulis annis poſſint abeſſe, & nihilominus diſtributiones percipiant, dummodo extra illud tempus diuinis interſint; Et ne occupatus mane, omittat ire poſt prandiũ ad Chorum, ex eo quod integer dies illi computatur ad abſentiam, ad maius etiam diuini cultus augmentum, & ad tollendas occaſiones ne ſine rationabili cauſa Canonici omittant accedere ad Chorum, vt ſic magis eorum conſcientijs conſulatur, menſes non ſolum diuiduntur quoad dies, ſed etiam quo ad horas; quò fit vt ultra tres mẽſes, nullus ferè abſit à Choro, & quotidie ferè omnes diuinis interſint, nã rarò cõtingit, quòd plures eodẽ die, & eadem hora ſint occupati, omnes enim quietem eis conceſſam differunt, vt diebus quibus occupati ſunt illam accipiant, ne diſtributiones amittant. At vbi eſt paruus Canonicorum numerus hoc non fit, vel ita fit, vt etiam ſtatuatur, & prouideatur, quòd ſemper ſaltem dimidia Canonicorum pars, & diebus ſolemnioribus omnes diuinis interſint; Et qui hoc quietis tẽpore abſunt, licitè percipiũt diſtributiones illorum dierum, tum quia hoc ſtatutum eſt non in detrimentum, ſed in euidens augmentum cultus diuini, vt diximus; tum etiam quia propter has diſtributiones, aliorum dierum quibus inſeruiunt diſtributiones ſunt minores, nam ſi alternis hebdomadis inſeruirent, eſſent maiores, qua-

De ſtatutis quarũdã eccleſiarum.

re tunc

re tunc potius percipiunt diſtributiones alijs diebus eis debitas, ſecundum communem conſuetudinem inſeruientium alternis hebdomodis, & conſequenter iſte caſus, ab Apoſtolica etiam ſede confirmatus; non eſt excluſus, ſed eſt potius compræhenſus in cap. 1. de cler. non reſiden. illis verbis [aut euidens Eccleſiæ vtilitas excuſaret] Nec etiam tollitur per Concilium Trid. nam intelligitur de diſtributionibus quas abſentes iure non lucrantur, & ſe refert ad d. cap. 1. de Cler. non reſ. & de iſtis eſt hæc noſtra ſecunda concluſio, quæ probatur eiſdem rationibus, quibus & præcedens.

Non poſſunt remitti.

Tertia concluſio. Poſt Concilium Tridentinum diſtributiones in abſentia indebitè perceptæ, ante earum reſtitutionem non poſſunt remitti ab illis quibus deberentur. probatur quia Conciliũ perinde vetat remiſſionem, ac colluſionem, cum ergo non poſſint remitti, debent reſtitui, Vnde Gloſa in contrarium citata, eſt ſublata per Conc. Trid. nam ideo Gloſa illa aſſeruit, quòd diſtributiones in abſentia perceptæ poſſent remitti, quia earum remiſsio non erat prohibita, cum ergo hodie ſit prohibita, non habet amplius locum illa Gloſa, & ruunt contraria argumenta.

Quarta concluſio ad idem.

Quarta concluſio. Diſtributiones reſtitutæ cum pacto de poſtea donando, non poſſunt reddi reſtituentibus, ita quòd illas retineant, ac ſi iuſtè lucrati fuiſſent. probatur quia, qui ſic reſtituit in effectu idem eſt ac ſi non reſtitueret, nam qui habet actionem ad rem, videtur habere rem, & qui ſic ſoluit, vt recipiat, non liberatur.

Recitatæ, & poſtea liberè donatæ poſſunt retineri.

Quinta concluſio. Si diſtributiones malè acquiſitæ, bona fide ſine dolo, & fraude reſtituuntur illis quibus accreuerunt, & illi poſtea liberè ſine dolo, metu, & alia coactione, ex charitate, & beneficentia redderent eas reſtituentibus, præſertim intuitu paupertatis vel pietatis, illa redditio valeret. Probatur primo, quia quando eſt aliquod ius particulare, quod recedit à iure communi, & regulari, illud particulare non eſt extendendum, & trahendum in conſequentiam, ſed potius reſtringendum; at iura quæ prohibent remitti debitum, ſunt exorbitantia à iure communi, & regulari, vt probant argumenta in cõtrarium pro parte affirmatiua adducta, ergo non ſunt extendenda ad donationem rei iam reſtitutæ, & ſolutæ. Probatur ſecundo auctoritate Gloſæ in cap. Statutum. §. ſi quid autem, de reſcrip. in 6. quæ hoc, in caſu ſimili expræſſe tenet, & communiter recipitur, nam ibi ſtatuitur, ne iudex accipiat munera à partibus, & ſi aliquid contra illam conſtitutionem receperit, ad integram ipſius reſtitutionem teneatur,

De regul. iur. in 6. reg. 15. & 18.

Vbi

Vbi quærit Gloſa; Quid ſi poſtquam iudex reſtituit, pars illi dónet, an poſſit accipere, & reſpondet, quòd ſic, dummodo id non fiat in fraudem, & rationem reddit, quia ibi prohibetur remiſſio, & non donatio rei propriæ ſibi iam reſtitutæ; nam licet largo modo paria ſint remittere, & donare, propriè tamen differunt, nam facilius quis remittit quàm donat, & remiſſio facilius præſumitur fraudulenter fieri, quam donatio, vnde mulieri conceditur donatio, & non fideiuſſio, quia non eſt tam facilis ad donandum, quam ad fideiubendum, & in matrimonio prohibetur pœna, & non arra, quia facilius promitteret quis centum nomine pœnæ, quam daret decem nomine arræ.

Quomodo concilientur duæ Concilij Tridentini auctoritates. Cap. XIIII.

DVæ ſunt Concilij Tridentini auctoritates, quæ videntur contrariæ, nam ſeſſ. 21. de reformatione cap. 3. dicit omnes diſtributiones abſētibus amiſſas, accreſcere præſentibus, & intereſſentibus, & ſeſſ. 22. c. 3. dicit aliquas diſtributiones quotidianas ab abſentibus amiſſas debere applicari fabricæ, vel alteri loco pio. Miniſtri fabricæ vellent vigore huius poſterioris capituli diſtributiones amiſſas eis applicari, ſed ob hoc capitulum nullum ius habent. Verùm vt prius concordemus iſta duo Capitula, notandum eſt cum Nauarro, quòd cùm diſtributiones ſunt de fructibus communibus, & de communi maſſa, tunc diſtributiones quas amittunt abſentes, debent accreſcere præſentibus, & intereſſentibus; quia ſunt de communibus fructibus pro officijs ab omnibus communiter faciendis, & ſic intelligitur cap. 3. ſeſſ. 21. At aliquando conſtituuntur extraordinariæ diſtributiones, quæ non ſumuntur de communi maſſa, ſed de redditibus particularibus dignitatum, perſonatuum, & officiorum, & lucrantur ab eis ſolum qui illa habent, ſi exercuerint diuina officia per Epiſcopos eis aſſignata, & iſtæ diſtributiones extraordinariæ cùm amittuntur, non debet accreſcere alijs, quia ſunt de fructibus particularibus præfatarum dignitatum, perſonatuum, & officiorum, & pro officijs ab eis ſolis faciendis; & de iſtis loquitur, c. 3. ſeſſ. 22. & quãuis iſtæ diſtributiones amiſſæ non accreſcant alijs intereſſentibus, non tamen ob id ſunt ipſo iure applicatæ fabricæ; Sed in poteſtate ordinarij eſt, illas fabricæ, vel alteri pio loco applicare.

Nauar. de Hor. Can. c. 22. n. 51

PRIMAE

PRIMAE PARTIS DE OFFICIO SACERDOTIS.

LIBER SECVNDVS.

DE SACRIFICIO MISSAE.

Quæ requirantur ad Miſſæ celebrationem, & primo ex parte celebrantis.

Cap. I.

OMNIA quæ ad ritè celebrandum requiruntur, ad ſeptem capita reduci poſſunt; nimirum ad Celebrantem, ad ipſam Miſſam, ad numerum, ad tempus, ad locum, ad circunſtantes, & ad eos pro quibus celebratur.

Ex parte celebrantis. Celebrans debet eſſe Sacerdos, in habitu, & tonſura incedens, nulla Eccleſiaſtica cenſura impeditus, ieiunus, ieiunio naturali, ita vt poſt mediam noctem nihil prorſus, etiam per modum medicinæ ſumpſerit, etiam ſi fuerit ita parum, quòd ſit digeſtum, & poſtea dormierit. Quoad illa autem, quę medicinæ cauſa detinentur ore, & poſtea expuuntur, ſi eorum ſuccus deglutitur, vt eſt radix liquiritiæ, impediunt Miſſæ celebrationem; nec obſtat ſi dicatur, quod ſuccus per modum ſaliuæ deſcendit, nam ſumũtur propter illum ſuccum, & vt eorum ſuccus deglutiatur, & conſequenter frangitur ieiunium naturæ. At ſi nihil deglutitur, ſed per ſolam detentionem in ore, habent vim attrahendi, & prouocandi ſputum, vt eſt maſtix, non impediunt, ſicut nec gargariſmus; quia cum nihil prorſus deglutiatur, non frangitur ieiunium naturæ.

Sit ieiunus. De detentis in ore.

Concil. Trid. Si aliquo mortali peccato ſe grauatum ſenſerit, debet prius cõfiteri; quòd ſi non habuerit copiam Confeſſoris, & ſine ſcandalo, Miſſæ celebrationem relinquere non poteſt, ſufficiet ei contritio, cum propoſito quam primum confitendi.

Sylu. V. Miſſa. q. 6. Nauar. in Man. c. 25 nu. 83. Debet prius recitare ſaltem Matutinnm cum Laudibus, aliàs peccat mortaliter faciens contra generalem Eccleſiæ conſuetudinem, niſi illum excuſet repentina neceſſitas ad euitandum graue aliquod damnum, aut ſcandalum.

An

An ad communicandum infirmum in extremis laborantem poſſit non ieiunus celebrare; Vbi etiam tractatur, An Communicare ſit de iure diuino; & an ius diuinum obliget in articulo mortis; & an etiam obliget Sacerdotem ad communicandum infirmum in extremis exiſtentem. Cap. II.

DVbium hoc, eſt ſolum de extrema neceſſitate, quando infirmus laborat in extremis, & non fuit conſeruatum ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum, nec reperitur Sacerdos ieiunius, An tunc Sacerdos non ieiunus poſſit celebrare, vt communicet infirmum illum. Et communiter tenetur, quòd non poſſit, ita tenet Petrus de Palude, quem reliqui ſequuntur Tur. Cre. Sylu. Sotus & alij. Sed contra hanc ſententiam eſt vnum ſatis efficax argumentum, quia in articulo mortis de iure diuino tenemur ſumere Chriſti Corpus, & præceptum, quòd Sacerdos non celebret niſi ieiunus, eſt Eccleſiaſticum; ſed quando præceptum eccleſiaſticum concurrit cum præcepto diuino, obſeruandum eſt præceptum diuinum, & ceſſat obligatio præcepti Eccleſiaſtici, ergo, vt communicetur exiſtens in articulo mortis iuxta præceptum diuinum, poterit Sacerdos non ieiunus celebrare. Ad hoc argumentum reſpondet Sotus, quòd ſumere Sacramentum in articulo mortis, fortè non eſt præceptum diuinum, ſed ſumere ſemel in vita; ſumere autem in articulo mortis eſt neceſſarium, ſi ſecundum ritum Eccleſiæ ſumi valet, alioquin cum non ſit Sacramentum neceſſitatis, non eſt miniſtrandum. Sed Sotus hac ſua reſponſione ſibi contradicit, nam paulò inferius art. xj. tenet, & probat, quòd communicare in articulo mortis ſit de iure diuino, & conſequenter argumentum apud ipſum, vt concludens in ſolutum remanet.

Sententia cõmunis.

Pet. 4. ſ. d. 8. q. 2. Tur. Cre. de conſ. d. 2. in cap. liquido. Sylu. V. Miſſa. §. Sot. 4. ſ. d. 12. q. 1. ar. 8.

Cõtra cõmunẽ efficax argumentum.

Reſpõſio Soti.

Cõtra Soti ſolutionẽ ex eodem. diſtin. 12. art. 11.

Iſta quæſtio non fuit hucuſq; ex profeſſo tractata, & qui hoc dubium mouent, contenti ſola auctoritate Petri de Palude, ſine alia diſcuſſione ex alterius potius ſententia, quam ex propria loquuntur, & ita ſententia quæ videtur communis, ita eſt communis, vt ſit vnius priuati doctoris, cuius auctoritas, licet ſit magna, non eſt tamen tanta, vt neceſſariò ſit ſequendus. Non vt tot Doctoribus me opponam, ſed vt quæ mihi difficultatem faciunt, pro rei veritate alijs ſoluenda proponam, videbimus: An ſumere Chriſti Corpus ſit de iure diuino, & ſi eſt, quando ius diuinũ obliget; Et ſi obligat in articulo mortis, An Sacerdos eodem

Tres quæſtiones tractãdæ.

iure

iure teneatur infirmo in extremis laborãti dare Chriſti Corpus.

Prima ſententia. Alex.4.p. q.51.m.4. Bon. 4. d. 12.ar. vlt. q.1. Gab. in Can. lect. 87. Caiet. 3. p.q.80.ar. 11. S.Th.4.ſ. d.9.art. 1. q.q. 2. Sylu.v.Euch. 3. §.1.

Circa primum eſt quorundam opinio, quòd laici quantum eſt ex inſtitutione Euchariſtiæ, non tenentur de neceſſitate ſalutis il lam ſumere, ſed ſolum tenentur ex ſtatuto Eccleſiæ cap. Omnis vtriuſq; ſexus. ita tenet Alex. cui conſentiunt S.Bon. Gab. Caiet. S.Tho. in 4. & Sylu. Sed contraria ſententia proculdubio eſt vera, & tenenda. ſ. quòd adulti iure diuino tenentur communicare, & non ſolum Sacerdotes, ſed etiam omnes laici. ita tenent. S. Tho. Dur. Palud. Sotus & alij, & vt omittamus rationes Durandi, & Petri de Palude. S. Thomas hoc probat Primo, ex illis verbis Chriſti Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem, quæ habent vim præcepti, quod (vt inquit Sotus) non eſt tantum de celebrando, ſed etiam de miniſtrando Sacramentum populo; ſicut & Chriſtus miniſtrauit diſcipulis, & conſequenter obligat laicos ad ſumẽdum illud. Probatur ſecundo, Ex illis verbis Chriſti Io. 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, quod non ſolum intelligitur de ſumptione in voto, ſed etiam de reali; nam votum eſt propoſitum ſumendi, & fruſtra præciperetur votum, ſi etiam non præciperetur realis ſumptio, quando commoditas adeſt. Probatur adhuc tertio, ex Soto, quia Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum tanquam cibum, & potum ſpiritualis vitæ, ſicut, & Baptiſmum ad ipſam progignendam, ergo ſicut dedit nobis præceptũ Baptiſmi; ita firmiter credendum eſt dediſſe nobis præceptum huius Sacramenti, nam licet non ſit ita ſimpliciter neceſſarium, vt baptiſmus, eſt tamen eatenus neceſſarium, vt abſq; illo non commodè, imo vix vitam ſpiritualem ſuſtentare poſsimus, quòd non ſic eſt de Confirmatione. Quarto, Euchariſtia eſt Sacramentum charitatis, quæ eſt vinculum perfectionis, & eſt finis aliorum Sacramentorum, ergo cum Chriſtus dederit præceptum de Baptiſmo, & de Pœnitentia, non eſt credendum, quòd hoc reliquerit ſine præcepto. Quinto, quia Eccleſia eodem tenore dedit præceptum Sacramenti Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ; ſed Sacramentum pœnitentiæ non ſolum præcepit tanquam de iure poſitiuo, ſed determinando tempus præcepti diuini, ergo idem cẽſendum eſt de Sacramento Euchariſtiæ.

Secunda ſententia. S.Th.3.p. q.80.ar.11. Dur. 4.d. 9.q.2. Palud. 4. d.9.q.1. Sot. 4. d. 12.q.1.ar. 11. Quod cõmunicare ſit de iure diuino.

Quando obliget iº diuinum.

Videndum nunc eſt, quando hoc diuini iuris præceptum nos obliget. Sotus dicit Palud. & aliorum ſentẽtiam eſſe, quòd obligat ſemel in vita, & ſaltem in articulo mortis; quam ſententiam Sotus meritò tanquam falſam reijcit.

Quod o-

Sed quod magis ad rem facit eſt: An ius diuinum obliget in arti-

articulo mortis. Et Sotus ibidem tractans hoc dubium tenet ius diuinum tunc obligare, & probat primo. Quia vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo eſt, quòd infirmis detur viaticum, & ſic per totum orbem Chriſtianum inuiolabiliter ſeruatur, & ſemper ſeruatum fuit, quod eſt maximum argumentum, ex Apoſtolorum traditione tanquam iure diuino, hoc præceptum deſcendiſſe. Secundo, ex auctoritate Concilij Niceni, & habetur 26. q. 6. cap. De his, vbi dicitur, cum quis recedit ex corpore, antiquæ legis regula ſeruetur, nempè vt neceſſariò vitæ ſuæ non defraudetur viatico. Vbi ponderat Sotus nomen antiquæ legis, & neceſſariò, quibus videtur inſinuari præceptum. ad quod inducit etiā alios canones, quibus admonetur, vt in articulo mortis nemini denegetur communio. Et confirmat etiam ex Innoc. lib. 4. myſteriorum Miſſæ, vbi inquit: Neceſſariò ſumendus eſt agnus, vt à vaſtante angelo protegamur, neque exire poſſumus de Aegipto, niſi celebrando phaſe, paſchalem agnum edamus. Et ex hyſtoria, quam Euſebius refert Dioniſij Alexandrini Epiſcopi ad Fabianum, de quodam Serapione, qui dum lethali ægritudine iaceret, ſentire ſe dixit detineri, vt mori non poſſet, quia Euchariſtia ei non præbebatur, quam cum aſſumpſiſſet (quaſi catenis uinculiſq; diſruptis) animam exhalauit, ex quo idem Dionyſius infert, neminem in articulo mortis debere tāto beneficio defraudari. Tertio, Suppoſito quòd communicare ſit de iure diuino, vt oſtendimus, probo, quod ius diuinum maximè obliget in articulo mortis, & non abſolutè ſemel in vita, quia ius diuinum in ſuis præceptis non limitat tempus, ſemper tamen obligat in articulo neceſſitatis, vt patet in præcepto de eleemoſyna, & de alijs omnibus, quæ sūt de iure diuino, & eſt communis ſententia. Sed non poteſt inueniri maior neceſſitas ſumendi Sacramentum Euchariſtiæ, quam ſit in articulo mortis, vt per ſe patet, ergo ius diuinum tunc maximè obligat. Et confirmatur primo, quia Euchariſtia ratione huius extremæ neceſsitatis habet nomē peculiare, & dicitur viaticum. Confirmatur ſecundo, quia quoad ius diuinum eadem eſt Confeſſionis, & Communionis ratio. Sed cum occurrit probabile periculum mortis, omnes qui aliquo mortali peccato ſe grauatos eſſe ſentiunt, ſi poſſunt tenentur iure diuino confiteri, ita tenent S. Tho. Petrus de Palude Sylu. & eſt communis ſententia, ergo eadem ratione in periculo mortis exiſtens, iure diuino communicare tenetur, ita etiam tenent Tabiena, & Ang. & Petrus de Palude, licet videatur aſſerere, quòd ius diuinum obliget ad cōmunicandum ſemel in vita, tamen cum poſtea quærit, an ille qui eſt

bliget in articulo mortis.

Euſeb. lib. 6. Eccleſ. hiſt. c. 34.

S. Thom. q. lib. 1. ar. 11.
Palud. 4. d. 17. q. 2.
Syl. v. Cōfeſſio 1. §. 3.
Tab. v. cōmunicare §. 13.
Ang. v. Eucharis. §. 1
Palud. 4. d. 9. q. 1.

eſt moriturus, ſi illo anno communicauit in Paſchate, teneatur iterum communicare, reſpondet & benè, ſed parum ſibi cōſtans; quòd ſi non eſt multum, quòd communicauit, quia ſ. eadem heb domada qua communicauit, infirmatus eſt ad mortem, non tenetur, at ſi diù eſt, quòd non communicauit, tenetur communicare, vt ſatisfáciat præcepto diuino, & toties debet communicare, quoties in idem mortis periculum incidit.

Cum ergo in articulo mortis iure diuino teneamur communicare, Sequitur, quòd ſi poſt prandium accidat huiuſmodi articulus neceſſitatis, & non poſſit expectari, & nulla reperiatur Hoſtia conſecrata, quod Parochus ad communicandum illum infirmū poterit celebrare; Et ad augendam difficultatem, pono, quod ille qui eſt in extremis nunquam toto vitæ ſuæ tempore communicauit. . Probatur, quia quando concurrunt duo iura incompatibilia, ſemper fortius præualet, & inferius illo caſu non obligat, & hoc non ſolum de iure humano, & Eccleſiaſtico, ſed etiam de iure diuino: vt integritas confeſsionis eſt de iure diuino, ſed ſi quis per confeſsionem vnius peccati, vel circunſtantiæ infamat proximum, vel incidit in periculum animæ, vel corporis, & non habet copiam alterius confeſſoris, poteſt illud peccatum, ſeu illam circunſtantiam omittere, quia integritas confeſsionis eſt de iure diuino poſitiuo, & alia pertinent ad ius diuinum naturale, quod eſt fortius. At in præſenti caſu, ne iſte infirmus ſumat Chriſti Corpus, prout iure diuino tenetur, obſtat ſolum pręceptum Eccleſię, quæ non vult, quod illi qui non ſunt ieiuni celebrent. Sed ius diuinum fortius eſt iure Eccleſiaſtico; ergo in iſto caſu ceſſat præceptum Eccleſiaſticum, & præualet diuinum, & Eccleſia non intē dit in iſto caſu obligare: Et confirmatur, ſi ſacerdos, conſecrata hoſtia, moriatur, vel ita infirmetur, vt non poſsit vlterius progredi, Miſſa per alium etiam non ieiunum perficienda eſt, ſi deſit ieiunus, vt ſequenti capitulo dicemus, quia maioris momenti eſt præceptum de Miſſa poſt conſecrationem per alium præsbiterū perficienda, quod eſt diuinum, aut diuino proximum, quam de communicando ieiunè, quod eſt humanum.

DIcet aliquis, ius diuinum obligat infirmum, vt communicet ſi poteſt in articulo mortis, at non obligat Sacerdotem, vt illum communicet, & propterea ad illum communicandum non debet celebrare contra præceptum Eccleſiæ. Reſponderi poſſet, quòd ius diuinum ſaltem obligat illius parochum qui illi Sacramenta adminiſtrare tenetur, & illo abſente fortè etiam alios, vel ſaltem alij ſi voluerint celebrare, excuſabūtur à præcepto Eccleſiæ.

Et eſt

Et eſt inſtantia manifeſta de Confeſsione, ad quam iure diuino tenemur in articulo mortis, in quo caſu quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, imo excommunicatus, & degradatus poteſt abſoluere in extremis laborantem ab omnibus peccatis, & cenſuris, etiam ſedi Apóſtolicæ reſeruatis, non ſecus ac Summus Pontifex, ſi non ſit alius qui illius confeſſionem audire poſſit. Dicet aliquis, quòd Sacerdos excommunicatus, & degradatus habet in illo caſu facultatem abſoluendi à Pontifice. Reſpondetur, ꝙ etiam ſi illam non haberet ab Ecclesia, ſeu Pontifice, nihilòminus poſſet audire illius confeſſionem, & illum abſoluere, facultate ei à iure diuino conceſſa, per hoc quod ille iure diuino tenetur confiteri; ita tenent S. Thom. Petrus de Palude, & Capreolus. Et ſi diceretur cum Durando, & Soto, quod alij non proprij Sacerdotes, imo etiam excommunicati habent hanc auctoritatem ex conceſſione Eccleſiæ, & quod aliàs non poſſent in articulo mortis abſoluere, hoc etiam non obſtaret caſui noſtro, nam id aſſerunt, non propter ius poſitiuum, quòd illis prohibet audire confeſſiones, ſed propter ius diuinum, nam iure diuino ad abſoluendum requiritur duplex poteſtas, ordinis ſ. & iuriſdictionis, & poteſtatẽ iuriſdictionis eis Chriſtus communicandam reliquit, qui illam ordinariè habent; at ad celebrandum nõ requiritur niſi poteſtas ordinis.

S. Tho. 4. d. 20. ar. 1 q. 2. Palud. 4. d. 20. q. 1. Capr. 4. d. 19. Dur. 4. d. 18. q. 1. Sot. 4. d. 18. q. 4. ar. 4.

Sed prior ſententia mihi magis placet, & negari non poteſt quin ſit probabilis, ne dicam probabilior, & vera, cum tot Doctores inſignes illam teneant, & ſit etiam rationi conſona, quia ſicut ius diuinum obligat iſtum in extremis laborãtem, vt confiteatur; ita etiam obligat illum, cum non ſit alius, vt eius confeſſionẽ audiat. Et confirmatur primo. Quia ꝙ iure diuino teneantur cõfiteri, ſic probant Doctores ex illis verbis Chriſti, quorũ remiſeritis peccata, &c. Si dedit eis poteſtatẽ remittẽdi, & retinẽdi peccata, ergo conſequenter obligauit omnes, vt illa confiterẽtur. Eodẽ modo ego argumentor, ius diuinũ obligat in particulari iſtũ, qui eſt in extremis, vt cõfiteatur, ergo etiã obligat Sacerdotẽ ibi præſẽtẽ ſi alius haberi nõ pôt, ut illius cõfeſſionẽ audiat. Confirmatur ſecundo: Quia vnicuiq; mãdauit Deus de proximo ſuo. Nec obſtat ſi dicatur, ꝙ in tali caſu ei ſufficit cõtritio, nã fortè erit ſolũ attritus, & Sacramentum facit de attrito contritum. Et ſi aliquis dicat eſſe diuerſam rationem de abſolutione, & de celebratione, nam ſi non ieiunus celebraret eſſet periculum irreuerentiæ, in audiendo autẽ cõfeſſionem, nullũ eſt periculum. Reſpondetur hanc ſolutionem eſſe nullam & fugam. Primo, quidẽ quia maius periculum eſt ex parte infirmi, & tamen Eccleſia con-

cedit, quòd infirmi non ieiuni communicent, & ſicut infirmi, qui patiuntur vomitum excuſantur à præcepto, ita etiam excuſaretur Sacerdos ebrius, & tumulentus; at nos loquimur quando nullum eſt huiuſmodi irreuerentiæ periculum. Secundo, Quo etiã confirmatur iſta ſententia, quia in primitiua Eccleſia die iouis maioris hebdomadę celebrabatur Miſſa à nõ ieiunis, in memoriã (vt inquit S. Thomas) inſtitutionis huius Sacramenti, & Concilium carthaginenſe, præcipiens Sacramenta Altaris non celebrari niſi à ieiunis, excipit diem illum anniuerſarium, quo cęna Domini celebratur. Dicet aliquis, quod iſto caſu ſufficiet infirmo Euchariſtia in voto, cum illã non poſſit habere ſecundum ritum Eccleſiæ. Reſpondetur primo: Quòd idem etiam poſſemus dicere de Confeſſione, quòd ei ſufficiet contritio, & votum confeſſionis, ſi adſit ſolum Sacerdos, qui non ſit vnus ex approbatis. Reſpondetur ſecundo, Quòd licet ei ſufficiat votum, ſi non ei detur Euchariſtia, quia ad impoſſibile nemo tenetur, non tamen ob id excuſatur Sacerdos illum non communicans, cum ſuccurratur iure diuino, cui cedit ius Eccleſiaſticum, ne tanta gratia, & tam neceſſario priuetur viatico.

S. Thom. 3. p. De conſ. d. 1. ca. Sacramēta.

Propter iſtas forſan rationes Ioannes Maior, vt refert Sotus, dixit, quòd propter infirmi neceſsitatem licet Præsbytero poſt prandium conſecrare, clanculo tamen, ſine veſtibus Sacris, & ſine Miſſa, per ſola verba conſecrationis, ita vt Sacramentum non ſumat, ſed ad infirmum deferat; & ſi non eſſet hoſtia ex azimo poſſet (inquit) buccellam panis fermentati conſecrare. Quæ omnia Sotus repræhendit. Et iuxta rationes adductas illa, quæ dicit Maior intelligenda eſſent, quando tanta vrgeret neceſſitas, ꝙ non poſſet expectari donec Sacerdos ſacris induatur veſtibus, & omnia ſecundum communem ritum perficiat. Quòd autem dicit, quod conſecret, & non ſumat, videndum eſſet an id ſit contra ius diuinum, & quod non ſit probari poſſet ex illorum ſententia, qui dicũt, Chriſtũ dediſſe duobus diſcipulis euntibus in Emaus corpus ſuum, ſub ſolis ſpeciebus panis, quando cognouerunt eũ in fractione panis, & aperti ſunt oculi eorum, tunc enim Chriſtus panem ſolum conſecrauit, nihil enim legitur de calice.

Maior. 4. ſ. d. 9. q. 3.

Sed cum omnes quos vidi, qui hoc dubium tractant, dicant, nec etiam propter hunc extremæ neceſſitatis caſum licere Sacerdoti non ieiuno celebrare, & hoc ſolum propter auctoritatem, & rationem Petri de Palude, ponderemus etiã eorũ rationẽ: Petrus de Palude quem, vt diximus alij ſequuntur, hac ſola ratione probat, quia quòd non ieiunus celebret, & quòd non ieiunus commu-

impnicet, eſt prohibitum à Papa, & vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine, ergo ſolus Papa, vel generalis conſuetudo poteſt diſpenſare; Sed inuenitur permiſſum de communione in neceſſitate, non ſic autem de celebratione, imo quando licet pluries celebrare; non eſt ſumenda lotio, quæ ſoluit ieiunium, ergo in nulla neceſsitate licet non ieiuno celebrare: Et qui illum ſequuntur nullam aliam reddunt rationem. Verùm facilè reſpondetur, quòd hic caſus eſt potius imaginarius, cum Euchariſtia in omnibus Eccleſijs curatis, & in alijs etiam ſemper ſeruetur, & propter infirmos & ut à Chriſti fidelibus adoretur, Et ſi hoc dubium tractatur, eſt potius, vt conſideretur res ipſa, quam vt ſubueniatur caſui occurrenti, quare de hoc nullum debuit eſſe Pontificis, aut Concilij decretum, nec vlla poteſt eſſe conſuetudo, ſed ſoli rationi inſiſtendum eſt; debuit autem eſſe de communione, quia caſus paſsim occurrit, & exceptio de communione non eſt ſimpliciter conceſſio, aut permiſsio, ſed declaratio iuris diuini, cui cedit ius poſitiuum; quæ declaratio eſt ſuperflua ex parte celebrantis, quia ſatis prouiſum eſt per hoc, quod Euchariſtia ſemper ſeruatur, ita vt talis caſus nunquam ferè occurrere poſsit, Et ſi occurreret, & conſuleretur ſummus Pontifex, aut Concilium, credo quod ita declararent: Et ita declarant Doctores, quando Sacerdos poſt cõſecrationem hoſtiæ non poteſt perficere, & non inuenitur ieiunus, quia hic caſus poteſt accidere: Nolo tamen à communi ſententia diſcedere, & in hoc cum Maiore eſſe ſingularis, & hæc quæ dixi, & quæ mihi etiam maximam difficultatem faciunt, per modum diſputationis accipiantur, & à doctioribus ſoluantur, à quibus libenter diſcam.

Quæ requirantur ex parte Miſſæ, & quid ſi celebrans non poteſt illam perficere, aut ſi in calice fuit poſita aqua loco uini.

Cap. III.

MIſſa celebrari debet ſecundum ritum ordinarium, ſeu rubricas Miſſalis, tam in dictis, quã in factis. Luminaria ſaltem aliqua debent eſſe cerea. Sacerdos temerè celebrans capite cooperto, peccat mortaliter, quia eſt communione priuandus, de conſ. d. 1. ca. Nullus Epiſcopus; Sed quia in dicto capitulo dicitur communione priuandos eſſe illos, qui temerè celebrant capite cooperto, Doctores excuſant illos,

qui ſanitatis cauſa id faciunt. Sed debent nihilominus ab Epiſcopo, vel eius Vicario diſpenſationem petere, vt patet ex his, quæ dicuntur in Miſſali romano de defectibus ex parte miniſtri, & iſti nihilominus à conſecratione vſq; ad ſumptionem debent eſſe capite diſcooperto.

Vnus ſaltem debet eſſe præſens, qui inſeruiat, & nõ ſit mulier, Sed ut ex Hug. & Innoc. inquit Tur. Cre. in neceſsitate mulier poteſt reſpondere, vt faciunt Moniales; non tamen debet accedere ad altare, ferre librum, dare aquam ad manus, & ponere vinum, & aquam in calice pro ablutione, ſed hæc, & huiuſmodi, quæ ad miniſtrum pertinent, faciat Sacerdos qui celebrat. In neceſſitate etiam poſſet Sacerdos ſine aſsiſtente celebrare, ſi. ſ. eſſet recluſus ſolus, vt ex Alex. de Ales inquit Tur. Cremata.

Tur. Cre. de conſ. d. 1. in c. hoc quoq; 23. diſt. c. ſacratus.

Debet etiam celebrari Miſſa ſine vlla ſuperſtitione circa numerum Miſſarum, candelarum, &c. Et incæpta, vſq; ad finem perfici debet; Quod ſi celebranti ſuperuenit mors, vel grauis infirmitas, vt illam perficere non poſſit, alius Sacerdos perficiat: Sed ſi impedimentum hoc ſuperuenit ante conſecrationem, poteſt quidẽ per alium ſuppleri, ſed non eſt neceſſarium, Si poſt conſecrationem, puta conſecrato corpore, ante conſecrationem ſanguinis, vel conſecrato vtroq; ante ſumptionem, ſi reperitur Sacerdos, qui ſuppleat, debet omnino ſupplere, & abſolui, & qui ſupplet ibi incipiat vbi alter reliquit, quòd ſi neſcitur vbi reliquerit, Si reliquit antè conſecrationem, cæpto canone, incipiat à Canone, ſi reliquit poſt conſecrationem, incipiat à ſecretis, quæ immediatè ſequuntur poſt conſecrationem, Si reliquit poſt conſecrationem corporis ante conſecrationem, vel in ipſa conſecratione ſanguinis, incipiat à ſimili modo poſtquam cęnatum eſt, &c. Super eodem vino. Et ſi Sacerdos deficit ante conſecrationem, cum non ſit neceſſarium ſupplere, Sacerdos ſupplens debet eſſe ieiunus, at ſi deficit poſt conſecrationem, & non adeſt niſi Sacerdos non ieiunus, Gloſa inquit illum non debere ſupplere, ſed contrarium tenendum eſt cum Tab. Soto, & Nau. quia maioris momenti eſt præceptum de Miſſa poſt conſecrationem per alium Sacerdotẽ perficienda, quod eſt diuinum, aut proximum diuino c. relatum c. comperimus de Conſ. d. 2. quam de communicando ieiunè, quòd eſt humanum ead. diſt. ca. liquido. Quamuis autem canones non præcipiant Sacerdoti præſenti, vt in tali caſu Miſſam illam perficiat, nihilominus (vt inquit Nau.) tenetur etiam ſi non eſſet ieiunus; & conteratur ſi eſt in peccato mortali, & non habet copiam confeſſoris.

7. q. 1. c. Nihil.

Gloſ. in c. Nihil. 7. q. 1.
Tab. v. Miſſa §. 29.
Sot. 4. d. 13. q. 2. ar. 6.
Nauar. in man. c. 25 n. 86.

Si ſa-

Si ſacerdos poſt conſecrationem aduertit ſe non ſumpſiſſe debitam materiam, quia exēpli gratia in calice non poſuit niſi aquā, Si ante ſumptionem Corporis aduertit, apponat vinum, & facta oblatione, ſuper illud repetat formam ſanguinis, & proſequatur vſq; ad eum locum, vbi id aduertit. Si aduertit poſt ſumptionem corporis, per hoc quod ſumpſit aquam, licet non ſit ieiunus, ſecundum S. Thomam, & Sotum, & rubricam Miſſalis Romani, debet apponere aliam hoſtiam iterum offerendam, & conſecrandā, cum ſanguine, & ratio eſt, quia vel ſufficeret tunc ſanguinem conſecrare, & ſumere omiſſis alijs, quæ ſunt à conſecratione vſq; ad ſumptionem, & hoc non, quia cum in illis quæ illuc vſq; facta fuerunt, fiat mentio, tam corporis, quam ſanguinis, non fuerunt legitima, & ideo ſunt repetenda, Si autem repetantur omnia ſine alterius hoſtiæ conſecratione, cum nulla ſit hoſtia, pari ratione non fient legitimè, debent enim fieri ſimul ſuper Corpus, & ſanguinē. Ad euitandum tamen ſcandalum Scotus, Ang. Adria. & Nauarr. (quod etiam concedit Sotus, ſi coram pluribus celebretur) dicunt, quòd Sacerdos accedat ad cornu altaris, quaſi ablutionem accepturus, & ſumpto vino, & aqua, vel ſolo vino cum aqua, quæ remanſit in calice, redeat ad medium Altaris, & ibi conſecret incipiens ab illis verbis. Simili modo, &c. Vſque ad illa, Vnde, & memores, & alijs prætermiſsis, ſanguinem reuerenter ſumant, & mox purificatione accepta reliqua proſequatur. Nec obſtat rubrica Miſſalis romani, nam ita ſequitur primam practicam, vt nō ob id intelligatur reprobata ſecunda, quando timetur ſcandalū, ob quod etiam ceſſat prædicta ratio, quia illæ orationes ſunt ex inſtitutione Eccleſiæ, quæ non intendit cum populi ſcandalo ad illarum reiterationem obligare. Illud etiam cum Adriano, & Nauarro ſubiungimus, quòd ſi ille cui hoc accidit, non conſecrat ſanguinem, ignorans præceptum Eccleſiæ, aut perturbatus inopinato caſu, non peccat mortaliter.

S.Th 3.p. q.83.ar.6. Sot. 4.diſ. 13.q.2.ar. 6.

Scot. Ang. Adri.4.5. de Sacr. Euch. q. de cibo & potu. Nauar. in man.c.25 n. 91.

Alia quæ ad defectus qui in Miſſa accidere poſſunt, & quæ ad ceremonias pertinent, ideo omiſimus, quia in principio Miſſalis habentur.

Vbi debeat celebrari Miſſa, Quibus præſentibus, & quo tempore. Cap. IIII.

MIſſa debet celebrari ſuper ſacra ara, ſaltem portatili, & ante Concilium Tridentinum Fratres Prędicatorum, & Minorum virtute priuilegij eis conceſsi poterant

in quocunque loco honeſto celebrare ſuper Sacra Ara portatili, quod etiam poterant alij de licentia Epiſcopi. Sed vigore Concilij illud priuilegium eſt ſublatum, & illam facultatem Epiſcopi non poſſunt amplius concedere, ſed Miſſa debet celebrari ſolum in Eccleſijs, vel in Oratorijs ad diuinum tantum cultum dicatis ab Ordinarijs deſignandis. Et facultatem celebrandi extra Eccleſiam vel Oratorium, ſolus Papa modò concedere poteſt. Sed hoc loco notamus cum Nauarro, quòd ſicut ante Concilium Tridentinum ſine licentia Epiſcopi poterat celebrari ſuper Ara Sacra portatili ſub diuo, ſeu intentorijs, propter neceſſitatem, puta ſi Eccleſiæ Cappellæ, & Oratoria erant combuſta, ſeu deſtructa vigore cap. Concedimus de Conſ. diſt. 1. ita etiam poſſet modò celebrari in ſimili caſu, vel vrgente ſimili neceſſitate, vt ſi fiat magnus populi concurſus ad paruum Heremitorium, ſeu Oratoriū, nam ut omnes Miſſam audiant, poſſet præ foribus illius Oratorij celebrari, quia non videtur quoad hoc illi eſſe derogatum per Concilium. quod Nauarrus extendit etiam quando eſt magnus concurſus ad primas Miſſas Sacerdotum in parua Eccleſia. Ego autem puto hoc reſtringendum eſſe ad caſum neceſſitatis, quando. ſ. non eſt alia Miſſa, nec alibi audiri poteſt, & eſt dies feſtus, nā qui deuotionis cauſa ad huiuſmodi Oratoria accedunt, ſatis eſt, quod ibi Deum deprecentur, ſicut faciunt illi qui dicta Miſſa, & poſt prandium accedunt. Poſterior verò pars dicti Cap. de celebrando ſub diuo in itinere vbi non ſunt Eccleſiæ, vel oratoria, eſt per Concilium abrogata, non ſic prima, nam qui celebrat in Eccleſia combuſta, vel præ foribus parui Oratorij in neceſſitate, non celebrat omnino extra locum ad diuinum tantum cultum dicatum.

Con. Trid ſeſſ. 22. — *Nauar. in man. c. 25. nu. 82.*

Nullus aſtantium debet eſſe excommunicatus, vel interdictus, quemadmodum nec ipſe locus Sacer debet eſſe interdictus, vel pollutus, aliàs enim Miſſa etiam incepta (dummodo ſit ante canonem) propter ſuperuenientem Eccleſiæ pollutionem, vel interdictum, vel talem excommunicatum, cum quo nō liceat communicare, & ab Eccleſia expelli non poſsit, dimitti debet, quòd ſi inceptus eſt canon, omnes recedant, & cum vno tantum Miniſtro perficiatur vſq; ad corporis, & ſanguinis ſumptionem, & reliqua, ſi nec tunc expelli poteſt, in Sacriſtia dicantur. Vna tamen Miſſa in Eccleſia etiam ſpecialiter interdicta, poteſt quaque hebdomada dici, ad renouandum Sanctiſsimum Sacramentum, quod infirmis ſeruatur, & etiam plures ſi infirmorum neceſsitas id poſtularet, dummodo dicatur ianuis clauſis, non pulſatis campanis, &

Quibus præſentibus. — *Suppl. V. excōmu. 6*

exclufis

excluſis excommunicatis, & interdictis.

Tempus celebrandi communiter eſt ab aurora vſq; ad meridiem, in ſola enim nocte Natiuitatis Domini *a* vnã tantum Miſſam celebrare licet, niſi alicubi *b* cõſuetudo propter famulos, & viatores ante lucem celebrandi, & ſine ea, *c* neceſsitas cõmunicãdi infirmum excuſet; quemadmodũ, & in quadrageſima *d* conſuetudo eſt celebrandi vſque ad nonã, quæ eſt *e* tertia hora poſt meridem; Imo alijs etiam diebus *f* niſi adſit ſcãdalum, poteſt cũ legitima cauſa celebrari poſt meridiem vſque ad horam nonam, tum quia non eſt textus neque ratio, quæ id ieiuno prohibeat, tum etiam quia hora nona oblatum fuit hoc idem Sacrificium ab ipſomet Chriſto, ſed cruentum. Ex quo infert Nau. quòd priuilegia de dicenda Miſſa circa, vel poſt meridiem, continent ius commune, & tantum proſunt ad ſedandos animos ſcrupuloſorũ, quibus non obſtat Concilium Tridentinum, quatenus prohibet, ne Sacerdotes alijs horis quam debitis celebrent, quia id intelligendum eſt de horis ante lucem, & poſt nonã, qua Chriſti cruẽta oblatio conſummata fuit. Nec etiam obſtat rubrica Miſſalis, quia ſolum tradit tempus communiter celebrandi.

Quando. Angel. V. Miſſa. §. 40. *a* Sylu. V. Miſſa. 1. §. 6. & 7. Nauar. in man. c. 25 n. 87. *b. c. d* Nau. ibid. nu. 85. S. Tho. 3. p. q. 88. ar. 2. Grat. de Conſ. d. 1. c. Solent, cõcordãt ſummiſtæ in v. Miſſa. *e.* S. Thom. 2. 2. q. 147 art. 7. & ibid. Caiet. Sylu. Tab. V. Ieiunium *f.* Nau. ibid. nu. 85.

An liceat pluries eadem die celebrare, & quoties. *Cap. V.*

NEmini licet eadem die plures celebrare Miſſas, niſi in ſeptem caſibus quos tradit Petrus de Palude, & alij cõmuniter recipiunt. ſ. in die Natiuitatis Domini, Cũ poſt dictam Miſſam corpus defuncti ſepeliendum occurrit, & conſuetudo eſt, vt non ſepeliatur ſine Miſſa quando haberi poteſt. Cum ſuperuenit neceſsitas communicandi infirmum, neç aliter Euchariſtia haberi poteſt propter ſuperuenientes peregrinos, maximè diebus feſtis, quibus omnes tenentur audire Miſſam. Ob nuptiarum benedictionem. Cum quis præeſt duabus Eccleſijs Miſsis indigentibus, & non eſt qui aliam dicat. Et cum occurrit alia cauſa, quæ arbitrio boni viri iuſta videatur.

Circa quæ eſt primo notandum, quòd ſemper intelligitur dũmodo Sacerdos ſit ieiunus, ita vt nec ſolitam calicis purificationem ſumpſerit, & alius ſacerdos qui celebret haberi non poſsit. Eſt ſecundo notandum, quòd cum modò non deſit copia Sacerdotum, non habent apud nos locum iſtæ cauſæ celebrãdi plures Miſſas extra diem Natiuitatis, haberent autem locum in illa prouincia in qua eſſet raritas Sacerdotum.

Con. Trid ſeſſ. 21. Palud. 4. d. 12. q. 1. S. Ant. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 4. Syl. Tab. Ang. V. Miſſa. Tur. Cre. de cõſ. d. 1. in c. ſufficit. Sot. diſt. Nauar. in Man. c. 25 nu. 87.

Quoties. Eſt tertio notandum, quòd tradentes hos caſus, dicunt etiam quod nemini licet eadem die niſi bis celebrare, excepto die Natiuitatis in quo dicuntur tres Miſſæ. Et in hoc omnes conueniunt, ſed nullum habent textum, nullam afferunt rationem, ſed ſolam Paludani auctoritatem, qui non fuit Papa, vt eius auctoritati ſitſtandum, ſed excellens & egregius Doctor, Quid ſi ter, aut quater militet eadem, aut maior ratio? vt ſi Sacerdos ſecundo propter ſuperuenientes peregrinos celebrauit, & adhuc eſt ieiunus quia non ſumpſit purificationem, & ſuperuenit aliqua magna perſona, vt Cardinalis, Dux, Rex, aut quis repentino caſu in vitæ periculum incidit, & laborat in extremis, vel ſi in aliqua magna, & populoſa Ciuitate non eſſet niſi vnus Sacerdos, vt apud Indos, & etiam apud nos ob ſuperuenientem aliquam mortalitatem, quare non licebit tertio, & quarto celebrare? vbi enim militat eadem ratio, ibi etiam eſt eadem facultas, niſi ſit prohibitio incontrariũ, nam eadem exiſtente cauſa, idem ſequitur effectus. Et confirmatur quia de Conſ.d.2.ca.Relatum, Concilium Toletanum repræhendit illos Sacerdotes qui in vno die plurima offerebant ſacrificia, & omnibus ſe oblationibus à communione ſuſpendebant, & in ſola tantum extrema ſacrificij oblatione, communionis sãctæ gratiam ſumebant, & dicit Sacerdotem toties debere ſumere corpus & ſangninem Chriſti, quoties illud conficit: Vbi refert Concilium quod Sacerdotes in vno die plurima offerebant ſacrificia, & in ultimo ſolum communicabant, & non repræhendit primum, ſed ſecundum, & tamen plurima ſignificat plus quam duo. Nec valet quod ibi inquit gloſa, quod plurima ſignificat duo per cap. ſufficit de conſ.d.1.nam cum dicitur omnibus oblationibus, &c. & in ſola tantũ extrema, &c. omnes nõ dicitur de vna tantũ. Ex illo etiam Cap. ſufficit, nõ habetur quod plurima ſignificet duo, imo ex eo potius probatur intentio noſtra, nam cum dixiſſel Pontifex vnam tantum Miſſam celebrandam eſſe, ſubiungit, quidam tamẽ pro defunctis vnam faciunt, & alteram de die ſi neceſsè fuerit, qui verò pro pecunijs, aut adulationibus ſecularium vna die præſumunt plures facere Miſſas non eſtimo euadere damnationem. Vbi dicit ſolum, quod quidam pro defunctis vnam faciunt, & ſi neceſsè fuerit alteram de die; ponderandus eſt textus primo celebrant Miſſam pro defunctis, quando.ſ.pro illis celebrandum erat, vt ſic vnam tantum Miſſam facerent, quod ſi non ſufficiebat, alteram celebrabant de die, ſed non dicit, quod ſi nec etiam ſecunda ſufficiebat non celebraretur tertia, Et quod ſubdit de illis qui plures Miſſas vna die faciunt pro pecunijs, aut adulatio-

lationibus ſecularium, non videtur poſſe reſtringi ad duas, cum abſolutè de pluribus loquatur, & illi mouerentur ex auaritia, & dicit, quod iſti non euadunt damnationem ſi illas faciunt pro pecunijs aut adulationibus, quaſi in neceſsitate eis licuerit. Et confirmatur quia extra de Celeb. Miſſ. cap. conſuluiſti, interrogatus Papa an Sacerdos extra diem Natiuitatis poſſit dicere plures Miſſas, reſpondet quod non niſi cauſa neceſsitatis ſuadeat, vbi non reſtringit cauſam neceſsitatis ad duas tantum Miſſas. Probatur tandem expræſſe ex Leone Magno Summo Pontifice, qui in epiſtola 79. ad Dioſcorum Alexandrinum inquit. Vt autem in omnibus obſeruantia veſtra concordet, illud quoq; volumus cuſtodiri, vt cum ſolennior feſtiuitas conuentum populi numerioſioris indixerit, & ad eam tanta multitudo conuenerit, quam recipere baſilica ſimul vna non poſsit, ſacrificij oblatio indubitanter iteretur, ne his tantum admiſsis ad hāc deuotionem, qui primi aduenerint, videantur hi qui poſtmodum cōfluxerint non recepti, cum plenum pietatis atq; rationis ſit, vt quoties Baſilicam in qua agitur præſentia nouæ plebis impleuerit, toties ſacrificium ſubſequens offeratur, Neceſsè eſt autem, vt quædam pars populi ſua deuotione priuetur, ſi vnius tantum Miſſæ more ſeruato, ſacrificium offerre non poſsint, niſi qui prima diei parte conuenerint. hæc ille. Quòd autem loquatur de Miſſa eodem die ab eodem Sacerdote iteranda, patet ponderando verba [Sacrificij oblatio indubitanter iteretur] & illa [ſi vnius tantum Miſſæ more ſeruato, ſacrificium offerre non poſsint] Quòd etiam idem Sacerdos poſsit eodem die plures dicere quam duas, patet ponderando illa verba [quoties Baſilicam in qua agitur præſentia nouæ plebis impleuerit, toties ſacrificium ſubſequens offeratur.]

Pro quibus ſit celebrandum.
Cap. VI.

Miſſa celebrari debet pro omnibus fidelibus, viuis & de functis, qui excommunicationis vinculo minimè tenentur. Cum enim ſit communis oratio, & Sacrificium Eccleſiæ, pro omnibus fidelibus offerri debet, vt beatis proſit ad gloriam accidentalem, exiſtentibus in purgatorio, ad ſatisfactionem, & viuis ad remiſsionem, & remedium peccatorum, ad augmentum gratiæ, & gloriæ, ad liberationem à diuerſis malis, & ad multa alia bona conſequenda, & nullus horum

eſt in-

Scot.q.l. 20. eſt intentione celebrantis excludendus. Cum hoc tamen poteſt Miſſa pro aliquo viuo vel defuncto particulariter celebrari; eſt enim triplex valor Miſſæ.ſ. generalis, qui toti Eccleſiæ, medius qui ei pro quo dicitur, & ſpecialis, qui dicenti debetur. Poteſt etiam dici pro paruulis baptizatis, non quòd ea iuuentur quantum ad remiſſionem culpæ, vel pœnę, vel ad augmentum gloriæ, ſed propter viuorum ſolatium, ſic enim oſtenditur eos ad vnitatem Corporis Chriſti pertinere, & ad commendandum redemptionis myſterium in hoc Sacramento commemoratum, propter quod paruuli ſine proprio merito vitam æternam conſequuntur. At pro excommunicatis non poteſt celebrari, nec aliqua oratio pro eis in Miſſa dici, cum ſit oratio Eccleſiæ, & publica; In memento tamen poteſt pro eis etiam ſpecialiter orari, cum illa ſit oratio priuata.

S.Th.4.ſ. d.13. Sylu. V. Miſſa.1,§. 8.

Sylu.ibid. Hoſt.

Pro illis, quos conſtat eſſe damnatos, nullo modo eſt celebrandum nec orandum, quales ſunt iudæi, gentiles, & hæretici, qui in eorum infidelitate moriuntur. Et ſi pro omnibus Chriſtianis quos conſtat non eſſe mortuos in ſtatu peccati mortalis celebratur, licet multi ex illis ſint damnati, eſt quia cum non ſciatur eorum damnatio, piè creditur illos eſſe, vel in gloria, vel in purgatorio, & ſi illi pro quibus celebratur non ſunt in purgatorio, Miſſa valet pro alijs ibi exiſtentibus.

Quod damnatorum pœnæ ſint æternæ, & eis non proſint Eccleſiæ ſuffragia. Cap. VII.

NOn erit inutile hoc loco oſtendere quod ſuffragia Eccleſiæ nõ proſint damnatis. Pro cuius pleniori explicatione adducemus quinque concluſiones, & poſtea reſpondebimus præcipuis argumentis, quæ in contrarium fieri poſſent. Sit prima concluſio. Damnati ſecundum legem communem ad ignem deputantur æternum ſine vlla ſpe ſalutis. Iſta Concluſio eſt de fide, & probatur primo auctoritate Eccl. 11. Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit. Vnde Greg. & habetur cap. qualis diſt. 25. inquit, qualis quiſque hinc egreditur, talis in iudicio apparebit, quia nulla eſt poſt mortem, vel in Cœlo, vel in Inferno mutatio, eſt enim firmatum inter eos magnum chaos, vt non poſſit ex vno loco ad alium fieri tranſitus. Luc. 16. qui autem in purgatorio ſunt ad Cœlum pertinent. Secundo. Quia damnati aſſociantur dæmonibus, & eadem eſt eorum damnatio, ſed pro dæmonibus nulla

Damnato rũ pœnæ æternæ.

nulla eſt redemptio, ergo nec pro hominibus damnatis, antecedens patet Matt. 25. Diſcedite à me maledicti in ignem æternũ, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Vnde Damaſcenus inquit, quod eſt angelis caſus, eſt hominibus mors. Sicut ergo peccatum angeli fuit irremiſsibile, ſic eſt peccatum mortale hominis poſt mortem. Tertio. Probatur ex eo, quod canit Eccleſia in officio mortuorum, Peccantem me quotidie, & nunquam pęnitentem, timor mortis conturbat me, quia in inferno nulla eſt redemptio, miſerere mei Deus, & ſalua me. Non ſolum ait, non eſt redemptio, ſed nulla, ideſt, non ſolum non poſſunt inde exire, ſed nec etiam poteſt eorum pœna remitti, neq; vllo valent refrigerio releuari.

Quod ſi aliquis impius dixerit, Deum æternam pœnam peccantibus minari, vt eos à peccatorũ perpetratione cõpeſcat, ſed non illam inferre. Reſpondet Greg. ſi falſa minatus eſt, vt ab iniuſtitia corrigeret, etiam falſa pollicitus eſt, vt ad iuſtitiam prouocaret, quod ſi impium eſt hoc dicere, eſt etiam & illud. Obiectio cum ſolutione. Greg. 34. mor. c. 16.

Probatur quoque eadem concluſio rationibus, & prima eſt ex natura peccati mortalis, pro qua notandum eſt, quod pœna debetur peccato mortali, & peccato veniali, nã ex culpa oritur obligatio ad pœnam, vt per pœnam reparetur iuſtitia, quæ fuerat læſa per culpam; quantitas autem pœnæ non attenditur penès durationem actus peccandi, nam actus cito tranſit, & pœna etiam in humano iudicio eſt diuturnior; nec etiam attenditur penès delectationem, quæ fuit in peccato, vt illi æquetur, nam acerbitas pœnæ eſt longè maior; ſed grauitas, & duratio pœnæ attenditur ſecundum grauitatem peccati; nam ſicut eſt in ciuitate mũdana, ſic ſuo modo debet eſſe in cœleſti, & diuina ciuitate; ſed in ciuitate mundana illi qui non peruertunt totaliter bonum ciuitatis, ſed leuiter offendunt, non merentur totaliter à ciuium ſocietate excludi, ſed ad tempus, & leuiori etiam pœna debẽt puniri iuxta qualitatem delicti; at illi qui ex eorum culpa quantum in eis eſt totaliter ſubuertunt pacem, & amicitiam ciuium ad inuicem, vel obedientiam ad Principem, merentur extirpari totaliter à ciuitate, per mortem, vel exilium, aut carcerem perpetuum; quæ pœna licet non ſit perpetua ſimpliciter, eſt tamen perpetua ſecundum capacitatem ſubiecti, & ſecundum intentionem legis, quoad hoc vt in perpetuum non reuocetur ad ſocietatem communitatis cõtra quam deliquit, ergo eodem modo debet eſſe in ciuitate diuina in qua congregantur homines in lege fidei & charitatis, quòd ille qui ſubuertit quantum eſt in ſe ordinem charitatis ad proximum, Probatur rationib⁹.

mum, vel ſubiectionis ad Deum, quòd ſit per quodlibet peccatũ mortale, meretur totaliter extirpari à conſortio Dei, & ſanctorũ, per mortem ſecũdam, exilium à patria, & carcerem inferni, quę pœnæ ſunt ſimpliciter perpetuæ, quia & ſubiectum iſtarum pœnarum perpetuò durabit.

Secunda ratio eſt, quia in peccato mortali multa alia etiam concurrunt, quorum ſingula exigunt pœnam æternam; & iſta sũt quatuor prçcipua, duo ex qualitate peccati, & duo ex affectu pec- cantis; ex qualitate peccati, primo. Quia peccatum eſt contra Deum infinitum, & qui mortaliter peccat, vt inquit. S. Bernardus ſuper cantica, quantum eſt ex ſe, vellet non eſſe Deum, quia vellet eum eſſe, aut impotentem, aut iniuſtum, aut inſipiẽtem, quia vellet Deum, aut peccata ſua neſcire, aut vindicare non poſſe, aut vindicare nolle, & per conſequens debet puniri pœna infinita, nam offenſa eo eſt grauior, quo dignior eſt ille qui offenditur, & quo offenſa, ſeu culpa eſt grauior, eo pœna debet eſſe grauior, ſed pœna non poteſt eſſe infinita intenſiuè, ergo debet eſſe infinita extenſiuè, ſcilicet perpetua. 2. Quia quis puniri, & ſatisfacere debet, non ſolum pro malo commiſſo, ſed etiam pro bono ſua culpa amiſſo; vnde & mercatores petunt ſibi ſatisfieri etiam pro lucro ceſſante, ſed peccatum mortale tollit gratiam, cuius virtute peccator conſequutus fuiſſet bonum æternum, ergo ei debetur pœna æterna, quæ ratio eſt. S. Gregor. in lib. Dialog. vbi inquit factus eſt malo dignus æterno, qui in ſe peremit bonum æternum. Ex parte affectus peccantis. 3. Quia mortaliter peccans quando peccat, tanto affectu peccato adhæret, quòd perpetuò vellet in eo manere, ergo ſecundum Dei iuſtitiam, qui magis intuetur cor, quam ea quæ foris patent, & voluntatem pro facto acceptat, ita debet puniri, ac ſi æternaliter peccaſſet: hæc ratio eſt. S. Greg. 4. Dial. & fuſius 34. moral. c. 16. cuius aurea verba breuitatis cauſa omittimus. Et ſi obijciatur, quòd quidam mortaliter peccantes proponunt vitam ſuam in melius commutare, ergo iſti ſaltem non ſunt digni ſupplicio æterno S. Tho. 4. 5. ad hoc dupliciter reſpondet primo. Quod Gregorius loquitur de voluntate quæ manifeſtatur per opus, qui enim in peccatum mortale labitur, propria voluntate ſe ponit in ſtatu à quo erui non poteſt niſi diuinitus, vnde ex hoc ipſo quod vult peccare, vult perpetuò in peccato manere, hoc enim eſt Spiritus vades in peccatum, & non rediens per ſeipſum, ſicut ſi aliquis ſe in foueam proijceret, vnde exire non poſſet niſi adiutus, poſſet dici, quòd in æternum ibi manere voluit, quantumcunq; aliud co-

gita-

gitaret. 2. Quod ex hoc ipſo, quod mortaliter peccat, finem ſuum in creatura conſtituit, & quia ad finem vitæ tota vita ordinatur, ideo ex hoc ipſo totam vitam ſuam ordinat ad illud peccatum, & vellet perpetuo in peccato manere, ſi hoc ſibi eſſet impune.

Quarta ratio eſt, quia culpa in æternum remanet in qua damnatus eſt obſtinatus, cum non poſſit remitti ſine gratia, quam homo poſt mortem non poteſt acquirere, ergo ſemper debet perſeuerare pœna, cum ſemper perſeueret culpa. pſal. 73. Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper. & pſ. 6. Conuertere domine, & eripe animam meam, dum. ſ. mihi supereſt vita, quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? quaſi dicat, in mortis articulo, ſeu etiam periculo, difficile eſt, vt homo qui ad illud conuerſionem diſtulit, ſit memor tui, in inferno autem eſt impoſſibile, quia tunc voluntas eſt in malo obſtinata, ita vt bonum velle non poſſit.

Et ſi obijciatur quod ex pœnis perpetuis nulla poteſt accidere vtilitas, & conſequenter non ſunt per ſe eligibiles, ſed Deus non delectatur in pœnis, & perditione, ergo non vult nec infligit pœnas æternas. Reſpondetur, quod perpetuæ impiorum pœnę ſunt vtiles ad duo. Primo quia in eis diuina iuſtitia conſeruatur, quæ eſt Deo accepta propter ſeipſum. Vnde Greg. 34. mor. c. 16. Omnipotens Deus quia pius eſt, miſerorum cruciatu non paſcitur, quia autem iuſtus eſt, ab iniquorum vltione in perpetuum non ſedatur. 2. ſunt vtiles, vt de his electi gaudeant, dum in eis Dei iuſtitiam contemplantur, & dum eas ſe euaſiſſe cognoſcunt, pſ. 57. Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. & Iſa. vlt. erunt. ſ. impij, vſque ad ſatietatem viſionis. ſ. ſanctis; vt exponit Gloſ. & Greg. eod. cap. 16. inquit. Iniqui omnes æterno ſupplicio deputati, ſua quidem iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid ardebunt. ſ. vt iuſti omnes, & in Deo videant gaudia, quæ perceperũt, & in illis percipiant ſupplicia, quæ euaſerunt, vt tanto in æternũ magis diuinæ gratiæ debitores ſe eſſe cognoſcãt, quanto in æternum mala puniri cõſpiciunt, quæ eius adiutorio vitare potuerũt. — Obiectio cum ſolutione.

Secunda concluſio: damnatis non proſunt ſuffragia Eccleſiæ. Iſta concluſio ſequitur ex præcedenti, & probatur etiam Primo. Quia damnati totaliter ad vitę terminum peruenerunt, & vltimã pro meritis retributionem immediatè poſt mortem receperunt, quod enim adhuc reſtat de pœna corporis, hoc eis rationem viatoris non præbet, cum eorum miſeria eſſentialiter, & radicaliter conſiſtat in anima, & ideo non poteſt eorum pœna, nec tolli, nec dimi- — Damnatis non proſunt ſuffragia.

diminui. Secundo, Quia ſuffragia Eccleſiæ continuantur de functis per vinculum charitatis; ſed damnati ſunt extra vincula charitatis, ergo ad eos non poſſunt peruenire Eccleſiæ ſuffragia. Tertio. Quia pro illis orare non licet, vt ſequenti concluſione probabimus.

Contrarij errores. Iſta concluſio magis adhuc probabitur ex confutatione errorum, qui contra illam ſunt. Quidam enim aſſeruerunt ſuffragia Eccleſiæ prodeſſe damnatis, quomodo autem proſint, inter ſe diuiſi fuerunt, & duæ ſunt opiniones præcipuæ, quarum quælibet diuerſos modos dicendi continet. Prima opinio eſt, quòd eis proſint per diminutionem pœnæ. Secunda, quòd non per diminutionem pœnæ, ſed per aliquam pœnæ mitigationem.

Errores dicētium pœnas diminui. S.Th.4.ſ. d.4.5.q.2. qq.2. Prima ergo opinio eſt quorundam, qui dixerunt ſuffragia Eccleſiæ prodeſſe damnatis per diminutionem pœnæ, qui tamen non ſimpliciter hoc aſſerunt, nam vt refert S.Thom. dixerunt in hoc diſtinguendum eſſe dupliciter, vno modo quantum ad tempus, dicentes quòd poſt diem iudicij nullus in inferno exiſtens ſuffragio iuuabitur. Sed ante diem iudicij, iuuantur ſuffragijs Eccleſiæ. 2. Diſtinguebant quantum ad perſonas in inferno detentas, inter quas quoſdam dicebant valde malos, qui ſine fide, & Sacramentis Eccleſiæ deceſſerunt, & talibus quia de Eccleſia nō fuerunt, nec numero, nec merito, ſuffragia etiam prodeſſe non poſſunt. Alij verò ſunt non valde mali, qui.ſ. de Eccleſia fuerūt numero, fidem habentes, & Sacramentis imbuti, & aliqua opera de genere bonorum facientes, & talibus dicunt ſuffragia Eccleſię prodeſſe. Sed occurrebat eis quędam dubitatio eos perturbās, quia videbant ex hoc ſequi, cum pœna inferni ſit finita ſecūdum intenſionem, quamuis duratione infinita exiſtat, quòd multiplicatis illis ſuffragijs pœna illa totaliter auferetur, quòd eſt error Origenis. Et ideo, vt hoc inconueniens euitarent, varia dixerunt, ita enim aſſerebant damnatos ſuffragijs iuuari, vt nullo modo concederent eos à pœnis totaliter liberari.

Error prępoſitiui. Præpoſitiuus dixit, quod tantum poſſunt ſuffragia pro damnatis multiplicari, quòd à pœna totaliter redduntur immunes, non ſimpliciter, vt poſuit Origenes, ſed ad tempus, vſque.ſ. ad diem iudicij, tunc animæ iterato corporibus coniunctæ, in pœnas inferni ſine ſpe veniæ retruduntur. Sed iſta opinio eſt falſa, quia

Impugnatio. repugnat diuinæ iuſtitiæ, & prouidētiæ, ſtatus enim hominis poſt mortem, eſt ſtatus diuinæ iuſtitiæ, ſecundum quam reddit vnicuique iuxta opera ſua; & diuinæ prouidentiæ, ſecundum quam, ea quæ in hoc mundo inordinata fuerunt, ad debitum ordinem

redi-

redigit, vt nihil inordinatum inueniatur. Sed ſecundum diuinam iuſtitiam, pœna correſpondet culpę, ergo niſi minuatur culpa, non poteſt minui pœna, ſecundum etiam diuinam prouidẽtiam, culpa ordinari non poteſt niſi per pœnam, ergo non poteſt tolli aut minui pœna, niſi tollatur, aut minuatur culpa, aliàs inordinata remaneret. Sed culpa ſemper eadem remanet in damnatis, cum ſint in malo obſtinati, ergo eorum pœna nullatenus interrũpitur, aut minuitur. Et confirmatur Deut. 25. ſecundum menſuram delicti ſit plagarum modus.

Porretani videntes falſitatem prædictæ opinionis, alium modum inuenerunt, dicentes, quòd damnati non totaliter liberantur à pœna vſque ad diem iudicij, etiam ſi multiplicentur pro eis ſuffragia Eccleſiæ, ſed in diminutione pœnarum per ſuffragia procedi, ſicut proceditur in diuiſione lineæ, quæ cum ſit finita, in infinitum diuidi pòteſt, & nunquam per diuiſionem cõſumitur, cum diuiſio fiat, non ſecundum eandem quantitatem, ſed ſecundum eãdem proportionem, velut ſi primo auferatur media pars totius lineæ p 2. Media pars illius mediç remanentis. 3. media pars illius mediæ, & ſic deinceps vſq; in infinitum, quia non conſtat ex indiuiſibilibus, ſed quacumque parte lineæ aſſignata, eſt diuiſibilis, & in infinitum. Eodem modo dicunt iſti, quòd per primum ſuffragium diminuitur aliquota pars, & per ſecundum pars aliqua remanens, ſecundum eandem proportionem, vt primum ſuffragium V.g. tollit centeſimam partem pœnæ, ſecundũ centeſimam partem reſidui, Tertium, centeſimàm partem illius reſidui, & sic conſequenter, & ſemper remanet pœna, quia eſt diuiſibilis in infinitum. Sed contra hanc opinionem arguitur. Primo eiſdem rationibus quibus confutata fuit prior opinio præpoſitiui. Secundo. quia non eſt quare ſecundum ſuffragium minus tollat de pœna, quam primum, & tertium, quam ſecundum, & ſic conſequenter, cum omnia ſuffragia, V.g. Miſſæ ſint ex opere operato æqualis valoris, imo poſteriora ſuffragia deberent plus minuere de pœna, quam priora, nam ſuffragia illa ſunt æqualis virtutis, & quò magis per priora ſuffragia remittitur pœna damnati, eo pœna remanens eſt debilior ad reſiſtendum ſequentibus ſuffragijs, ergo per ſecundum ſuffragium tollitur maior pœna, quã per primum, & ſic conſequenter. Tertio, quia infinita diuiſio quantitatis continuæ, non eſt transferenda ad quantitatem ſpiritualem. Quarto, licet quantum, vt mathematicum ſit diuiſibile in infinitum, non eſt tamen ſic diuiſibile, vt phyſicum, nam datur minimum naturale, quòd ſi diuidatur corrumpitur forma

Error porretanorũ.

Impugnatio.

cum

cum ſuis proprietatibus, corpus etiam conſideratum, vt mathematicum in infinitum quidem diuiditur imaginatione, ſed re ipſa peruenietur tandem ad hoc, quod non erit ſenſibile, & non poterit amplius diuidi, & ita licet per ſequentia ſuffragia diminueretur pœna, ſecundum eandem proportionem, nihilominus tandem deueniretur ad hoc, quod eſſet inſenſibilis; & ſic incidunt inconueniens, quod vitare volunt.

Secundus error principalis triplex primus error.

Secunda opinio principalis eſt, quod ſuffragia proſint damnatis non per pœnæ diminutionem, ſed per aliquam pœnæ mitigationem, quomodo autem fiat iſta mitigatio fuit triplex modus dicendi. Primus fuit Altiſiodorenſis, qui dubitatiuè dixit, quòd ſuffragia proſunt damnatis per confortationem patientis, ſicut ſi homo portaret graue onus, & facies ſua perfunderetur aqua frigida, ſic enim confortaretur ad melius portandum, & tamen onus ſuum in nullo fieret leuius. Sed hic modus dicendi eſt falſus. Primo. Quia nulla eſt hominis, & animæ paſsibilitas ab æterno igne, niſi quam facit culpa, vnde licet ſit idem ignis, aliqui tamen grauius, & aliqui leuius cruciantur, vt inquit Greg. ſecundum meritum culpæ, ſicut ſol vno modo agit in omnes eos, qui ex diuerſis cauſis infirmantur, & ei exponuntur, & tamen nõ omnes eodem modo patiũtur à ſole, ſed pro infirmitatum diuerſitate; ſed culpa damnati ſemper immutata perſeuerat, ergo non poteſt eſſe, quòd damnatus leuius pœnam ferat Præterea. 2. anima non ſuſcipit confortationem niſi per gratiam gratum facientem, aut gratis datam, ſed anima damnata non eſt in ſtatu ſuſcipiendi gratiam, ei denegatur, etiam gutta aquæ Luc. 16. ergo nullam poteſt habere confortationem. Ad ſimilitudinem autem Altiſiodorenſis reſpondetur, quòd ſimilitudo corporalis non habet locum in ſpiritualibus, quia ſpiritus non habet paſsibilitatem niſi ex culpa, & ita nulla poteſt in eo fieri confortatio, niſi per alleuiationem culpæ, ſed hanc impoſſibile eſt damnatis alleuiari, ergo nullam poſſunt recipere confortationem.

Impugnatio.

Secundus error.

Secundus modus dicendi eſt, quòd ſuffragia proſunt damnatis non per diminutionem pœnæ, nec per confortationem, ſed quia ex huiuſmodi ſuffragijs eis aliqua materia doloris ſubtrahitur, quæ eis eſſet ſi ita ſe abiectos a viuis conſpicerent, quòd pro eis nullam curam haberent, quæ materia doloris eis ſubtrahitur dum pro eis ſuffragia fiunt. Sed hic etiam modus dicendi eſt falſus, quia vt inquit Aug. in lib. de cura pro mortuis agenda quòd præcipuè de damnatis verum eſt, Ibi ſunt ſpiritus defunctorum, vbi non vident quæcumq; aguntur, aut eueniunt in iſta

Impugnatio.

An damnati ſciãt quæ apud nos fiunt.

vita hominibus. & Greg. ſuper Iob. Sicut qui adhuc viui ſunt, mortuorum animæ quo loco habeantur ignorant, ita mortui qui carnaliter vixerunt vitam in carne poſitam, qualiter poſteà diſpẽſentur ignorant, & ita non cognoſcunt quando pro eis fiunt ſuffragia, niſi ſupra legem communem per reuelationem, quæ reuelatio ſicut conceditur beatis, & animabus in purgatorio exiſtentibus, ita negatur damnatis, quia ſpecialis reuelatio ſpecialẽ gratiam, & beneficium exigit, cum ergo nulla gratia concedatur dãnatis, nihil in eis ponendum eſt, quod ſpecialem gratiam requirat. Si dicatur, quòd illa ſciunt, non per diuinam reuelationem, ſed à dæmonibus, qui vt tentatores, bonis operibus interſunt, ſic eis erit maioris doloris occaſio, quia per modum exprobantis eis dicentur, quia eorum culpa tot bonis ſunt priuati, & ita in maiorem illorum pœnam cedet.

Tertius modus dicendi, quem citat Aug. de Ancona eſt, quòd ſuffragia proſunt damnatis per ſociorum ſubtractionem, quia multi ſaluantur per ſuffragia Eccleſiæ, qui fuerunt eorum exemplo, & doctrina corrupti, qui ſi non ſaluarentur eorum pœna augeretur, & confirmant hanc ſuam opinionem ex illo Aug. dicentis, quòd pœna Arrij nondum determinata eſt, quia nondum determinati ſunt illi, qui eorum praua doctrina, & exemplo malo corrupti ſunt: Sed iſte modus dicendi eſt nullus. Primo. quia licet per ſaluationem talium damnatorum pœna non augeatur, non tamen propterea dicitur diminui pęna quam habent, nec eſt ſimile de remiſſione, & de augmentatione, quia remiſſio non poteſt fieri vbi non eſt fundamentum Charitatis. 2. quia eadem ratione poſſemus dicere, quòd ſuffragia Eccleſiæ proſunt dæmonibus, quia ex multitudine damnatorum aggrauatur etiam eorum pœna; quod tamen nullo modo eſt dicendum. 3. quia ſic etiam orando pro viatoribus poſſemus ex conſequenti orare pro damnatis, quia expedit eis, quòd pauci damnentur, & tamen nullo modo eſt orandum, quod hoc bonum ipſi conſequantur, & ſi quis oraret pro ſalute alicuius viatoris, ne aliquis damnatus grauius puniatur, peruerſa eſſet eius oratio, quia ad indebitum finem ordinaretur.

Tertius error. Aug. de Anc. in lib. de Eccl. poteſt.

D Quod

Quòd non liceat ſine reuelatione orare pro damnatis, & quod ex peculiari priuilegio aliqui damnati fuerint ſalui, & quomodo.
Cap. VIII.

Non licet orare pro damnatis Declaratur concluſio.

TERTIA concluſio. Non licet orare pro illis quos conſtat eſſe damnatos, & ſic orans peccat mortaliter. Explicabimus prius concluſionem, & poſtea probabimus. Non dicimus ſimpliciter, quòd nō liceat orare pro damnatis, ſed pro illis quos conſtat eſſe damnatos, nam niſi conſtet de damnatione, nullus certò aſſerendus eſt damnatus, ſed piè credendū eſt omnes eſſe ſaluos, & fortè in purgatorio, quòd ſi illi pro quibus oramus fuerint in inferno, excuſamur, & orationes noſtræ non ſunt infructuoſæ, quia licet non proſint illis, proſunt alijs; non ſic prodeſſent alijs, ſi quis formaliter, & expræſsè oraret pro damnato, quem credit eſſe damnatum, quatenus ſunt illius, (nā vt ſunt orationes Eccleſiæ, cuius intentio eſt ſemper bona, & quæ ſemper eſt in charitate, nunquam priuantur ſuo fructu,) quia ſic orans mortaliter peccat. Generaliter quidem certum eſt, illos omnes eſſe in inferno, qui moriuntur in peccato mortali, de nullo tamen in particulari ſine expræſſa reuelatione, aut Eccleſiæ au ctoritate, id certo affirmare licet, ad quòd facit exemplū, quòd ex diuina reuelatione cuidam facta, narratur de illo, qui ex deſperatione ſe in puteum proiecit, cuius cor dum caderet, ex vehemēti contritione in diuerſas partes ſciſum eſt, & fuit saluus. Et in primis omnes hæretici, iudæi, & gentiles, qui in eorum infidelitate moriuntur, cēſendi ſunt damnati, & pro illis nullatenus orādum eſt. quoad Chriſtianos autem dicimus, quòd licet nobis videatur, quòd aliqui mortui ſint in peccato mortali, vt de meretrice, & de publico vſurario, quia tamen poſſumus piè credere, moti etiam prædicto exemplo, quòd fortè in extremis pœnituerunt, licet nullum potuerint dare pœnitentiæ ſignum, pro illis etiam oratione priuata orare licet, ſub conditione, quatenus pœnituerint, diximus oratione priuata, quia cum Eccleſia non iudicet de occultis, & illi conſtet eos vſq; ad mortem ſine vllo pœnitentiæ ſigno perſeueraſſe in peccato mortali, eis & Eccleſiaſticā ſepulturam, & ſuffragia, quæ in perſona Eccleſiæ fiunt, denegat. Nec eſt eadem ratio de Hæreticis, Iudæis, & Gentilibus, quia sūt omnino extrā Eccleſiam, & priuati lumine fidei, & in infidelitatis deteſtationem, in qua conſtat eos vſq; ad vocis amiſsionem obſtina-

ſtinatè vixiſſe, nec etiam ſic oratione priuata pro illis orandum eſt, licet enim Deo omnia ſint poſſibilia, de illis tamen non ita poſſumus piè dubitare ſicut de Chriſtianis, qui habent lumen fidei, ratione cuius eſt aliqua ſpes, quòd in illo extremo nō fuerint immemores propriæ ſalutis, quòd ſi aliqui etiam illorum in illo inſtanti toto corde ad Deum conuertuntur, non ob id priuabuntur Eccleſiæ ſuffragijs, nam charitas illa eis communicat, iuxta illud pſalmi. Particeps ego ſum omnium timentium te Domine.

Hac limitatione, & declaratione ſuppoſita probatur concluſio, Primò, quia pro illis ſolū orare debemus, pro quibus præſumimus impetrare, ſed dānati non ſunt tales, quia sūt obſtinati in malo, & eorum ſalus eſt impoſsibilis, ergo pro illis orare non debemus. 2. vt rectè oremus, tenemur conformare voluntatem noſtram diuinæ voluntati in his, quæ ſcimus Deum velle, ſed fidei certitudine certi ſumus de damnatione dæmonum, & hominum decedentium cum peccato mortali, & quod Deus ex quo dānauit aliquos, nullum miſericordiæ beneficium eſt eis impenſurus, ergo debemus nos conformare diuinæ voluntati, & nullo modo pro illis orare. 3. probatur auctoritate. 1. Io. 5. eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt oret quis. Vbi inquit Gloſa, qui in hac vita non corrigitur, poſt mortem venia ei fruſtra poſtulatur. Dion. c. 7. Eccl. Hierar. inquit, quòd ſummus Sacerdos pro immundis, id eſt damnatis non orat, quia in hoc auerteretur a diuino ordine, Greg. 34. Mor. c. 16. Eadem cauſa eſt (inquit) cur non oretur tunc. ſ. poſt diem iudicij pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam cauſa eſt, vt non oretur pro diabolo angeliſq; eius æterno ſupplicio deputatis, quæ nunc etiam cauſa eſt vt non orent ſancti homines pro hominibus infidelibus impiisq; defunctis, quia de eis vtiq; quos æterno deputatos ſupplicio iā nouerunt, ante illum iudicis iuſti conſpectum, orationis ſuæ meritum caſſari refugiunt. S. Aug. vt communiter citatur inquit, Si ſcirem patrem meum eſſe damnatum, non orarem pro eo, pluſquam pro diabolo. 4. probatur quia Eccleſia prohibet orare pro illis 13. q. 2. c. pro obeuntibus. 23. q. 5. ca. placuit. Probatur concluſio

Quarta concluſio. Ex peculiari priuilegio aliqui damnati ex hominibus liberantur de pœnis inferni, & ad hanc vitam reuocātur, vt pœnitentiam agant, & ſalui fiant, Concluſio eſt de ſolis hominibus, quia nullus prorſus dæmonum liberatur, & dicit, ꝙ qui liberantur, ex peculiari priuilegio liberantur, patet quia ſecundum legem communem impoſſibile eſt aliquem liberari, vt in prima concluſione probauimus. Quòd autem aliqui ex pecu- Peculiari priuilegio aliqui dānati ſaluātur.

D 2 liari

liari priuilegio liberentur, communiter probatur exemplo Traiani Imperatoris, cuius anima precibus ſancti Gregorij fuit de pœnis inferni liberata. Sed aliqui de veritate huius hiſtoriæ dubitant, vt Sotus, aliqui illam prorſus negant, vt Melchior Canus, & conſequenter hoc ſingulare priuilegium contra legem communem, negant, vel certè de illo dubitant. Sed non eſt, quòd de hoc priuilegio dubitent propter hanc dubiam hiſtoriam, nam (vt omittamus, quòd non ſine temeritate in dubium vertitur, quia habetur in vita. S. Greg. à Ioanne diacono Romano ex commiſſione Papæ deſcripta, & S. Damaſcenus in ſermone de his qui in fide hinc migrarunt, veram eſſe, aſſerit, & dicit ꝙ illius teſtis eſt oriens omnis, & occidens, & quod multi Theologi illam, vt uerã recipiunt, & F. Alfonſus Ciacon de illius veritate librum compoſuit) Multi gentiles à Chriſto Domino, ab Apoſtolis, Diſcipulis, & à multis alijs ſanctis fuerunt reſuſcitati, & tamen credendum eſt eos in inferno fuiſſe, cum in eorum infidelitate mortui eſſent, credendum etiam eſt, quòd poſt reſurrectionem cõuerſi fuerint, & pęnitentiam egerint, & in bono ſtatu mortui fuerint;

Sot. 4. diſ. 45. q. 2. ar. 2.
Canus li. 11. loc. Theol.

Nec valet fuga Soti, qui inquit non niſi illos gẽtiles ſuſcitatos fuiſſe, qui inuincibili ignorantia chriſtianæ legis laborantes, in lege naturæ ſaluari poterant, atq; adeo in purgatorio exiſtentes, nam reſuſcitati fuerunt ex illis quos conſtat mortuos eſſe in peccato mortali, & duo ſolum adducam exempla. Primum, de filio Simphronij Præfecti, quem ſuſcitauit S. Agnes, & referam verba S. Ambroſij, qui ſcripſit vitam. S. Agnetis. Ducta fuit S. Agnes iuſſu Simphronij nuda in lupanar, & Simphronij filius venit ad locum cum ſodalibus ſuis iuuenculis inſultaturus puellæ, cum quibus libidinis ſuæ ſe poſſe credebat ludibrium exercere, & ingreſſos ante ſe furentes pueros, & turpiter ſæuientes, cum omni veneratione, & ingenti admiratione egreſſos, cępit impotentes arguere, atq; uanos, & molles, ac miſeros iudicare, & irridens, locũ in quo uirgo orabat, audacter ingreſſus eſt, & uidens tantum lumen circa eam, non dedit honorem Deo, ſed irruens in ipſum lumen, priuſquam vel manu eam contingeret, cecidit in faciem ſuam, & præſocatus à diabolo, expirauit, & paulo inferius, corpus iacebat exanime, & paulo etiam inferius S. Agnes ad Simproniũ inquit, cumq; manum ſuam ad me contingendum aptaret, dedit eum Angelus Domini in reprobam quam cõſpicis mortem, erat ergo verè mortuus, & in peccato mortali, ac proinde damnatus, qui tamen poſtea precibus. S. Agnetis fuit ſuſcitatus. Alterum exemplum eſt in uita. S. Martini à Seuero Sulpitio eius diſcipulo deſcri-

Cõtra Soti reſponſionem.
Exemplũ.
S. Amb. 3. p. ſer. 91.
Exemplũ.

deſcripta, & habetur in Surio. Quidam laqueo ſe ſuſpendit, & mortuus eſt, & precibus S. Martini fuit reſuſcitatus.

Nec etiam obſtat, quòd obijcit Sotus, quia ſequeretur, quòd aliqui prædeſtinati fuerint in inferno damnati ſub conditione, niſi poſtea reſuſcitarentur, & quòd in obitu cuiuſq; fertur abſolutè ſententia, Ite in ignem æternum, vel in vitam æternam, qualiter eſt in die iudicij ferenda. Nam, vt inquit S. Thom. reſpondẽs ad factum Traiani, De facto (inquit) Traiani hoc modo poteſt probabiliter æſtimari, quòd precibus B. Gregorij ad vitam fuerit reuocatus, & ibi gratiam conſecutus ſit, per quam remiſſionẽ peccatorum habuit, & per conſequens immunitatem à pœna, ſicut etiam apparet in omnibus illis, qui fuerunt miraculosè à mortuis ſuſcitati, quorum plures conſtat idolatras, & damnatos fuiſſe, de omnibus enim ſimiliter dici oportet, quòd non erant in inferno finaliter deputati, ſed ſecundum præſentem iuſtitiam propriorum meritorum, ſecundum autem ſuperiores cauſas, quibus præuidebantur ad vitam reuocandi, erat de eis aliter diſponẽdũ. (Obiectio cum ſolutione.) (S.Th. 4.d. 45.q.2.ar. 2.ad 2.)

Secunda pars concluſionis eſt de modo quo Deus aliquibus hoc priuilegium concedit, vt de pœnis inferni liberentur, eos. ſ. ad hanc vitam reuocando, vt pœnitentiam agant. Non hoc aſſerimus quaſi repugnet ſingulari priuilegio eos in inferno poſſe lumine gratiæ illuſtrari, & tota mente ad Deum conuerti, Sed primo, quia à lege communi, quam minimè fieri poteſt recedendũ eſt, per alios autem dicendi modos, non ſolum limitatur lex illa communis, quæ dicit in inferno nullam eſſe redemptionem, ſed etiam aliæ, quæ dicunt ſine fide, ſine Baptiſmo, ſine pœnitentia mortalis peccati, neminem poſſe ſaluari, quæ omnes adimplẽtur ſi ad vitam reuocantur, & per hoc priuilegium vna tantum lex limitatur. 2. quia Doctores hoc priuilegium illis dumtaxat factum fuiſſe concedunt, qui reſuſcitati, & conſequenter poſtea baptizati, ſeu pœnitentes fuerunt, & reuelationes habitæ de illis, qui reſuſcitati fuerunt, vt pœnitentiam agerent teſtantur, quòd ideo erant reſuſcitandi, quia ſine baptiſmo, & pœnitentia ſaluari non poterant, vt in vitis ſanctorum, & miraculis B. Virginis videri poteſt. Et licet nulla hiſtoria teſtetur de reſurrectione Traiani, & de eius pœnitentia, & baptiſmo, nihilominus S. Thom. dicit eum fuiſſe ad vitam reuocatum, & ſic gratiam conſecutum eſſe. ſ. per baptiſmum, & conſequenter remiſſionem peccatorum & immunitatem à pœna; Et argumentum ab auctoritate negatiuè non valet, præſertim cum illa reſurrectio potuerit eſſe ſecreta. 3. quia cum certiſſimæ ſint iſtæ Dei leges, & fide tenendæ. ſ. in- (Reſuſcitati fuerũt.)

inferno nullam eſſe redemptionem, ſine Baptiſmo, ſine fide, ſine pœnitētia mortalis peccati, & ſine gratia neminem poſſe ſaluū ſieri, & priuilegium de aliquorum liberatione à pœnis inferni, nō alia ratione cogamur aſſerere, quam virtute reſurrectionis, & cōſequenter Baptiſmi, ſeu pœnitentiæ eorundem; ſi hoc priuilegiū etiam ad illos, qui non reſurrexerunt extēderemus, quodammodo infirmarentur omnes prædictæ leges, & ita extolleretur Dei miſericordia ſupra iuſtitiam, quòd paulatim omnibus ferè concederetur, & in hæreſim Origenis facilè quis laberetur.

Sine reuelatione nō licet orare pro dānatis.

Quinta concluſio. Non obſtante prædicto priuilegio de quorundam liberatione à pœnis inferni, orare pro aliquo damnato ſine peculiari reuelatione, vel Spiritus ſancti inſtinctu, quo ſperetur, Deum velle mediantibus ſuis precibus eum ad vitam reuocare, eſt peccatum mortale. Quòd ſit peccatum mortale probatur, quia oratio non debet fieri niſi ſecundum legem communē, lex autem communis eſt, quòd in inferno nulla eſt redemptio, & iſta oratio nobis expreſſe prohibetur, adeo vt etiam pijſsima ſancta mater Eccleſia nullo modo pro illis oret, vt in tertia concluſione oſtendimus. Suis etiam orationibus tantum tribuere, vt quis ſperet ex peculiari priuilegio contra communem Dei legē, poſſe obtinere alicuius damnati liberationem à pœnis inferni, nō ſpes, ſed maxima præſumptio, & ſuperbia eſt. Quando autem Deus vult alicui damnato hoc priuilegium facere, reuelat, vel inſpirat alicui ſancto, vt pro illius reſurrectione oret, & conſecutio effectus, oſtendit quòd ex peculiari Spiritus ſancti inſtinctu, illa oratio facta fuit, & ſic orans ab omni præſumptione, & peccato excuſatur. In quo reprehendendus eſt Abulenſis, qui inquit, S. Gregorium orando pro Traiano mortaliter peccaſſe, ſed nihilominus fuiſſe exauditum, & in pœnam peccati condemnatum fuiſſe, vt ſtomachi, & pedum dolore laboraret, quæ falſa ſunt, nam non peccauit orando, & ille pedum, & ſtomachi dolor quo etiam ante laborabat, non fuit in pœnam, ſed vt eo in humilitatis virtute contineretur, ſicut & Paulo datus fuit ſtimulus carnis, ne magnitudo reuelationum eum extolleret.

Abul. in 4. Reg. q. 57.

2. Cor. 12.

Argumenta contraria cum ſolutionibus, & quomodo intelligantur illa verba Eccleſiæ: Ne abſorbeat eas tartarus. Ne cadant in obſcurum.

Cap. IX.

SVpereſt vt adducamus præcipua argumenta, quæ in contrarium fieri poſſunt, eiſque reſpondeamus, & Primum ſit ex Aug. in Enchir. & habetur 13.q.2.ca.tempus. Cum ſacrificia altaris, ſiue quæcumq; eleemoſynarum pro baptizatis omnibus offeruntur, pro valde bonis, gratiarum actiones ſunt, pro non valde malis propitiationes ſunt, pro valde malis, & ſi nulla ſunt adiumenta mortuorum, tamen viuorum conſolationes ſunt, quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, vt fit plena remiſſio, aut certè tolerabilior fiat ipſa damnatio. Vbi inquit Gloſa, quod S. Aug. hic diſtinguit quatuor genera hominum. ſ. valde bonos, & valde malos, mediocriter bonos, & mediocriter malos, pro valde bonis non eſt orandum, iniuriam enim facit Martiri, qui orat pro Martire, valde malis non proſunt, ſed mediocriter bonis proſunt, vt citius liberentur à pœnis purgatorij, mediocriter malis proſunt ad hoc, vt mitius puniantur, nunquam tamen liberabuntur. Reſpondetur iſtam Gloſam quoad hanc vltimam partem fuiſſe reprobatam, & condemnatam à Greg. xiij. & merito, nam eſt falſa, & S. Auguſtinum non intellexit, diuiſio enim S. Aug. non eſt quadrimembris, ſed trimembris, nam per mediocriter malos, non intellexit aliquos damnatorum, quia omnes ſunt ualde mali, ſed intellexit eos, qui in purgatorio exiſtũt, iſti enim ſunt mediocriter boni, & mediocriter mali, ſunt mediocriter boni, quia deficiunt à perfectione bonitatis, non enim ſunt ſine venialibus, nec plenè ſatisfecerunt pro ſuis peccatis, & propterea ſunt etiam mali, ſed mediocriter, quia sũt ſine culpa mortali. Et iſtis ſuffragia, aut ad hoc proſunt, vt ſit plena remiſsio, aut certè (inquit Aug.) vt tolerabilior fiat ipſa damnatio, vbi dãnationis nomine intelligit pœnam purgatorij, qui etiam modus loquendi vſitatus eſt in humano iudicio, non ſolum enim dicitur condemnatus, qui ad mortem condemnatur, ſed etiam, qui ad carcerem ad tempus, vel ad pœnam pecuniariam, à qua aliquando liberatur.

Argumenta contraria cũ ſolutionibus. Primum argumentum.

Reſpōſio.

Secundum argumentum eſt, quia 2. Machab. 12. dicitur, quòd inuenerunt ſub tunicis interfectorum de denarijs idolorũ à quibus lex prohibet iudæos, & tamen poſt ſubditur, quòd Iudas

Secũdum argumentum.

duodicim milia dragmas argenti, miſit hieroſolymã, offerẽs pro peccatis mortuorum, conſtat autem illos mortaliter peccaſſe cõtra legem agentes, & ita in mortali peccato deceſſiſſe, & conſequenter ad infernum deſcendiſſe; ergo ſuffragia proſunt exiſtentibus in inferno. Reſpondet S. Thom. quòd donaria idolorum non fuerunt inuenta apud illos mortuos, vt ex eis ſignum accipi poſſet, quòd in reuerentiam idolorum ea deferrent, ſed ea acceperunt, vt victores, quæ eis iure belli debebantur, & tamen per auaritiam venialiter peccauerunt, vnde non fuerunt in inferno damnati, & ſic ſuffragia eis prodeſſe poterant. Vel etiam dici poteſt ſecundum quoſdam, quòd in ipſa pugna videntes ſibi periculum iminere, de peccato pœnituerunt, ſecundum illud pſalmi: Cum occideret eos quærebant eum, & hoc probabiliter poterat æſtimari, & ideo fuit pro illis facta oblatio.

Reſpõſio.

Tertium argumentũ

Tertium argumentum, quia in vitis patrum legitur (quòd etiã refert Damaſcenus in ſermone pro defunctis) quòd Macharius inuẽta in via caluarie cuiuſdã defuncti, oratione præmiſſa quæſiuit cuius caput fuiſſet, & caput ei reſpondit, quòd fuerat Sacerdotis gentilis, qui in inferno erat damnatus, & tamen confeſſus eſt oratione Macharij ſe & alios iuuari, ergo ſuffragia Eccleſiæ proſunt exiſtentibus in inferno. Reſpondetur cum S. Tho. quòd illud adiutorium non erat, quòd pœna eorum diminueretur, ſed in hoc ſolum conſiſtebat, vt ibidem dicitur, quòd eo orante, concedebatur eis, vt mutuo ſe viderent, nam naturaliter deſiderant videre, quæ apud nos fiunt, & aliquãdo precibus ſanctorum pro viuentium vtilitate apparent, & in hoc aliquod gaudium non verum, ſed fantaſticum habent, dum impletur hoc, quòd deſiderãt, ſicut & dęmones gaudere dicuntur, dum homines ad peccata pertrahunt, quamuis per hoc eorum pœna nullatenus minuatur, ſicut nec minuitur gaudium angelorum per hoc quòd malis noſtris compati dicuntur. Et poſſumus hoc damnatorum gaudium comparare gaudio, quòd habet pater, qui cum ducitur vt ſuſpendatur, uidet filium ſuum.

Reſpõſio.

Quartum argumentum.

Quartum argumentum, quia Dion. in vlt. cap. Cæl. Hierar. inquit Iuſtorum orationes, & ſecundum hanc vitam, quanto magis poſt mortem, in his qui digni ſunt ſacris orationibus operantur tãtummodo, ex quo poteſt accipi, quòd ſuffragia magis proſunt mortuis, quam viuis, ſed viuis proſunt etiam in peccato mortali exiſtentibus, cum quotidie Eccleſia oret pro peccatoribus, vt cõuertantur ad Deum, ergo ſuffragia valent etiam mortuis in peccato mortali. Reſpondet S. Tho. quòd quantum ad hoc magis ac-

Reſpõſio.

cepta-

ceptatur ſuffragium pro mortuo, quam prò viuo, quia magis indiget, cum non poſſit auxiliari ſibi ſicut poteſt viuus, ſed quantum ad hoc etiam viuus eſt melioris cõditionis, quia poteſt transferri de ſtatu culpæ mortalis in ſtatum gratiæ, quod de mortuis dici non poteſt, & ideo non eſt eadem cauſa orandi pro mortuis, & pro viuis.

Quintum argumentum, quia miſericordia exaltat omne iudicium, ſicut dicitur Iacobi 3. ergo exaltat iudicium condemnationis, ergo videtur, quòd ex miſericordia concedatur aliquod alleuiamen damnatis ſanctorum interceſſionibus. Reſpondet Tur. Cre. ex Alberto Magno, quòd duplex eſt miſericordia, liberans, & relaxans, liberantem autem non ſentiunt damnati, ſed relaxantem, non tamen in ſuffragijs, ſed in hoc, quod citra condignũ puniuntur. pro quo notandum eſt cum S. Bonau. quòd relaxatio pœnæ damnatorum poteſt dupliciter intelligi, aut quantum ad taxationem, & inflictionem pœnæ, & ſic abſque dubio ex diuina miſericordia eſt ibi mitigatio, ſiue relaxatio, quia diuina iuſtitia non totum exigit, pro eo, quod eius pietate interueniente aliquam partem pœnæ infligendæ remittit; aut poteſt intelligi mitigatio, ſiue relaxatio pœnæ, poſt pœnæ taxationem, & inflictionem, & hoc modo nulla cadit relaxatio, aut mitigatio à diuina miſericordia, quia ex tunc claudit eis Dominus viſcera pietatis.

Quintum argumẽtũ
Reſpõſio.
4.ſ.d.46. q.2.

Sextum, & vltimum argumentum ſit, quia Eccleſia videtur orare pro damnatis, nam in officio mortuorum orat, A porta inferi, erue domine animas eorum; & in Miſſa, Ne abſorbeat eas tartarus, ne cadant in obſcurum, ſed ſignifer Sanctus Michael repræſẽtet eas, &c. quæ non videntur poſſe intelligi de animabus in purgatorio exiſtentibus, quia certa eſt earum ſalus. Reſpondetur, quòd illæ orationes non fiunt pro damnatis, ſed pro animabus exiſtentibus in purgatorio, & eis non ſignificatur, quòd aliàs in purgatorio exiſtentes damnarentur, nam certa eſt earum ſalus, etiam ſi ſuffragijs non iuuarentur, nam poſt plenam ſatisfactionẽ nihilominus ad cœleſtem, gloriam euolabunt. Sed Eccleſia pia mater orat in Miſſa generaliter pro omnibus Chriſti fidelibus in hac vita, vel in purgatorio exiſtentibus, & ita particulariter orat aliquando pro aliquibus, vt non excludat alios, & quando orat pro mortuis, non ſolum orat pro iam mortuis, vt liberentur à pęnis purgatorij, ſed etiam pro illis qui ſunt in tranſitu, pro inſtanti quo anima eſt ſeparata à corpore; nam licet eodem inſtanti iudicetur, & in locum ſibi deputatum deſcendat, prius tamen natura intelligitur anima ſeparata, dibino conſpectui præſentata, tum iudi-

Sextũ argumentũ.
Reſpõſio.
De ſenſu verborũ Miſſæ.

indicata,& demum ad locum ſuum deducta, Eccleſia, quæ pro fidelibus in quolibet ſtatu exiſtentibus orat,etiam orat pro animabus à corporibus ſeparatis in illo priori naturæ, in quo intelligũtur ſeparatæ,& præſentandæ æterno iudici, & illas ſuis ſuffragijs comitatur,petitq; ne condemnentur ad illas pœnas,& purgatorium appellat infernum, tartarum,& obſcurum, tum quia inferni nomine,largo modo intelligitur etiam limbus, & purgatoriũ, tum etiam ad oſtendendam acerbitatem pœnarum purgatorij, de cuius acerbitate inquit S. Aug. quod ſic ſe habet ignis purgatorij ad pœnas præſentes, vt uerus ignis ad ignem pictum. Orat ergo quantum ad eos qui moriuntur,ne eorum animæ cadant in obſcurum,& ſi earum exigentibus meritis in obſcurum cadunt, vel ceciderunt, ne eas abſorbeat tartarus, ideſt ne abſortas retineat,vt communiter exponitur,vel melius,ne eas detineat quantum detinere poteſt,& detineri merentur, ſed citiùs liberentur: tunc enim propriè dicuntur à purgatorio abſortæ, & ſic abſortæ ſtatim liberantur,quia plenè ſatisfecerũt.Et ſi quis velit vtrumq; intelligere de animabus in purgatorio exiſtentibus. Reſpondetur primo, quòd Eccleſia orat pro omnibus animabus purgatorij, & formam orationis ſumit à maxima eius charitate, quæ eſt deſiderium, vt liberentur antequam ibi deſcendant, ſecundum quam cũ eſſent in corpore pro omnibus ſemper vſq; ad exalationem orauit,& ſi in gratia ſunt ſeparatæ à corporibus illas ſuis ſuffragijs in inſtanti ſeparationis comitatur,& æterno iudici, vt pia mater cum illis pro earum liberatione ſe præſentat, & hoc ſuum deſiderium, cum pro animabus in purgatorio exiſtentibus orat Deo manifeſtat,ex quo conſequenter orat, & petit, deſcenſas liberari,non enim attendenda eſt tantum vis verborum, ſed etiam intentio Eccleſiæ,& ratio formæ,ſeu modi orandi, ſicut & in forma extremæ vnctionis,quæ eſt per modum deprecationis, quia moriens tranſit ad forum Dei, ſed non ob id eſt minoris efficaciæ, & Sacramentum illud confert gratiam ex opere operato ſicut & alia. Et ſi quis velit illarum orationum verba ſecundũ eorum proprietatem intelligi de animabus in purgatorio exiſtẽtibus. Reſpondetur ſecundo, illud ne cadant in obſcurum ſic intelligendum eſſe,vt ſimul pro earum liberatione oret, & inſinuet varia tormentorum genera quibus cruciantur,ex vno in aliud cadentes, vt hoc etiam tranſitu ab vno contrario in aliud,grauius crucientur. Iob 24. ad nimium calorem tranſient ab aquis niuiũ, quòd etiam ſignificauit Chriſtus cum dixit: ibi erit fletus, & ſtridor dentium, ſtridor dentium denotat ſummam frigiditatem,

quæ

quæ erit in inferno, vbi eſt ignis æternus. Sicut è contra ſancti in hac vita dicuntur aſcendere de virtute in uirtutem, & de fide in fidem, & ſenſus eſt ne cadant de pœna in pœnam, iuxta earũ demerita, ſed liberentur, vel ſaltem earum pœna virtute ſacrificij alleuietur. Sic ergo Eccleſia oſtendit ſuam ardentem charitatem erga animas purgatorij, & acerbitatem pœnarum, quas patiuntur, vt omnes excitet adorandum pro illis.

In qua parte Miſſæ conſiſtat ratio ſacrificij.
Cap. X.

CERTVM eſt, & de fide, Euchariſtiam non eſſe ſolum Sacramentum, ſed eſſe etiam Sacrificium, quod in Miſſa offertur, ſed cum Miſſa multa contineat, dubiũ eſt in quo pręciſè conſiſtat ratio ſacrificij. Iſta quæſtio non eſt cõmuniter à Theologis tractata, oſtendunt quidem Miſſam eſſe ſacrificium, & Chriſtum in Miſſa immolari, & ſacrificari, ſed in quo præciſè conſiſtat iſta immolatio non ſpecificant, de quo duas reperi ſententias. Prima eſt Dominici Soti, qui inquit rationem Sacramenti Euchariſtiæ perfici in conſecratione, rationem verò Sacrificij conſiſtere in oblatione, ſed ſubdit, quòd non tota ratio ſacrificij in ſola oblatione conſiſtit, nam ad ſacrificium integrandũ tria concurrunt. Primo conſecratio, nam cum id, quod offertur ſit Corpus, & Sanguis Chriſti, eorum conſecratio ſic eſt forma ſacramenti, vt etiam ad Sacrificium pertineat, quia fit, vt offeratur. 2. oblatio, quæ duplex eſt, vna materiæ conſecrandæ, cum dicitur: Suſcipe ſancte Pater, &c. Supplices te rogamus, &c. altera poſt conſecrationem, cum dicitur, Offerimus hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, &c. 3. eſt ſumptio Corporis, & ſanguinis, & inquit, quòd in ſumptione præcipuè conſiſtit ratio ſacrificij, & probat, quia ratio Sacrificij in eo cõſiſtit in quo repræſentatur mors Chriſti, ſed Chriſti mors repræſentatur non in conſecratione, ſed in ſumptione, nam conſecratur, vt immoletur dum ſumitur, quæ ſumptio eſt mortis, & ſepulturæ Chriſti effigies, & in ſumptione ſanguinis, adhibetur imago effuſionis eius, & ob id (inquit) tantæ curæ fuit Eccleſiæ, vt nunquam Sacerdos conſecraret quin vtrumq; ſumeret, quia aliàs Sacrificium remaneret truncum, & imperfectum, vnde ſubdit, quod quando populus etiam qui Sacris aſſiſtit ſanctam ſuſcipit communionem, per ipſam etiam ſumptionem ſuo ordine, & gradu ſacrificat.

Sot. 4. diſ. 13. q. 2. ar. 1.

Secunda ſententia eſt Ambroſij Catharini, quòd ratio ſacrificij con- Catha. in

traſt. de veritate ſacrificij incruenti. cij conſiſtit in benedictionibus, orationibus rei offerendæ, & in eius oblatione, nam ad ſacrificium (inquit) tria requiruntur, offerens, quod offertur, & ipſa oblatio, dicit enim Apoſtolus, Omnis Pontifex ad offerendum munera cõſtituitur, id autem, quod offertur, debet eſſe acceptabile, & placere Deo, & ideo aptatur & ſacrum fit à Sacerdote, Vnde (inquit) Sacrificium nihil aliud eſt quam operatio quædam circa rem aliquam qua ſacra fiat, & digna quæ offeratur, & oblata placeat Deo, Sacrificare enim importat ſacrum facere, quæ omnia in hoc ſacrificio concurrunt, id quod offertur eſt Corpus, & Sanguis Chriſti velatum, quod Sacerdos facit dum benedicit (debuit dicere dum conſecrat, non enim fit benedictionibus, & orationibus, ſed prolatione verborũ. Hoc eſt enim, &c. Hic eſt enim Calix, &c.) & ex ſe, & ſui dignitate eſt gratum Deo, dignum omni acceptatione, & ſacerdos illud offert, & gratias agit, vt ſit dignum acceptari etiam ex parte offerentis, ſaltem vt miniſter Eccleſiæ, ſi ipſe ſit in peccato mortali, & hæc benedictio, & oratio, & oblatio rei acceptabilis corã Deo, facit hoc ſacrificium, quod eſt memoriale ſacrificij cruenti.

Sacrificiũ Miſſæ eſt illud idẽ Crucis. Pro huius ſolutione ſit prima concluſio. Hoc Sacrificiũ quod in Miſſa offertur, eſt illud idem prorſus numero, quòd oblatum fuit in ara Crucis, ſed modo diuerſo, illud enim fuit cruentum, & hoc eſt incruentum. Probatur, quia, Chriſtus qui ſe ipſum in ara Crucis obtulit Patri, ſe ipſum nobis reliquit, vt in illius ſacrificij memoriam quotidie illum immolaremus, & ſacrificaremus, & propterea hoc Sacramentum vocatur ſacrificium, non ſolũ, quia eſt ſignum ſacrificij in cruce oblati, & ſigna nominibus earum rerum quarum ſunt ſigna, appellantur; ſed etiam quia ita eſt illius ſignum, vt ſit idem prorſus ſacrificium, vnde Chriſoſtomus: Vna eſt hæc hoſtia, non multæ, quomodo vna eſt, & non multæ? quia ſemel oblata eſt in ſancta ſanctorum, hoc autem ſacrificium exẽplar eſt illius, idipſum ſemper offerimus. Et Concilium Tridentinum: Vna eademq; eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa.

Chriſoſt. hom. 17. in Epiſt. ad hæb. Cõc. Trid ſeſ. 22. c. 2

Ratio ſacrificij cõſiſtit in eo quod repræſentat mortem. Secunda concluſio. In eo propriè conſiſtit ratio Sacrificij Miſſæ, quòd repræſentat Chriſti mortem. Hæc concluſio eſt certa apud omnes, nam ſacrificium cruentum conſiſtit in Chriſti morte, & illius occiſio in quantum fuit à Chriſto voluntariè pro ſalute generis humani ſuſcepta, & oblata Patri, dicitur Sacrificium. Et ita Rom. 5. dicitur; Reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, in quantùm ſ. ipſa mors Chriſti fuit ſacrificium acceptiſsimum

mum Deo, ſecundum illud Epheſ. 5. Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Sed hoc Sacrificium incruentum, eſt ſignum expræſſiuum ſacrificij cruenti, quo etiam idem prorſus ſacrificium offertur, ergo ratio huius ſacrificij conſiſtit in eo, quod repræſentat Chriſti mortem.

Tertia concluſio. Ratio Sacrificij conſiſtit in conſecratione, vt eſt facta in Dei gloriam, & pro ſalute generis humani. Probatur primo; quia in ea potiſſimum, & ex diuina inſtitutione repræſentatur Chriſti paſſio, nam vi conſecrationis, ſanguis repræſentatur ſine corpore, & Corpus ſine Sanguine, eſt quidem per concomitantiam ſanguis cum corpore, & Corpus cum Sanguine, ſed non vi conſecrationis, nam alia eſt conſecratio Corporis, & alia ſanguinis, ad exprimendam, & repræſentandam vi conſecrationis Chriſti mortem. 2. Chriſtus eſt Sacerdos in æternum, & ſempiternum habet Sacerdotium Hæb. 7. & dicitur Sacerdos in æternum, quia ſicut ſe ipſum obtulit Patri in cæna, & in cruce, ita etiã ſe ipſum quotidie offert Sacerdotum miniſterio. Vnde Oecumenius inquit. Neque enim de ea, quæ ſemel à Deo facta eſt oblatio, & hoſtia, dixiſſet in æternum, ſed reſpiciens ad præſentes ſacrificos, per quos medios Chriſtus Sacrificat, & ſacrificatur, qui etiam in myſtica cœna modum illis tradidit huiuſmodi ſacrificij. Et Concilium Tridentinum, vna (inquit) eademq; eſt hoſtia, idẽ nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa; Si ergo cum Sacerdos offert, Chriſtus eius miniſterio, vt Sacerdos in æternum offert, tunc efficitur Sacrificium, quando Sacerdos profert verba in perſona Chriſti; hoc autem efficit ſolum in Conſecrarione, ergo in ea conſiſtit ratio Sacrificij. 3. Chriſtus in cæna hoc Sacrificium incruẽtum inſtituit, & primo obtulit, & diſcipulis tradidit, quod ex Euangelio, & ſacris Doctoribus patet, & Concilium etiam Tridenrinum declarauit dicens; Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc noui teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent, tradidit: prius ergo obtulit, & poſtea dedit, & quando dedit primus ſumpſit, ex quo ſequitur, quòd illius ſacrificium non conſiſtit in ſumptione, ſed in conſecratione, nam conſecrando obtulit, & quod conſecrabat offerebat, quod ſignificant ea, quæ tunc Chriſtus fecit, nam eleuatis oculis in Cęlum, accepit panem, & gratias agens, benedixit, & dixit, &c. qui actus non referuntur ad ſumptionem, ſed ad conſe-

Conſiſtit in conſecratione.

Oecu. in Ca. 5. Ep. ad hæb.

Cõc. Trid ſeſſ. 22. c. 2.

cra-

crationem, & ante ſumptionem Corpus, & Sanguis iam erat conſecratum, & Patri oblatum. Quòd Greg. Niſſenus expræſsè docuit dicens: Se ipſum pro nobis hoſtiam offert, & victimã immolat, Sacerdos ſimul exiſtens, & agnus Dei, illi qui mundi peccatũ tollit. quando id præſtitit? Cum Corpus ſuum diſcipulis cõgregatis edendum, & ſanguinem bibendum præbuit, tunc apertè declarauit agni ſacrificium, iam eſſe perfectum, nã victimæ corpus non eſt ad edendum idoneum ſi animatum ſit, quare cum corpus edendum, & ſanguinem bibendum diſcipulis exhibuit, iam arcana, & non aſpectabili ratione, corpus erat immolatum, vt ipſius myſterium peragentis poteſtati collibuerat, & anima in illis erat, &c. Ecce quomodo ante ſumptionem, ſacrificium erat completum. quod etiam docet Apoſtolus, 1. Cor. 10. Non ne qui edũt hoſtias participes ſunt altaris, ideſt Sacrificij, ideſt offertur Sacrificium, & qui edunt de eo, quod ſacrificatum eſt, participes ſunt ſacrificij: Cum ergo Chriſtus in cœna cõſecrauerit Corpus ſuum, & ſanguinem, & conſecratum ſumpſerit, & dederit, & ante ſumptionem eſſet factum ſacrificium, ſequitur quod immolauerit, & ſacrificauerit in conſecratione, nam nihil aliud legitur feciſſe, illud enim, quod panem acceperit, & eleuatis oculis, ad Patrẽ, gratias egerit, ac benedixerit, pertinet ad offerendum id quod conſecrando faciebat, quia tunc ſacrificabat, & ita eadem in conſecratione facimus. Sed ſacrificium, quod in Miſſa offerrimus, eſt illud idem prorſus, ergo ſacrificiũ Miſſę conſiſtit in conſecratione.

Greg. Niſ in orat. prima de Reſurr. Chriſti.

Et confirmatur primo, quia in ipſa conſecratione multa fiũt, quæ pertinent ad oblationem, & ad offerendum id quod fit Patri pro ſalute noſtra, nam Sacerdos ad Chriſti imitationem, ſeu potius in perſona Chriſti, eleuat oculos in Cœlum, accipit panẽ, & benedicit, conſecrat, & poſtea conſecratum adorat, & eleuat, non ſolum, vt populus adoret, ſed illa eleuatio eſt etiam quædã illius oblatio Patri, ſimiliter & de calice. Confirmatur ſecundò, quia poſt conſecrationem ſacerdos immediatè profert præceptũ Chriſti de ſacrificando, Hæc quotieſcunque feceritis, &c. quaſi tunc oblatum fuerit Sacrificium, quod præcepit offerri.

Confirmatur.

Obiectio prima. Nec obſtat ſi dicatur, quod mors Chriſti repræſentatur etiam per multa alia, quæ efficiuntur in Miſſa, vt per multas cruces, & alia, ſicut oſtendunt illi qui exponunt Miſſæ ceremonias, & præcipuè repræſentatur per ſumptionem, vt etiam dicit Apoſtolus, Quotieſcunq; manducabitis panem hũc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec veniat.

Reſpõſio. Nam in Miſſa non ſolũ repræſentatur ipſa mors, ſed etiam totum myſterium paſsionis, cum

cum antecedentibus,& ſubſequentibus,& ipſa quoq; mors, mul tipliciter repræſentatur,ſed præcipuè,& principaliter, & ex inſtitutione diuina,repræſentatur in cõſecratione,quia (vt diximus) vi conſecrationis,ſanguis repræſentatur ſeparatus à corpore, & propterea in ipſa conſiſtit ratio ſacrificij, repræsẽtatur etiam per multas cruces,& ceremonias ſecundario,& ex inſtitutione Eccleſiæ, & propterea in illis non conſiſtit præciſè ratio ſacrificij. per ſumptionem autem potius repræſentatur ſepultura, & mors fuit prius repræſentata per conſecrationẽ,nam vt citauimus ex Greg. Niſſeno, victimæ corpus non eſt ad edendum idoneum ſi animatum ſit,& ideo cum Corpus edendum, & ſanguinem bibendum diſcipulis exhibuit,iam arcana,& non aſpectabili ratione, corpus erat immolatum. Omnia igitur pertinent ad perfectionem ſacrificij,ſed eius præciſa ratio conſiſtit in conſecratione.

Nec etiam obſtat ſi dicatur, quòd poſt conſecrationem Sacerdos offert conſecrata,dicens,Offerimus præclaræ Maieſtati tuæ, hoſtiam puram,hoſtiam ſanctam, &c. quaſi in illa oblatione conſiſtat ſacrificium,nam ſacrificium eſt quædam oblatio. Et huius ſolutionem deducemus ex Innoc. Alex.& Gab. in ſolutione alterius dubij,nam cum obijceretur, quòd poſt conſecrationem ſubiunguntur,non ſolum benedictionis ſigna,ſed etiam verba,quæ ad conſecrationem pertinere videntur,vt illa [per quem hæc omnia bona,creas,ſanctificas,viuificas] reſpondent quòd quæcumque verba ſequentia,quæ conſecrationem ſonare videntur,intelligenda ſunt, non pro tempore quo referuntur, ſed pro inſtanti prolationis formæ conſecrationis,ſecundum illam figuram, qua ſæpe fit,vt quæ narratione ſuccedunt,intellectu præcedant, non enim poſſunt ſimul dici,quæ ſimul facta ſunt,& fiunt. Eodem modo dicimus, quod illa oblatio referenda eſt ad inſtans conſecrationis, quæ,quia non poteſt tunc fieri verbis,fit ſignis, eleuatione.ſ. oculorum,benedictione panis, & vini, & eleuatione corporis, & ſanguinis, per illam ergo oblationem non fit ſacrificium, ſed factum fuit, & oblatum à Sacerdote in perſona Chriſti, quando conſecrauit; Sed quia non potuit Sacerdos tunc exprimere propriam etiam oblationem,vt eſt miniſter Eccleſiæ; iterum offert quod obtulit in perſona Chriſti, quod ad illud inſtans conſecrationis referendum eſt.

Obiectio ſecunda.

Reſpõſio. Alex.4.p. q. 37. Gab.Biel. lect.55. ſuper can.

De

De diſtinctione Miſſarum, & an ſatisfaciat Sacerdos dicendo vnam Miſſam pro alia, & an diebus feſtis poſsint dici & cantari Miſſæ votiuæ.

Cap. XI.

Miſſarum diuerſitas quomodo intelligenda.

IDEM prorſus eſt ſacrificium in omnibus Miſſis, quod offertur Deo, ſed tamen non eſt ſemper eadem cauſa pro qua offertur, eſt quidem ſemper eadem principalis, Dei. ſ. gloria, & noſtra ſalus, ſed nihilominus variæ cauſæ ſunt particulares, & proximæ, aliquādo enim offertur in gratiarum actionem, aliquando pro aliqua gratia obtinenda, aliquando pro viuis, aliquando pro defunctis, aliquando offertur quidem Deo, ſed in honorem etiam ſāctorum, & ſicut ſunt diuerſæ cauſæ particulares, ita etiam ſunt diuerſæ orationes, diuerſæ Epiſtolæ, & alia Euangelia, omnia appropriata, quibus etiam excitatur celebrantis, & audientium animus ad id peculiariter orandum. Et propterea meritò inſtitutæ fuerūt ab Eccleſia variæ Miſſæ, & Sacerdos tenetur celebrare illas ad quas eſt peculiariter obligatus, aliàs enim defraudat illos pro quibus celebrat, peculiari fructu; non quidem principali, qui eſt virtute ſacrificij ex opere operato, ſi pro illis offert, nam cum idem ſit ſacrificium, eadem etiam eſt illius virtus, ſed defraudat illos fructu peculiari illarum peculiarum orationum, non ſolum, quæ dicuntur in Miſſa, ſed illarum etiam quas aſtantes facerent excitati Miſſa, quam audiunt, & licet huic defectui facilè ſuppleatur, puta per interceſſionem illorum ſanctorū quorum Miſſæ dicuntur, accedit, quod Sacerdos deeſt muneri ſuo, & ſcandalum dat, & quod ſic imminueretur diuinus cultus, nam homines, dum vident non celebrari illas Miſſas, pro quibus eleemoſynas dederunt, facilè retrahuntur à tam pijs, & ſanctis operibus.

Diebus feſtis non dicātur Miſſæ uotiuæ

Illud tamen eſt hic aduertendum ne diebus feſtis omittantur Miſſæ propriæ illorum dierum, pro alijs priuatis, quia hoc etiam ſcandalum eſſet, ſed Miſſæ priuatæ in alium diem transferantur, niſi ſit cauſa vrgens, puta quia benedicendę ſunt nuptię, ſepeliendus eſt mortuus, agendę ſunt gratię pro publico beneficio illo die recepto, & huiuſmodi, quibus etiam caſibus non ſint omnes Miſſę votiuæ, ſed dicantur etiam alię Miſſę de feſto tūc occurrenti, ſi in illis Eccleſijs ſint plures Miſſę. At ſi in illa Eccleſia non eſſet niſi vna Miſſa, & Eccleſia eſt curata, & etiam ſi non ſit curata, tamen populus ad illam audiendam accedit, non debet omitti Miſſa

ti Miſſa de Feſto, pro alia uotiua. Sed aliquibus videtur, quod diebus feſtiuis, & præſertim ſolennibus non poſsit dici, aut ſaltē cantari Miſſa uotiua, quia hoc videtur prohibitum in ca. quidam, de Celeb. Miſſ. & per rubricas Miſſalis, & probatur etiam ratione quia diebus Feſtis Miſſę non ſunt cantandę, niſi hora tertia, ſecundum rubricas, & canones. cap. Nocte. de Conſ. diſt. 1. Sed tunc cantata Tertia, cãtanda eſt Miſſa Feſti, & poſt illam immediatè dicenda eſt Sexta, & Nona, qua dicta terminatur officium, ergo ſecundum Canones, & rubricas non eſt hora in qua Miſſæ votiuæ poſſint cantari. His tamen non obſtantibus dicimus ex cauſa poſse cantari, & Canones hoc nõ prohibere, ſed potius expræſsè concedere: Quod Canones, & rubricæ perhibent hoc eſt, ne alia Miſſa ſolenniter, aut ita cantetur, quòd impediatur ſolennitas Miſſæ dici, & quod poſſit cantari, probatur ex cap. Et hoc, de cõſ. diſt. 1. vbi hoc ſatis apertè traditur, quod etiam ibidem docet Tur. Crem. & illud verbum [non ita in publico fiant, vt &c.] exponit, ideſt, non ita cantentur vt &c. idem docet ibidem Archid. Idem etiam tenet Abbas in d. cap. quidam. Probatur etiam ex Conc. Senonenſi parte 2. cap. 15. Et ex Conc. Mediolanẽſi 4. prouinciali. Nec obſtat d. ca. quidã de Cel. Miſ. ſed potius ꝓ nobis facit, ibi enim repræhẽditur quorundã abuſus, qui ex ſuperſtitione volebãt ſemper audire idem Euangelium, vel eandem Miſſam, & non præcipitur, ut omittatur Miſſa particularis, ſed ne dimittatur Miſſa diei propter particularem; imo, vt ibidem notat Abbas, conceditur quod poſſit etiam cantari alia particularis, vt clarius habetur in Conc. Saleguſtadienſi, cap. 10. vnde deſumptũ eſt illud cap. Eſt autem cantanda ante Tertiam, vt inquit Tur. Cre. quia ſic non impeditur ſolennitas officij diei. Ad id quod obijcitur de rubrica Miſſalis, Reſpondetur quòd intelligitur quando ex propria deuotione dicuntur; dato etiam, quod generaliter loqueretur, ſi concilium generale in generali diſpoſitione non tollit contrariam conſuetudinem, niſi exprimat, & exprimẽdo, non ob id tollit contrarium priuilegium niſi ei deroget, multo minus tollet rubrica generalis, quæ ita unam opinionem ſequitur, vt alteram non condemnet, ſicut diximus ſuperius, ca. 3. & 4. Vnde videmus, quod etiam in diebus ſolennibus celebrantur Miſſæ ſolennes Communitatis in gratiarum actionem pro victoria illo die obtenta, vel pro natiuitate Principis: ob quas cauſas cum in die Paſchæ eſſet ſepellienda Monialis, & conſuetudo apud eas eſſet, vt non ſepelliantur ſine Miſſa defunctorum, conſului, quod cantaretur ante Tertiam, & quando ſic cantantur, nõ

Quod ex cauſa poſſint etiam cantari.

impeditur ſolemnitas diei, nec vllum poteſt eſſe ſcandalum, cū publicè conſtet, quòd non ex auaritia, ſed propter conſuetudinē, vel peculiarem obligationem illi diei affixam cātantur. & potius ſcandalum eſſet ſi non cantarentur. Nec obſtat, quòd in aliquibus Eccleſijs forſan ſit contraria conſuetudo, illas.ſ.transferendi vel omittendi ſi ſint pro illo certo die, in quo tunc occurrit feſtū ſolenne, nam ſponſa Chriſti propter diuerſos diuerſarum Eccleſiarum ritus eſt in ueſtitu de aurato, circundata varietate.

De illis qui quotidie tenentur celebrare, an poſsint aliquando abſtinere. Cap. XII.

DE illis autem, qui tenentur quotidie celebrare an poſſint aliquando abſtinere, cum diſtinctione reſpondendū eſt, nam aut obligatio eſt, quòd in illa Eccleſia, vel cappella quotidie dicatur Miſſa, aut obligatio eſt, quòd ille qui habet illud beneficium, vel illam cappellaniam quotidie celebret. In priori caſu, vt inquit Tabiena, quotidie ibi celebrandum eſt, & beneficiatus quando celebrare nō poteſt, tenetur prouidere de alio Sacerdote, qui celebret. In poſteriori caſu, vt dicunt Abbas Tab. & alij, illa obligatio intelligenda eſt, quòd debeat, & teneatur celebrare, quanto frequentius poteſt, ſalua honeſtate, & debita reuerētia, & deuotione ad tantum Sacramentum; nam aliàs illa obligatio eſſet illicita, & daret materiam peccandi. Ex quo ſequitur, quòd ſi in aliqua Eccleſia eſſet conſuetudo, vel ſtatutum appūtandi (vt eorum uocabulo vtar) Cappellanos qui quotidie, vel in eorum hebdomada non celebrant, non eis conceſſa facultate ſubſtituendi quando celebrare non poſſunt, eſſet illicitum, quia præberet materiam peccandi, licitum autem eſſet ſi non admitteretur ſubſtitutio, quando vellent pro maiori eleemoſyna in alia Eccleſia celebrare, ad quas fraudes euitandas poſſet cum pœna admitti ſubſtitutio, caſu quod alibi tanquam conductitij celebrent.

Tab. V. Miſſa. §. 44.

Ab. in c. ſignificatū de præb.

De perpetuis anniuerſarijs, & quare in Cappella Papæ non fiant anniuerſaria pro omnibus Summis Pontificibus, ſicut fit pro Cardinalibus, & quid ſi aliqua Eccleſia non poteſt ſupplere obligationibus celebrandi tot Miſſas. Cap. XIII.

DIFFICVLTAS, quæ oritur de perpetuis anniuerſarijs eſt, quia illa anima pro qua perpetuò celebratur, dato quod ad purgatorium deſcenderit, nō manet randiu in purgatorio, & tantum effluxit temporis, quod etiam ſi nullis precibus adiuta fuiſſet, luendo pœnas debitas, iam ſatisfeciſſet, & ad Cœlum euolaſſet, & conſequenter non amplius indiget ſuffragijs. Sed nihilominus dicendum eſt, huiuſmodi anniuerſaria non eſſe relinquenda. Primo, quia qui illa inſtituerunt non ſolum pro ſe, ſed etiam pro ſuis inſtituerunt, etiam ſi non expreſſerint, Vnde licet ipſi non ſint amplius in purgatorio, poſſunt tamen eſſe illorum affines, & illorum deſcendentes. Et dato etiam, quòd eorum affines, conſanguinei, & deſcendētes fuerint à multis, & multis annis defuncti, adhuc non ſunt relinquenda, quia licet nullus illorum indigeat his ſuffragijs, profunt tamen alijs in purgatorio exiſtentibus, quod pertinet ad accidentalem gloriam eorum, qui illa inſtituerunt, ſi ſunt in cœlo, dum virtute horum ſuffragiorum multi à pœnis purgatorij liberātur. 3. quia id eſſet contra iuſtitiam, cum pro illis anniuerſarijs redditus percipiantur, eſſet etiam ſcandalum, & multi ſimplices retraherentur à ſimili inſtitutione.

Anniuerſalia perpetua nō ſunt omittenda.

In Cappella autem Papæ non fiunt anniuerſaria pro Summis Pontificibus ſicut fiunt pro Cardinalibus, quia ſingulis annis Pōtificatus vnius, fit anniuerſarium Pōtificis immediatè præcedentis, finito autem illo Pontificatu, credendum eſt Pontificis præcedentis animam non eſſe amplius in purgatorio, nam quando dantur tot annorum millia indulgentiarum, non intelligitur ſimpliciter de iſtis annis quaſi tandiu animæ maneāt in purgatorio, ſed de pœna grauiſsima, & intentiſſima purgatorij, pro ut correſpondet pœnis huius vitæ, pœna autem breuiſſima purgatorij, correſpondet pœnis multorum annorum huius vitæ, nam licèt iſta ſit diuturnior, illa tamen eſt intenſior, & Eccleſia in conceſſione Indulgentiarum ſeruat antiquam formam, quando pro vno peccato mortali imponebantur multi anni pœnitentiæ, & in illis annis aliquot quadrageſimæ grauioris pœnitentiæ, & tantam pœ-

Quare nō fiant pro omnibus ſummis Pontifici.

Annorum millia indulgentiarum quomodo intelligātur

nam purgatorij remittit, quanta correſpondet pœnitentiæ illorum annorum, quam in hac vita facere deberemus, attenta multitudine peccatorum, ſi tamdiù viueremus; computatis etiam quadrageſimis grauioris pœnitentiæ, quando concedit annos, & quadragenas. Animæ tamen non manent tot annos, imo nec multos in purgatorio, cum attenta intenſione illarum pœnarum, citius & breui ſatisfaciant. Cum igitur ſit ſolum vnus Summus Pontifex, & ſemper ſingulis annis Pontificatus ſequentis, fiat officium pro anima præcedentis, non eſt quòd fiat anniuerſarium generale pro Summis Pontificibus, & eadem militaret ratio in ſingulis Epiſcopatibus, ſi idem ſeruaretur ritus, ſed cum non ſeruetur, fiunt anniuerſaria generalia pro omnibus Epiſcopis. Fit autem ſingulis annis in Cappella Papæ anniuerſarium pro Cardinalibus, quia Cardinales ſunt multi, & ideò timendum eſt ne ſemper aliquorum Cardinalium animæ ſint in purgatorio.

Quando nõ poteſt ſuppleri.

Si autem contingat in aliqnibus Eccleſijs, vel tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum legatis impoſitum eſſe, vt illis pro ſingulis diebus à teſtatoribus præſcriptis nequeat ſatisfieri; vel eleemoſynam huiuſmodi pro illis celebrandis, eſſe adeò tenuem, vt non facilè inueniatur, qui velit huic ſe muneri ſubijcere, vigore Concilij Tridentini Epiſcopi in Synodo diœceſana, & Abbates Generales Ordinum in ſuis capitulis generalibus, re diligenter perſpecta, poſſunt pro ſua conſcientia, in prædictis Eccleſijs ſtatuere circa hæc, quicquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Eccleſiarum vtilitatem, viderint expedire, ita tamen vt ſemper eorum defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute, legata ea, ad pios vſus reliquerunt.

Cõc. Trid ſeſſ. 25. de Refor. ca. 4.

Quod Sacerdos non ſatisfaciat celebrando vnam Miſſam pro illis omnibus, quibus ſingulis, ſingulas promiſit Miſſas, vel à quibus plures eleemoſynas accepit, vt plures Miſſas diceret, Et quòd ſi illas alteri Sacerdoti celebrare facit, non poſſit ſibi retinere partem eleemoſynæ quam pro illis accepit.

Cap. XIIII.

Prima ſẽtentia, ꝙ ſatisfaciat Caiet. 3.

HANC quæſtionem in noſtro Manuali tractauimus, & ad eam ſic reſpondimus, Caietani, & quorundam aliorum ſententiam eſſe, Sacerdotem vna Miſſa ſatisfacere illis omni-

omnibus, quibus ſingulis, ſingulas debebat Miſſas; exiſtimantes, quòd hoc ſacrificium cum ſit infinitæ virtutis, tantum proſit pro multis oblatum, ac ſi pro ſingulis eorum ſingillatim offerretur: idq; confirmant auctoritate D. Hieronimi dicentis, cum pro cunctis animabus pſalmus, vel Miſſa dicitur, nihil minus quã ſi pro vno quolibet ipſorum diceretur, accipitur, & habetur in ca. Non mediocriter de conſ. d. 5. At contraria ſententia eſt Scoti, Palud. & communis, quæ tanquam vera eſt indubitatè tenenda, nam quemadmodum Sacramenta omnia, licet habeant ſuam efficaciam à Sacratiſſima paſſione Chriſti, quæ fuit infinitæ virtutis, & Euchariſtia realiter contineat ipſum met Chriſtum Ieſum, omnibus tamen eſt à Deo determinatus certus gradus gratiæ, qui omnibus illa dignè recipientibus datur ex opere operato; gratia verò, quæ vltra hunc gradum datur, ex maiori recipientium diſpoſitione pendet, & ita gratia, quæ datur pueris, Sacramentis, Baptiſmi, & Confirmationis, non eſt infinita, ſed limitata, & non eorum diſpoſitione, nec (vt aliqui voluerunt) finita Eccleſiæ deuotione, nam cum deuotio Eccleſiæ ſit modo maior, modo minor, eodem Sacramento non daretur eadem gratia omnibus pueris, imò poſſet eſſe, quod puer, tempore. ſ. maioris deuotionis Eccleſiæ, reciperet maiorem gratiam, quam alio tempore adultus maximè diſpoſitus. Sed limitatio gratiæ, quæ datur ex opere operato, eſt à Deo. p. q. 79. ar. 5. & q. l. 1. q. 18. Secunda ſententia, quod non ſatisfaciat Scot. q. l. 2 Palud. 4. d. 45. q. 2.

Eodem prorſus modo Miſſa qua parte eſt Sacrificium, habet vim ſatisfaciendi, & licet ſit infinitæ virtutis, finitè tamen applicatur; alias vna Miſſa tota omnium remitteretur pena, quod conſtat eſſe falſum, & limitatio non ſolum attenditur pœnes finitum celebrantis affectum, vel Eccleſiæ in cuius perſona celebratur, vel eorum pro quibus celebratur, ſed ex Dei determinatione; ſicut enim Chriſtus hoc in ſe infinitum myſterium inſtituit, ita etiam determinauit pœnam quam ex opere operato remitteret; maior vero pœnæ remiſsio, penes maiorem eorum affectum, & diſpoſitionem attenditur; & ſi tota Sacramentorum, & huius Sacrificij gratia, & ſatisfactio, penes noſtram diſpoſitionem attenderetur, quomodo ſuum ex opere operato ſortirentur effectum?

Quanta autem gratia conferatur, quantauè pœna hoc Sacrificio ex opere operato remittatur, Deus ipſe nouit; illud tamen certum eſt, quod cum ratio huius Sacrificij non conſiſtat in ſumptione, vt Sacramenta, quæ ob id tantum percipientibus dãt gratiam, ſed in oblatione, eius effectus ad omnes Chriſti fideles ſe extendit, cum pro omnibus offeratur. At quia ita offertur pro Miſſæ quãta ſit vis.

omnibus; vt etiam poſſit particulariter offerri pro aliquibus ob id pœna, quæ virtute huius ſacrificij remittitur eſt tripartita, nã omnibus Chriſtianis in gratia exiſtentibus, eo quod Chriſtiani ſunt, remittitur certa pœna, ſi ad aliquam tenentur, tum peculiariter alia etiam pars pœnæ remittitur ijs quibus ex charitate magis debemus, huiuſmodi ſunt in dignitate conſtituti, quos Eccleſia nominari præcipit, hac etiam ratione remittitur pars pœnæ celebranti, & aſsiſtentibus, cum ad hoc ſacrificium propius accedant, & pœna quæ his rationibus remittitur, non augetur, nec minuitur maiori vel minori fidelium, & circunſtantium numero, cum eis vt ſingulis remittatur. Alia tandem pars remittitur ijs, pro quibus magis adhuc in particulari hoc Sacrificium à Sacerdote offertur; & hæc pœnæ remiſsio ita eſt determinata, vt quo pluribus hoc Sacrificium ſic particulariter applicatur, eo minor pœna ſingulis remittatur, quia hæc peculiaris remiſsio, non eſt pro ſingulis, vt duæ præcedentes, ſed eſt determinatè eius diſtributio commiſſa Sacerdoti celebranti, vnde quo pluribus diſtribuit, eo minus quiſque accipit; quemadmodum etiam patet ex applicatione, quæ fit per quodlibet opus pœnale; nec eſt omnino diſſimilis ratio, cum effectus, qui ex opere operato huius ſacrificij pendet, ſit finitus, cuius ex diuina inſtitutione duplex eſt limitatio, vna reſpectu ſingulorum quibus ex ſe prodeſt, altera facta eſt Sacerdoti, vt eius particulari applicatione tanta remittatur pœna. Cum ergo effectus huius Sacrificij, qui intentione Sacerdotis applicatur modo vni, modo pluribus, ſit limitatus, non finito Eccleſiæ, vel eorũ pro quibus offertur affectu, ſed Dei inſtitutione, quo ad eã partẽ pœnæ, quæ ex opere operato remittitur, vt diximus, ſi Sacerdos pro duobus duas debet celebrare Miſſas, vel quia illas eis promiſit, vel quia ab eis pro duabus Miſſis, pro eis dicendis eleemoſynas accepit, non ſatisfacit dicendo pro eis vnam ſolam Miſſam; vel dicendo illas duas pro tribus, vel pluribus, quia iniuſtè facit diſtribuendo pluribus, quòd eſt vni debitum; nam triplici ratione illum defraudat, primo quia non ei applicat totum id, quod ex opere operato, & iuxta ſuam applicationem datur. 2. quia Miſſa prodeſt etiam ex opere operantis, & ex intentione Eccleſiæ in cuius perſona celebratur, certum eſt autem, quòd ſatisfactio, quæ ex opere operantis fit, tanto minus prodeſt vni, quanto pro pluribus fit. 3. defraudatur etiam ea ratione qua Miſſa eſt impetratoria, quia non videtur veriſimile, quòd Deus æque faciliter exaudiat ſupplicationem factam pro centum, ſicut illam, quæ eodem charitatis, & feruoris gradu pro

vbi eſt facta, & hæc eſt vna ex cauſis quare multiplicentur interceſſores; nō quòd eis flectatur Deus, ſed quia ſua infinita, & æterna ſapientia diſpoſuit aliqua maiora dona, mediantibus pluribus precibus dare. Et ſi Miſſa dicta pro centum ita prodeſt ſingulis, ac ſi pro vno ſolo diceretur, quomodo permitteret Eccleſia, vt particulariter pro vno celebretur? hûc tandem accedit, quod contraria ſententia eſt dimminutiua diuini cultus, & cupiditatis materiam præbet. Nec fit alijs iniuria ſi quis velit, vt pro ſe ſolo celebretur Miſſa, non enim ob id alij omnes priuantur fructu, qui eis debetur ſi ſint in gratia, ſed cum Deus reliquerit peculiarem quendam huius Sacrificij fructum Sacerdotis intentione ad aliorum inſtantiam applicandum, vt ſic eis magis ſubueniatur, magiſq; religionis feruor, & Dei amor in eis accendatur, vult eo iuuari, ſuoq; exemplo alios ad idem prouocat.

Concludamus igitur, quod Sacerdos, qui ſic non ſatisfecit, tenetur ad reſtitutionem, vel celebrare reliquas Miſſas per ſe, vel per alium. Duobus tamen poſſet Sacerdos vna Miſſa ſatisfacere, ſi nimirum alteri applicet partem, quæ ſibi debetur, quòd tamen minimè conſulendum eſt, & præcipuè ſi eleemoſynarum occaſione id fiat. *Quomodo una pro duobus.*

Eſt etiam hoc loco maximè notandum, quòd ſi vnus Sacerdos facit alteri Sacerdoti celebrare Miſſam pro qua eleemoſynam accepit, debet ei dare totam eleemoſynam, quam pro illa Miſſa habuit, nec poteſt ſibi aliquam eius partem retinere, niſi pro eius labore, aut pro cera, quam ponit daretur; nam ſi tota eleemoſyna data eſt pro ſola Miſſa, quo iure ſibi retinet partem? quare tenetur reſtituere totum id Sacerdoti, qui illam Miſſam celebrauit. Hoc (inquam) intelligitur de eleemoſyna data pro vna, vel pluribus Miſſis, & non de beneficio cui annexa eſt obligatio celebrãdi; ille enim, qui habet beneficium, & alium pro ſe celebrare facit, non tenetur diuidere omnes fructus ſui beneficij, in æquales partes ſecundum numerum Miſſarum, vt illos pro rata parte det celebranti, ſed ſatisfacit dando conſuetam eleemoſynam, & reliquos fructus tanquam rector beneficij retinere poterit, qui etiã officium recitare, & alia onera ſubire debet. Idem dicimus de illis Altaribus, Sacellis, Oratorijs, & Eccleſijs, vbi eſt concurſus populi, & dantur pro Miſſis dicendis multæ eleemoſynæ, ſed cũ loca illa nullos habeant redditus, & in eis ſit ædificandum, & pro diuinis officiis ſint etiam neceſſaria prouidẽda, poteſt Epiſcopus ſtatuere, vt ex illis eleemoſynis Sacerdotibus, qui celebrant, dentur conſuetæ, vel quantum, ipſe iudicauerit, & reliquum fabricæ, *Quãdo ſit danda tota eleemoſyna.*

& Sacriſtiæ applicetur, & hæc etiam videtur intentio dantium illas eleemoſynas, nam cum videant loca illa pluribus indigere, dant etiam largiores eleemoſynas; quod ergo diximus, intelligitur de eleemoſyna Sacerdoti pro Miſſa tantum data.

Solutio obiectionis. 1. Cor. 9. Nec excuſantur Sacerdotes dicētes vnā Miſsā pro pluribus à quibus plures receperūt eleemoſynas, vt plures Miſſas dicerēt, paupertate, & auctoritate S. Pauli dicentis, qui in ſacrario operātur, quæ de ſacrario ſunt edunt, & qui altari deſeruiunt, cum altari participant; quia quilibet Sacerdos plus in alijs quam in dicenda Miſſa Eccleſiæ ſeruit, nam ſaltem quotidie horas Canonicas recitat, & ideo non tenetur ille ſolus pro quo celebrat, ei præbere victum; nec eſt inſtituta Miſſa ad alendos pauperes Sacerdotes, imò ab Eccleſia ſtatutum eſt, vt nullus pauper ordinetur, & qui ordinatus in paupertatem inciderit, aliqua arte, ſiue agricultura ſibi victum quærat. Quæ omnia non ſolum Sacerdotibus ſunt diligenter aduertenda, ſed etiam laicis confraternitatum, qui recipiunt eleemoſynas datas pro Miſſis, easq; in capſa reponunt, nulla poſtea habita ratione Miſſarum, nec totas eleemoſynas dant celebrantibus, (niſi partem de conſenſu Epiſcopi propter expenſas fabricæ, vel Sacriſtiæ ita retineant, quod faciant celebrare omnes illas Miſſas, & hoc (vt diximus) de conſenſu Epiſcopi, nam propria auctoritate non poſſunt) exiſtimantes eorum fidem, & ſolitas Miſſas eis ſufficere, nam ſic priuarentur fructu, qui ex opere operato percipitur, ſi pro illis particulariter non celebrarentur.

Solutio argumenti. Ad id autem, quod in contrarium obijcitur ex D. Hieronimo, reſpondetur quòd non facit contra nos, cum loquatur de merito celebrantis, vel orantis pro alijs, quòd non diminuitur ſi pro pluribus celebretur, cum celebranti ſit proprius aſſignatus effectus, at quod celebrantis diſtributione commiſſum eſt, plurium applicatione minuitur.

De ſignificationibus eorum, quæ in Miſſa dicuntur, & fiunt. Cap. XV.

CVM inter omnia officia, quæ in Eccleſia peraguntur, nullum ſit dignius, nec ſolennius celebretur Miſſa, vtile iudicaui eorum (non tamen omnium) quæ in ea dicuntur, & peraguntur breuiter, aliquam ex approbatis Doctoribus, & maximè ex S. Thoma rationem reddere, vt quilibet facilè cognoſcere poſſit, peculiari Spiritus ſancti inſtinctu, omnia ab Ec-

cleſia inſtituta fuiſſe, & minimaqueq; maga, & incõpræhenſibilia continere myſteria. Eſt autem Miſſa ſacrum miniſterium, & iuge ſacrificium, in quo ille idem Chriſtus, qui in ara Crucis ſemel ſe ipſum cruente obtulit, realiter continetur, & incruente immolatur, quod ab ipſomet Chriſto Domino fuit inſtitutum, & poſtea ab Eccleſia auctum; nam quatenus realiter eſt ibi Chriſtus, & in cruente immolatur pro humani generis ſalute, & in memoriam illius ſacrificij cruenti, fuit à Chriſto Domino inſtitutum. quatenus verò hoc Sacroſanctum Sacrificium ita peragitur, vt etiam veſtibus, verbis, & factis, Chriſti myſteria, & præcipuè totum illud Sacrificium cruentum, vt factum fuit, repræſententur, & ſimul etiam ad tantum Sacrificium, Chriſtianus populus, cum gratiarum actione, diſponatur, & præparetur, docente Spiritu ſancto fuit poſtea ab Eccleſia auctum. Miſſa quid. A Chriſto fuit inſtituta, & ab Eccleſia aucta.

Miſſa poteſt commodè diuidi in tres partes principales. Prima, vſq; ad offertorium, & eſt quædam populi præparatio, & inſtructio ad tanti myſterij celebrationem. Secunda. ab offertorio vſq; ad ſumptionem, quę continet ipſius myſterij celebrationem. Tertia. eſt gratiarum actio, in quibus non ſolum conſideranda ſunt, quę dicuntur, ſed etiam ceremonię, quæ fiunt. De veſtibus ſacris, & de ceremonijs, quæ fiunt in Miſſis ſolennioribus, nihil modò dicemus, cum enim ſtudeamus breuitati, ſatis nobis eſt ſolum aliqua attingere, quę ſufficiant ad intellectus illuminationem, & affectus inflammationem, & ad excitandum inquirendi deſiderium, cum intellectus noſtri in obſequium fidei captiuatione, vt quo magis cognoſcimus, eo ſimus diligendo, & operando feruentiores. Miſſæ tres partes prĩcipales.

Et vt prius agamus de illis, quæ dicuntur, Cum ſcriptum ſit Eccl. 4. Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & Eccl. 18. Ante orationem præpara animam tuam, prima pars, vt diximus eſt quędam pręparatio, & inſtructio, Præparatio conſiſtit in quatuor, Primo in Dei laude, quæ fit in introitu, ſecũdum illud Pſalmi, Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendã ei ſalutare Dei. Secundo, In conſideratione præſentis miſerię, quæ ad miſericordiam petendam excitat, dicendo Kirie eleiſon, ter pro perſona Patris, ter pro perſona Filij, cum dicitur Chriſte eleiſon, & ter pro perſona Spiritus ſancti, cum ſubditur Kirie eleiſon, contra triplicem miſeriam, ignorantiæ, culpę, & pœnæ, quo etiam ſignificatur omnes perſonas eſſe in ſe inuicem. Tertio in contemplatione cœleſtis gloriæ ad quam poſt præſentem vitam, & miſeriam tendimus, dicendo Gloria in excelſis Deo, quę cantatur Prima pars. Pręparatio in quatuor conſiſtit.

tatur in feſtis, in quibus commemoratur cœleſtis gloria, & omittitur in officijs luctuoſis, quia magis ſūt ad commemorationem præſentis miſeriæ. Quarto, in oratione, quam Sacerdos facit pro populo, vt digni habeantur tantis myſteriis. Secundo præmittitur inſtructio populi, cum hoc Sacramentum ſit myſterium fidei, quæ quidem inſtructio, diſpoſitiuè fit per doctrinam Prophetarum, & Apoſtolorum, poſt quam lectionem, dicitur graduale, quod ſignificat profectum vitæ, & Alleluya, quod ſignificat ſpiritualem exultationem, vel tractus, qui ſignificat ſpiritualem gemitum, hæc enim conſequi debent in populo ex prædicta doctrina. Perfectè autem populus inſtruitur per doctrinam Chriſti in Euangelio contentam, Et quia Chriſto credimus tanquam diuinæ veritati, lecto Euangelio, dicitur ſymbolum fidei, in quo populus oſtendit ſe per fidem, Chriſti doctrinæ aſſentiri, dicitur autem Symbolum in feſtis de quibus in eo fit aliqua mentio. Populo ſic præparato, & inſtructo, acceditur ad celebrationem myſterii, quę tribus partibus perficitur, oblatione, conſecratione, & ſumptione. Circa oblationem materię conſecrandę, tria fiunt, primo, præmittitur offerentium exultatio, quaſi præparatoria, in offertorio, quia hilarem datorem diligit Deus. Secundo eſt ipſa oblatio. Tertio petitur oblationis acceptatio, & hoc per orationes ſecretè dictas, ad quas Sacerdos per humiliationē ſe præparat dicens, In ſpiritu humilitatis, &c. Circa conſecrationem autem, quæ ſupernaturali virtute agitur. Primo excitatur populus ad deuotionem, in præfatione, vnde monetur ſurſum corda habere ad Dominum, & ideo finita præfatione, populus deuotè laudat diuinitatem Chriſti cum Angelis, dicens, Sanctus, Sanctus, & humanitatem cum pueris, dicens: Benedictus qui venit, &c. Deinde Sacerdos ſecreto commemorat, Primo, quidem pro quibus hoc ſacrificium offertur. Secundo ſanctos quorum patrocinia pro prædictis implorat. Tertio concludit petitionē. Poſtea accedit ad ipſam conſecrationem, in qua quinque continentur, primo imploratur conſecrantis virtus, ſeu cōſecrationis effectus, cum ait. Quam oblationem tu Deus, &c. Et ſi obijciatur, quod cum diuina virtus per certitudinem operetur hoc Sacramentum vi uerborum, per Sacerdotem cum debita intentione prolatorum, ſuperfluè videtur peti huius Sacramenti perfectio. Reſpondet S. Tho. primo non eſſe inconueniens, quod à Deo petamus, id quod certiſſimè ſcimus ipſum facturum, ſicut Chriſtus Ioan. 17. petijt ſuam clarificationem. Reſpondet ſecundo, quòd Sacerdos non videtur illis verbis orare, vt cōſecratio impleatur,

Instructio cuius tres effectus. *Secunda pars. Oblatio.* *Conſecratio.* *Obiectio.* *Reſpōſio.*

ſed

ſed vt nobis fiat fructuoſa, vnde ſignanter dicit, Vt nobis Corpus & ſanguis fiat, & hoc ſignificant verba, quæ præmittit, dicēs, Hāc oblationem facere digneris benedictam, ſecūdum Auguſtinum, id eſt, per quam benedicamur. ſ. per gratiam; adſcriptam, id eſt per quam in cœlo adſcribamur: ratam, id eſt per quam de viſceribus Chriſti eſſe cenſeamur: rationabilem, id eſt, per quam à beſtiali ſenſu exuamur: acceptabilem, vt qui nobis ipſis diſplicemus, per hanc acceptabiles eius vnico filio ſimus. Secundo conſecrationem peragit verbis Chriſti, cum dicit, Qui pridie, &c. Tertio, excuſat præſumptionem per obedientiam ad mandatum Chriſti, cum dicit, Et memores, &c. Quarto petit hoc ſacrificium peractum, eſſe Deo acceptum, cū dicit. Supra quæ propitio, &c. Vbi poſſet dubitari, quia videtur inconuenienter peti, quod hoc Sacrificium habeatur, ſicut ſacrificium Abel, &c. cum hoc Sacrificium ſit multo excellentius, quam ſacrificium antiquorum Patrum. Sed reſpondetur, quod licet hoc ſacrificium præferatur omnibus antiquis ſacrificijs, tamen ſacrificia antiquorum fuerunt Deo acceptiſſima ex eorum deuotione, vnde Sacerdos petit vt hoc Sacrificium acceptetur à Deo ex deuotione offerentium, ſicut illa fuerunt Deo accepta. Quinto petit huius ſacrificij, & Sacramenti effectum, primo quidem quantum ad ipſos ſumentes, & non petit Sacerdos ſpecies ſacramentales deferri in cœlū, aut corpus Chriſti, quod ibi eſſe non deſinit, ſed hoc petit pro corpore myſtico, quod in hoc Sacramento ſignificatur, vt. ſ. orationes Sacerdotis, & populi, Angelus aſſiſtens diuinis myſterijs, Deo repræſentet. Secundo petit huius Sacrificij effectum, quantum ad mortuos, qui iam amplius hoc Sacramentum ſumere nō poſſunt: Tertio ſpecialiter petit quantum ad ipſos Sacerdotes offerentes, cum dicit Nobis quoq; peccatoribus. Deinde agitur de perceptione ſacramenti, & primo præparatur populus ad percipiendum, primo quidem per orationem communem totius populi, quæ eſt oratio Dominica, in qua petimus panem quotidianum nobis dari, ſecundo præparatur populus per pacem, quæ datur, dicendo Agnus Dei, eſt enim hoc Sacramentum vnionis & pacis: In Miſſis tamen defunctorum in quibus ſacrificium offertur, non pro pace præſenti, ſed pro requie mortuorum, pax intermittitur. deinde ſequitur perceptio Sacramenti, primo percipiente Sacerdote, & poſtmodum alijs dante. Vltimo autem tota Miſſæ celebratio in gratiarū actione terminatur, populo exultante pro tanto myſterio, quod ſignificat cantus poſt communionem, & Sacerdote per orationem gratias offerente, ſicut & Chriſtus

Obiectio

Reſpōſio.

perceptio

Tertia pars.

ſtus celebrata cœna cum diſcipulis hymnum dixit.

Triplex Miſſarum finis.

Triplex autem eſt Miſſarum finis, Ite miſſa eſt, Benedicamus Domino, & requieſcant in pace, nam Miſſa celebratur pro honore Sanctorum, Salute viuorum, & requie defunctorum, & ita triplex eſt, pro ſanctis, pro viuis, pro defunctis, iuxta tres partes Eccleſię, alia enim pars eſt in exultatione, alia in peregrinatione, alia in expectatione, (ſed licet pro diuerſis cauſis celebretur Miſſa, ſoli tamen Deo ſacrificium offertur) & iuxta hanc triplicem differentiam, eſt triplex miſſarum finis, nam in fine miſſæ pro Sāctis, inuitamur ad gloriam, in qua Sancti iam requieſcunt, per Ite miſſa eſt, quaſi dicat, hoſtia à Patre nobis miſſa eſt, vel à nobis ad Patrem remiſſa eſt, ideo feſtinatè ingredi ad illam requiem. Finis Miſſæ pro viuis, hortatur nos qui ſumus in hac peregrinatione, vt demus iugiter Deo benedictionem, & gloriam, iuxta illud Pſalmi, Nos qui viuimus benedicimus Domino. In fine miſſæ pro defunctis, eis optamus requiem. Poſtea Sacerdos dat populo benedictionem, quę ſignificat illam benedictionem, quam Chriſtus aſcenſurus in cœlum, dedit diſcipulis, & miſſionem Spiritus ſancti, quem poſt Aſcenſionem miſit in Apoſtolos. In miſſa tamen defunctorum omittitur benedictio, tū quia hæc benedictio pertinet ad ſolemnitatem & gaudium, quæ non debent luctui admiſceri; tum etiam quia licèt defuncti noſtris ſuffragijs adiuuari poſſint, non tamen indigent confirmatione, nec excitatione, ad quę pertinet iſta benedictio, cum ſint ſecuti, & extra ſtatum merendi.

Benedictio omittitur in Miſsis defunctorū.

In Miſſa ſunt verba græca, hæbraica, & latina.

Eſt etiam hoc loco notandum, quòd in miſſa habentur quędā verba græca, ſicut Kirie eleiſon, ideſt, Domine miſerere, quædam hæbraica, ſicut alleluya, ideſt, laudate Deum, Sabaoth, ideſt exercituum, Oſanna, ideſt, obſecro, Amen, ideſt, verè, vel fiat, quędā latina ſicut cætera. Tum quia his tribus linguis ſcriptus fuit titulus crucis, tum propter illarum linguarum excellentiam, alias enim præcellunt, Hæbraica propter legem, & quia ea locutus eſt Deus, Græca non tam propter ſapientiam, quam propter legem, in eam Spiritu ſancto dictante, à ſeptuaginta translatam. Latina propter primatum Eccleſiæ. Tum etiam ad denotandum vniuerſalitatem virtutis huius ſacrificij, & ſacramenti, extenditur enim in omnes gentes, quæ credunt in Chriſtum, & omnes gentes illis tribus principalibus linguis compræhendi videntur.

Cum autem ea, quæ in Miſſa dicuntur pertineant ad totam Eccleſiam, quando ſolemniter celebratur, illa quæ pertinent ad populum, dicuntur à Choro, qui illum repræſentat, quorum quędā Chorus totaliter proſequitur, quæ toti populo inſpirantur,

quæ-

quædam verò populus proſequitur, Sacerdote inchoante, qui perſonam Dei gerit, in ſignum, quod talia peruenerunt ad populum ex reuelatione diuina, ſicut fides & gloria cœleſtis, & ideo Sacerdos inchoat Symbolum, & Gloria in excelſis Deo. quædam verò dicuntur per miniſtros, ſicut doctrina veteris, & noui teſtamẽti, in ſignum, quòd per miniſtros à Deo miſſos, eſt doctrina hæc populis annunciata, quædam vero Sacerdos ſolus proſequitur, quæ ſcilicet ad proprium Sacerdotis officium pertinent, vt.ſ.dona, & preces offerat pro populo, & horum quædam dicit publicè, illa.ſ.quę pertinent ad Sacerdotem, & ad populum, ſicut ſunt orationes communes; quædam occultè, quæ ad ſolum Sacerdotem pertinent, ſicut oblatio, & conſecratio, & quæ circa ea dicuntur, & etiam in ſignum, quòd circa Chriſti paſsionem diſcipuli non niſi occultè confitebantur Chriſtum. In vtriſq; tamen excitat attentionem populi, dicendo, Dominus vobiſcum, & expectat aſſenſum dicentium, Amen.

Non ſolum verbis, vt diximus, ſed etiam factis repræſentantur in Miſſa ea, quæ pertinent ad Chriſti paſſionem, & corporis myſtici diſpoſitionem, & quædam aguntur pertinentia ad huius Sacramenti deuotionem, & reuerentiam. Et vt ſummatim aliqua attingamus. Thurificatio fit propter reuerentiam huius Sacramenti, vt ſcilicet, per bonum odorem depellatur ſi quid praui odoris in loco fuerit, & ad repræſentandum effectum gratiæ. Manuum ablutio fit propter reuerentiam huius Sacramenti, non enim conſueuimus pretioſa tractare niſi manibus ablutis, & ad ſignificandam perfectam mundationem, etiam à minimis peccatis. Fiunt multæ cruces, quæ omnes habent propriam ſignificationem, & quæ fiunt poſt conſecrationem, non ſunt ad benedicendum, ſed ad commemorandum virtutem crucis, & modum paſſionis Chriſti, de quibus videatur S. Thomam. Manuum extenſio ſignificat Chriſtum in Cruce, earum eleuatio, iunctio, & corporis inclinatio, ſignificant orantis affectus, & etiam Chriſti humilitatem, & obedientiam. Fractio hoſtiæ ſignificat diuiſionem corporis Chriſti in paſſione factam, & tres corporis myſtici ſtatus, & diſtributionem gratiarum procedentium ex Chriſti paſſione. Quinquies Sacerdos ſe vertit ad populum, ad ſignificandum, quòd Dominus in die reſurrectionis quinquies ſe manifeſtauit, Septies ſalutat populum ad ſignificandum ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti, Epiſcopus autem in prima ſalutatione dicit Pax vobis. quia tanquam ſuperior, fungitur officio, loco Chriſti, & ideo vtitur

Thurificatio.

Manuum ablutio.

Cruces.

Manuum extenſio. iunctio. Fractio hoſtę.

Verſio ad populum.

Epiſcopus dicit Pax vobis.

tur voce Chriſti ad ſubditos, prima enim ſalutatio, quam Chriſtus habuit ad Apoſtolos, fuit, Pax vobis, Sacerdos verò, qui eſt inferior officio, non audet eiſdem verbis vti, ſed vtitur verbis Sanctorum Patrum, qui dixerunt Dominus vobiſcum Ruth. 2. Sed Epiſcopus quoque poſt primam ſalutationem, ad modum cæterorum Sacerdotum dicit, Dominus vobiſcum, vt vnum ex illis ſe eſſe oſtendat. Sed hæc dicta ſufficiant.

PRIMAE

PRIMAE PARTIS DE OFFICIO SACERDOTIS.

LIBER TERTIVS.

DE CENSVRIS, ET POENIS ECCLESIASTICIS.

Quid & quotuplex ſit cenſura, & quare reliquæ pœnæ Eccleſiaſticæ non dicantur cenſuræ, & quæ nam ſit formalis cenſurarum, & pœnarum differentia.
Cap. I.

CENSVRA dicitur à cenſoria dignitate, & ſignificat etiam alicuius correctionẽ; & ſi vim nominis attendamus, quælibet correctio, & pœna, poteſt dici cenſura. Sed Eccleſia nomen cenſuræ accipit pro pœna eccleſiaſtica, & non pro quacunq; ſed pro medicinali, quæ eſt ad correctionem, & quam ſequuta correctione, facile tollit; vt ſic etiam in ipſo rigore iuſtitiæ pium, & maternum affectum exprimat; huiuſmodi ſunt, excomunicatio, Suſpenſio, & Interdictum, quæ ſunt pęnæ medicinales, c. 1. de Sent. exco. in 6. & vt medicinales facilè etiam remittuntur, & iſtæ ſolæ appellantur cenſuræ, ca. quærenti de verb. ſignif. aliæ autem pœnæ Eccleſiaſticæ, ſunt quidem medicinales animæ, ſed non in ordine ad idem officium, nam per reſipiſcentiam non tolluntur, & ſunt perpetuæ. ſ. Depoſitio, Priuatio, & Degradatio, quæ ſunt ſine ſpe reſtitutionis, Irregularitas autem eſt pœna, quæ remittitur, ſed non ita facilè, cum comuniter tollatur à Papa, qui etiam non ita facilè omnem tollit, imo in quibuſdam numquam ferè diſpenſat, & non ſolum eſt pœna, ſed eſt etiam, & magis propriè quoddam impedimẽtum Eccleſiaſticum, quòd ſæpè ſine peccato, imo etiam cum meritò contrahitur, & propterea nõ eſt cenſura, licet cum cenſuris, ſicut & reliquæ pœnæ, in aliquo conueniat, omnes enim in hoc conueniunt, quòd excludunt à diuinis; ſed differenter, nam diuina quantum ad præſens attinet, quadrupliciter poſ-

Cenſura quid.

Quotuplex ſit.

pœnæ Eccleſiaſticę quæ.

Irregularitas eſt pœna, ſed magis propriè impedimentũ.

Cenſuræ, & pęnę in quo conueniant, & differant.

ſunt

ſunt conſiderari, primò ratione ſui, vt ſunt quædam ſpirituales vnio, & communicatio huius corporis myſtici, & membrorum, cū Deo, & inter ſe; & excommunicatio directè reſpiciens hanc communionem, excludit hominem à diuinis, & tradit Sathanæ, quaſi ea indignum, vnde excommunicatus non ſolum non poteſt intereſſe diuinis, ſed nec poſſunt pro illo celebrari, ſicut poſſunt pro alijs peccatoribus, imo etiam pro ſuſpenſis, interdictis, & degradatis; ob quam cauſam ſemper infligitur, vt medicina, & nunquā ſimpliciter, vt pœna, ſine ſpe remiſsionis. 2. conſiderantur diuina quo ad illa celebrantes, & huius reſpectu poſſunt eſſe ſimpliciter pœnæ, ſine ſpe reſtitutionis ad idem officium, & beneficiū, vt depoſitio, & degradatio; ſed eſt etiam, vt plurimum medicina, cum ſpe reſtitutionis, quę eſt ſuſpenſio à diuinis, & etiam à beneficijs, & iuriſdictione Eccleſiaſtica; quia celebrantes diuina, cōmuniter habent beneficia, & multi etiam iuriſdictionem Eccleſiaſticam. 3. conſiderantur quo ad audientes, & loca in quibus celebrantur, & huius reſpectu non eſt ſimpliciter pœna, nunquā enim Eccleſia in perpetuum prohibet ne audiantur, vel ne celebrentur diuina, ſed ad tempus quidem, ſæpe medicinaliter interdicit. Primo ergo reſpectu, diuinorum prohibitio, ſemper eſt cenſura, & numquam ſimpliciter pœna, ſecundo verò reſpectu, aliquando eſt pœna, aliquando cenſura, quæ etiam proprijs nominibus appellantur. Tertiò autem reſpectu, eſt interdictum, & numquam eſt ſimpliciter pœna, ſine ſpe reſtitutionis, ſed ſemper eſt ad tempus, vt medicina, & conſequenter in rigore, ſemper eſſet dicenda cenſura, ſed quia violantes eccleſiaſticam cenſuram, irregularitatis vinculo illaqueantur, Eccleſia pia mater, diſtinxit ab Interdicto, Ceſſationem à diuinis, & Pollutionem Eccleſiæ, nomine potius, quam re; & diſtinctionem, vt non ſint inter cenſuras ex eius potius benignitate, quam ex natura rei, conſtituit, cum id ex illius voluntate pendeat, vt violantes interdictum efficiantur irregulares, non autem violantes ceſſationem à diuinis, vel pollutionem Eccleſiæ. 4. conſiderantur diuina quo ad illos quibus committenda ſunt, mediantè Sacramento ordinis; & conſequēter etiam quo ad illos quibus commiſſa ſunt, & quo ad iſtos eſt irregularitas, quæ excludit à diuinis reſpiciendo immediatè ipſos ordines ad quos inhabiles reddit, vt ſuſcipi non poſſint, & ſuſcepti non poſſint exerceri, & propterea propriè non eſt pœna, nec conſequenter cenſura, ſed impedimentum, quòd ſæpe eſt ſine peccato, & cum merito, vt patet in corpore vitiatis, & miniſtris iuſtitiæ.

De ceſſatione, & pollutione.

De

DE EXCOMMVNICATIONE.

Quid ſit excommunicatio,& an ſit conueniens aliquem excommunicare. Cap. II.

EXcommunicatio generaliter ſic cum Abbate definiri poteſt, Excommunicatio eſt cenſura à canone,vel à iudice eccleſiaſtico prolata, priuans communione Sacramentorum, & quandoque hominum. Sed cum duplex ſit excommunicatio, maior ſcilicet,& minor, de minori inferius agemus, nunc de maiori eſt fuſius tractandum, tum quia eſt præcipua, tum etiam quia cum aliquid ſub pœna excommunicationis præcipitur,vel cum aliquis abſolute à iudice, vel a canone excõmunicatur,de maiori intelligitur. extra de ſent. excom.ca. pen. Eſt autem excommunicatio maior,eccleſiaſtica cẽſura, qua quis omni licita,tam in ſpiritualibus,quam in corporalibus,ſiue ciuilibus,fidelium communione priuatur. Pro cuius explicatione notandum eſt quatuor eſſe inter Chriſtianos communicationes, Prima communicatio eſt humana, quæ etiam inter infideles repe ritur,vt ſimul comedere, colloqui,&c. 2. eſt eccleſiaſtica, & viſibilis, quæ in hoc conſiſtit, quod homines ſimul in Eccleſia ad orandum,ad recipiendum Sacramenta, & ad audiendum diuina officia,conuenire poſſunt,& ad canonicam electionem,actiuam, & paſſiuam vocem habent. 3. eſt eccleſiaſtica,& inuiſibilis communicatio bonorum,& ſuffragiorum,quæ ex intentione Eccleſię applicantur,vel Deo pro fidelibus offeruntur. 4. eſt Eccleſiaſtica,& inuiſibilis communicatio omnium bonorum, & ſuffragiorũ quæ in Eccleſia fiunt, & omnibus in gratia exiſtentibus virtute eiuſdem gratiæ communicantur, iuxta illud pſ. Particeps ego ſum omnium timentium te,& cuſtodientium mandata tua. Cum autem excommunicatio non ſit peccatum, ſed pœna peccati, nõ priuat quarta fidelium communione, quæ ſola mortali culpa tollitur,ſed eius priuationem,ſi iuſta eſt,præſupponit,& quando dicitur excommunicationem excludere à regno cœlorum, non eſt quaſi excõmunicatio tollat gratiam, ſed quia præſupponit amiſſam, & quia priuat aliquibus diſpoſitionibus ad gratiam, Eccleſiæ.ſ.ſuffragijs, priuat etiam cõſequenter ſpeciali Dei protectione,ſed non generali, & tradit hominem Sathanæ, vt ſpiritus ſaluus fiat, quantum eſt ex intentione Eccleſiæ, excommunicatio enim eſt medicina, quæ reſipiſcere facit; & obſtinati, ſua potius

Abb. ſuper rubr. eiuſd. tit.

Excõmunicatio quid ſit.

Excõmunicatio maior quid.

Quatuor inter chriſtianos cõmunicationes.

Excõmunicationis effectus.

F obſti-

obſtinatione, quam illa damnantur. Sed excommunicatio priuat tribus prioribus communionibus, quæ hoc verſu continentur.

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Et non ſolum in vita excommunicati, ſed etiam poſt eius mortem. ita vt in loco ſacro ſepeliri non poſſit, nec pro eo publica oratione orari, niſi prius ab excommunicatione abſoluatur. Ex quo ſequitur excommunicationem eſſe maiorem pœnam, quæ in Eccleſia detur, cum per eam homo extra Eccleſiam eijciatur, non vt omnino ſit extra Eccleſiam, nam ſi fidem retinet, eſt membrũ Eccleſiæ, ſed aridnm, putridum, & vt tale, ab Eccleſia eijcitur, & traditur Sathanæ, non quaſi damnandus, ſed corrigendus, in interitum carnis, vt Spiritus ſaluus fiat. 1. cor. 5.

Eſt maxima pœna.

Et hæc excommunicationis pœna conuenientiſſime in Eccleſia infligitur; nam excommunicandi poteſtas fuit à Chriſto Domino Eccleſiæ tradita, & ab Apoſtolis practicara: Et cum ſint in Eccleſia duo gladij ad correctionem malorum, ſicut Princeps temporalis debet vti gladio ſuo, ita etiam Princeps Eccleſiaſticus, ne ſine cauſa gladium portet. Quod eſt etiam rationi naturali conſonum, nam cum contingit membrum aliquod corporis putrefieri, & ad aliorum membrorum infectionem eſſe diſpoſitum, præſcinditur ne alia membra inficiat. Accedit etiam, quod Eccleſia, vt inquit S. Tho. excommunicando diuino iudicio conformatur, nam Deus multipliciter punit peccatores, vt eos ad bonum trahat, vno modo per flagella, vnde pſ. 83. Imple facies eorũ ignominia, & querent nomen tuum Domine; alio modo hominẽ ſibi relinquendo, vt auxilijs ſubtractis quibus à malis præpediebatur, ſuam infirmitatem cognoſcat, & humilis ad Deum redeat, à quo ſuperbiendo abſceſſit; & quantum ad vtrumque Eccleſia in excommunicationis ſententia, diuinum iudicium imitatur, in quãtum enim à communione fidelium ſeparat, vt erubeſcat, imitatur diuinum iudicium quo per flagella caſtigat, in quantum autem à ſuffragijs, & alijs ſpiritualibus ſeparat, imitatur diuinum iudicium, quo hominem ſibi relinquit, vt per humilitatem ſeipſum cognoſcens, ad Deum redeat.

Conuenientiſſime infligitur. Mat. 18. 1. Cor. 5. 1. ad Ti. 1. S. Th. 4. ſ. d. 18. q. 2. ar. 1. q. 2.

Eſt autem hoc loco notandum ex Conc. Trid. quod quamuis excommunicationis gladius neruus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris; ſobriè tamẽ magnaq; circumſpectione exercendus eſt, cum experientia doceat, ſi temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam ſalutem.

Cõc. Tri. ſeſſ. 25. de refor. c. 3.

Qui-

Quibus de cauſis excommunicatio ſit nulla, & an ſit ſeruanda quando eſt nulla vel iniuſta. Cap. III.

EXcommunicatio aliquando ita eſt iniuſta, ut non propterea ſit nulla, aliquando eſt etiam nulla, vt ſi deſit aliquid eſſentialiter requiſitum. Videamus primo quando ſit nulla, & multæ adducuntur cauſæ ob quas excommunicatio eſt nulla. Gloſ. in cap. Præſenti. de ſent. excom. in 6. adducit ſex cauſas, quibus alij ſuper addunt duas, ſed ut methodicè procedamus, & ſimul etiam earum rationem reddamus, Eſt primo notandum, quod excommunicare licet ſit actus clauium, non tamen eſt actus ordinis, ſed iuriſdictionis ſori exterioris Eccleſiaſtici. Eſt 2. notandum, quòd nullus eſt excommnnicandus niſi pro peccato mortali, quod patet ex ca. Nemo Epiſcoporum xj. q. 3. & Gloſ. ibid. & eſt communis ſententia. & probatur ratione, quia iudex eccleſiaſticus per maiorem excommunicationem, illum quem excommunicat tradit Sathanæ, & quodammodo excludit à regno cœlorum, ſed nullus debet excludi à regno cœlorum niſi indignus, nullus autem redditur indignus, niſi per peccatum mortale, quod tollit charitatem, quæ eſt via ducens ad regnum, ergo nullus eſt excommunicandus, niſi pro peccato mortali. Hoc autem non eſt ita intelligendum, quaſi excommunicatio ſemper inferenda ſit pro eo, quod in ſe eſt peccatum mortale, nam ſæpe infertur pro eo, quod in ſe eſt veniale, imo aliquando non eſt peccatnm, ſed bonnm, nam excommunicantur peregrinantes in Hieruſalem ſine licentia Papæ, ſed efficitur peccatũ ratione prohibitionis, & inobedientia cui appoſita eſt pœna excommunicationis, eſt mortalis, & ita ſemper excommunicatio infligitur pro peccato mortali. Ex quo ſequitur (vt inquit Petrus de Palude, & eſt communis ſententia) quòd qui certus eſt ſe non peccaſſe mortaliter, propter occurrentes circunſtantias, certus etiam eſt ſe in rei veritate, non eſſe excommunicatum, licet præſumatur, & propter ſcandalum ſeruanda ſit. Et iſta duo eſſentialiter requiruntur ad excommunicationem. ſ. iuriſdictio, & quod inferatnr pro peccato mortali in ſe, vel ratione inobedientiæ, quibus eſſentialiter additur etiam in iudice habente iuriſdictionem, intentio excommunicandi. Et ſi vel vnum ex his tribus deſit, excommunicatio eſt nulla.

[Margin: Excómunicatio quando ſit nulla. — Pro ſolo mortali infligẽda. — Petrus de Palude 4. ſ. d. 18. q. 1 — Tria ad excómunicãdum eſſentialiter requiruntur.]

Defectu iuriſdictionis, vel quia nulla eſt, vel quia eſt impedita, excommunicatio ob ſeptem præcipuè cauſas eſt nulla.

[Margin: Defectu iuriſdictionis eſt nulla.]

Prima ſi ille, qui excõmunicauit nõ eſt iudex, vel ſi eſt iudex, nõ eſt iudex excõmunicati. 2. ſi excõmunicatio lata eſt à iudice notorie excõmunicato. 3. cum quis excommunicatur poſt legitimam appellationem. 4. cum quis excommunicatur à iudice delegato, contra intentionem delegantis. 5. cum quis excommunicatur contra tenorem ſuorum priuilegiorum, quæ à Superiori maiore obtinuit. 6. cum iudex excommunicat non ſeruata forma ſibi eſſentialiter præſcripta, vt ſi inferior Papa excommunicet participantes cum excommunicato à ſe, non in crimine ſed in locutione, & in alijs propter quæ incurritur excommunicatio minor, non nominando eos expræſſe præuia trina monitione, vel vna pro tribus, hæc excommunicatio eſt nulla, non quia per huiuſmodi participationem incurritur excommunicatio minor, & vt plurimum eſt peccatum veniale, nam prohibitio ſub pœna excommunicationis, obligat ad mortale, & excommunicatio lata contra participantes cum excommunicato ab alio tenet. Sed ideo eſt nulla, quia Papa illam nullam eſſe declarat, in cap. ſtatuimus, & in cap. conſtitutionem de ſent: excom. in 6. Et licèt vigore cap. ſtatuimus ſufficiat monitio generalis, quandò excommunicatio generaliter fertur contra omnes participantes cum excommunicato, tamen vigore poſterioris cap. Conſtitutionem, requiritur adhuc, quòd nominatim moneantur, qui ob huiuſmodi participationem excommunicantur, ſiue generaliter, ſiue nominatim excommunicator excommunicare intendat, vt ibidem dicit Gloſſa, & ratio ob quam Pontifex in hoc caſu vult monitionem etiam nominatim factam, eſſentialiter requiri, eſt quia iudices ſunt magis incenſi quando eorum auctoritas contemnitur, quam quando contemnitur auctoritas aliorum. 7. cum excõmunicatur non baptizatus. ſ. iudæus, vel gentilis, nam cum non ſint, nec fuerint in Eccleſia, non ſubduntur ſpirituali gladio Eccleſiæ, ſed tantum temporali.

Defectu intentionis.

Defectu intentionis excommunicatio eſt nulla. Primo, ſi qui illam fert, non habet intentionem excommunicandi. 2. ſi ille ad cuius inſtantiam fertur excommunicatio, non habet voluntatem, vt ligetur, nam (vt inquit Nauarrus), excommunicatio accipit omne ſuum robur à voluntate excommunicantis, qui cum excommunicat ad petitionem partis, non vult magis excommunicare, quam ipſa pars velit.

Nau. c. 27 nu. 11.

Quia continet intollerabilem errorem.

Ex eo autem, quod continet intollerabilem errorem, quia ſcilicet non eſt lata pro peccato mortali, ob duas cauſas eſt nulla: Prima eſt, ſi excommunicetur aliquis, quia fecit aliquod bonũ, vel

vel quia non fecit, vel non facit aliquod illicitum, aut impoſſibile, huiuſmodi eſt illa excommunicatio, quam fert Prælatus contra non reuelantem ei peccatum ſuum omnino occultum, vt ſi conſtet de furto, vel homicidio, ſed penitus ignoratur quis illud comiſerit, & illa quam fert contra non reuelantem peccatum occultum alterius, ſi intendit, & vult quòd reueletur, non ſeruato prius præcepto fraternæ correctionis, in caſu quo obligat, nam conſeruatio famæ propriæ, & fraterna correctio ob conſeruationem famæ alterius, ſunt de iure diuino naturali, cõtra quod Prælatus non poteſt præcipere. 2. eſt, ſi excommunicetur Capitulum, Communitas, vel vniuerſitas, & hæc excommunicatio ſi ſit lata ab inferiori Papa, poteſt dici etiam nulla ob defectũ iuriſdictionis, quia de ſent. excom. c. Romana in 6. Papa penitus prohibet excommunicari vniuerſitatem, vel Collegium, nam cum dixiſſet excommunicationem pro præteritis, vel præſẽtibus culpis, monitione non præmiſſa, eſſe iniuſtam, & prohibuerit pro futuris, vel præteritis culpis aliquem excommunicari, niſi mora in exhibenda ſatisfactione, culpa, vel offenſa præceſſerit, ſubiungit In vniuerſitatem, vel Collegium proferri excommunicationis ſententiam penitus prohibemus, per quod verbum, videtur tolli poteſtas excommunicandi vniuerſitatem. Eſt etiam ex natura ſua nulla, quia contingeret innocentes excommunicari, nõ enim eſt probabile, quòd tota aliqua multitudo, ſic in malo cõſentiat, vt nulli ſint diſſentientes. Si autem de facto vniuerſitas excommunicetur, diſtinguendum eſt, nam ſi excommunicatur à Papa, tenet quoad culpabiles, ſi excommunicatur ab alio, uidendum eſt an per verbum, penitus prohibemus, d. cap. Romana, intelligatur ablata facultas ſic excommunicandi, ſi intelligitur ablata, vt uidetur, excommunicatio eſt nulla, at ſi non intelligitur ablata, tenet quoad culpabiles. Et ſi contigeret caſus quo omnes communitatis eſſent excommunicandi, excommunicentur omnes, qui tale quid fecerunt, quia cum hac ſpecificatione, & limitatione, licèt excommunicatio ſit uniuerſalis, fertur tamen contra ſingulos, & non compræhendit innocentes, & tenet.

Vniuerſitas nõ poteſt excõmunicari.

Aliquando autem excommunicatio eſt iniuſta, ſed non eſt nulla, quia ad illam concurrunt omnia eſſentialiter requiſita. ſ. iuriſdictio non impedita, cum intentione, & culpa mortalis, ſed dicitur iniuſta, vel defectu rectitudinis animi iudicis, vel defectu formæ non eſſentialiter requiſitæ, eſt enim excommunicatio grauiſſima pœna, quam Eccleſia inferre poſſit, & pœnæ ſecundum Philoſophum ſunt medicinæ, ſapientis autem medici eſt, à le-

Excõmunicatio iniuſta aliquando tenet.

nioribus medicinis,& minus periculoſis incipere; & ideo excõmunicatio non debet ſtatim pro quolibet peccato mortali infligi, ſed requiritur contumacia, & antequam proferatur ſententia excommunicationis,debet præmitti triplex monitio, vel vna pro tribus, quæ etiam debet fieri in ſcriptis, vel coram perſonis idoneis,vt probari poſſit, debet etiam in ſcriptis exprimi cauſa excommunicationis: & ſi iudex sine præcedenti monitione, vel ſine ſcriptura excommunicat, excommunicatio eſt iniuſta, & ſic excommunicans eſt per menſem ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſi interim celebrat officium diuinum alicui ordini peculiariter addictum,eſt irregularis,& ſolus Papa cum eo diſpenſat,quæ tamen pœna non afficit Epiſcopos cap. quia periculoſum de ſēt. excom.in 6. nec etiam (vt inquit Nau.) alios quando illam formam omittunt,quia periculum eſt in mora.Sed nihilominus excommunicatio ſic lata tenet, etiā si nulla præcedat monitio, ca. Romana de ſent. excom. in 6. & ibid. Gloſſa. Et eſt communis ſententia Abbatis Sylu. Tab. Caiet. Couarru. qui multos etiam citat. Nec eſt audiendus Sotus qui contrarium tenens,dicit excommunicationem pro peccato præterito quantumuis grauiſſimo,& enormiſſimo,ſine præcedenti monitione latam, eſſe nullā, & monitionem iure diuino ſemper requiri. propter illa verba Chriſti. Si Eccleſiam non audierit. Nam illis verbis Chriſtus non reſtringit auctoritatem Eccleſiæ, ut non poſſit eos, qui aliquod enorme peccatum commiſerunt, exemplo Apoſtoli, qui inceſtuoſum illum abſens ſtatim excommunicauit, ad aliorum terrorem,& maiorem illorum confuſionem,ſtatim excommunicare,ſuſpēdere,& ſi Domini ſunt,vel populi,propter eos, locum & eos quoq; interdicere,ſine præcedenti monitione, nam monitio fit,vt reſipiſcant; & excommunicatio ſic repente fulminata, non ſolum facit reſipiſcere,ſed maiorem etiam timorem,& tunc, & in futurum,incutit.

Nau.c.27 nu. 8.

Abb.in c. reprehenſibilis de Appel. & in ca.ſacr. de ſent. excom. Sylu. Tab. Exco.2.§. 1. Caiet.2 2 q.69.ar.2. Couar. in cap.Alma mater in 6.de ſent. exco. Sot.d.22. q. 1. ar.2.

Excõmunicatio quando ſeruanda.

His præmiſsis ſit Prima Concluſio.Quando excommunicatio ita eſt iniuſta,vt non ob id ſit nulla,& quoad Deum, & quoad Eccleſiam eſt ſeruanda,patet quia eſt valida, cum concurrant omnia eſſentialiter requiſita.

Secunda concluſio. Cum dubium eſt an excommunicatio ſit valida,ſeruanda eſt tanquam valida, nam in dubijs ſequenda eſt ſecurior pars,qui enim periculum amat,peribit in illo.

Tertia concluſio. Quando certum eſt excommunicationem eſſe nullam,ſed non publicè conſtat eſſe nullam, ad euitandum ſcandalum eſt ſeruāda,ſed eo ceſſante occultè cōmunicare licet.

Quarta

Quarta concluſio. Cum excommunicatio ita eſt nulla, vt etiã publicè conſtet eſſe nullãm, nec quoad Deum, nec quoad Eccleſiam, eſt ſeruanda.

Quinta concluſio. In omnibus quærenda eſt abſolutio, cum nihil noceat, & multum proſit.

An excommunicatio liget ignorantes.
Cap. IIII.

IGnorantia ſolet à Doctoribus multipliciter diſtingui, nam alia eſt facti, alia iuris, & iuris, alia iuris particularis, ſententiæ. ſ. latæ à iudice, vel particularis ſtatuti, alia eſt iuris communis, & vtraq; tam iuris, quam facti, vel eſt vincibilis, vel inuincibilis; Et vt quæ certa ſunt præmittamus, Sit Prima concluſio. Nulla affectata, & craſſa ignorantia, ſeu vincibilis excuſat. 2. concluſio. Ignorantia inuincibilis facti, excuſat ab excommunicatione lata contra illud factum: quæ concluſio eſt expreſſa in iure cap. ſi verò, extra de ſent. excom. vbi dicitur, quòd qui percuſſit clericum, quem ignorabat eſſe clericum, non eſt excommunicatus.

Ignorantia multiplex.

Quę excuſet, & quæ non.

Tertia concluſio. Ignorantia inuincibilis excommunicationis latæ à Iudice, vel à particulari ſtatuto, liberat ab excommunicatione illum, qui facit id quod iudicis ſententia, vel ordinarij ſtatuto, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, eſt prohibitum, quæ concluſio eſt expreſſa in cap. vt animarum de conſtitut. in 6. vbi dicitur; Vt animarum periculis obuietur ſententijs per ſtatuta quorumcumque ordinariorum prolatis, ligari noluimus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina. Et de iſtis tribus concluſionibus nulla eſt inter Doctores controuerſia.

Scot. 4. ſ. d. 6. q. 8. Adria. q. 3 de clauib. Maior. 4. d. 18. q. 2. Gloſ. ſuper cap. A nobis 1. extra de ſent. exco. Io. And. ſuper cap. Vt animarum de conſt. in 6 Bar. ſuper l. cunctos populos C. de ſumma Trini.

Sed dubium eſt de inuincibili ignorantia excommunicationis latæ à Papa, vel à iure communi, Scot. Adria. Maior, Gloſſa, Io. And. & Bart. tenent, quòd non excuſet, ſic tamen diſtinguunt, quando aliquid à Papa, ſeu à iure communi prohibetur ſub cenſura excommunicationis, aut erat per ſe antea licitum, aut illicitum; ſi erat licitum, tunc ignorantia inuincibilis excommunicationis, excuſat ab illa, cum excuſet à culpa, quia contraueniens dat operam rei aliàs licitæ, at ſi antea erat illicitum, non excuſat, quia dat operam rei illicitæ, ad incurrendam enim excommunicationem, ſatis eſt ſcire opus illud eſſe aliàs illicitum.

Sed ſit quarta concluſio. Ignorantia inuincibilis ſententiæ

Ignorantia inuincibilis excuſat. Ab. ſuper cap. A nobis eod. tit. S. Ant. 3. p. tit. 24. ca.33. Sylu. V. exco. 2.§. 25. & 10. §.4. Ang. V. excom. 7. caſu vlt. Roſ.V. exco.7.§.2. Sot. 4. d. 22. q. 1. ar.1. Nau.c.27 nu.16.

excommunicationis, à Papa,ſeu à iure communi latæ, etiam contra rem aliàs illicitam, & iure diuino prohibitam, excuſat ab excommunicatione, ita ut nullo modo incurratur. Iſta ſententia eſt Abbatis S.Anto.Sylu.Summæ Ang.& Roſel.Soti.Nau.& videtur etiam Innoc.& aliorum,& probatur primo. Quia committẽs aliquod peccatum,quod inuincibiliter ignorat eſſe à canone ſub pœna excommunicationis prohibitum,peccat tantum contra legem diuinam,& naturalem,& non contra canonem,vel ſtatutum Pontificis,imo eius reſpectu ignorantia cauſat inuoluntarium, quia ſi ſciret excommunicationem,nullo modo faceret, ergo nõ incidit in pœnam canonicam, cum eius reſpectu nulla ſit culpa, ſed in ſolam pœnã,quæ peccato lege naturali, & diuina prohibito,debetur,nam quantitas pœnę debet proportionari quantitati culpæ. Et confirmatur quia auctoritas excommunicandi data eſt Eccleſiæ,vt contra illum præcipue exerceatur, qui Eccleſiam non audit,eiq; non obedit, vt patet ex illo Euangelij; Dic Eccleſiæ,& ſi Eccleſiam non audierit,ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus,dixi præcipue, quia illis verbis non reſtringitur auctoritas Eccleſiæ, quin poſſit ſtatim contra eos qui aliquod graue delictũ commiſerunt fulminare ſententiam excommunicationis,vt dixi in præcedenti cap. Sed excommunicationes appoſitæ ſtatutis,& præceptis Eccleſiæ,ſunt ordinariæ,non in pœnam peccati iam cõmiſſi,ſed potius,vt non committatur, & propterea præſupponũt inobedientiam;at qui inuincibiliter ignorat præcepta Eccleſiæ, nullátenus eſt ei inobediens, nec dicitur eam non audire. Nec valet ſi dicatur,quòd qui non audit Deum,non audit Eccleſiam, nam propriè aliud eſt non audire Deum, aliud non audire Eccleſiam,vt quis non audiat Eccleſiam, requiritur præceptum Eccleſiæ,& Eccleſia ex eo,quod aliquis peccauit contra Deum, nõ ob id illum ſtatim excommunicat, ſed prius illum admonet, eique præcipit,& tunc ſi ei non obedit, illum excommunicat. Probatur ſecundo. Quia ſicut excuſat ignorantia facti, ita & ignorantia iuris, nam ſicut ſe habet ignorantia facti, reſpectu illius qui ſcit,vel debet ſcire ius,ita ignorantia iuris,reſpectu illius,qui nõ tenetur illud ſcire,& in hoc ſolo differunt ignorantia facti, & iuris,quia cum plures ſint qui teneantur ſcire ius, non tam facilè admittitur inuincibilis ignorantia iuris, quam facti; ſed quoad excuſationem, eadem eſt vtriuſq; ratio,& ita Innoc. cap. Propoſuiſti diſt.82.abſolutè,& ſine diſtinctione ait,quòd ignorantibus venia datur. quòd autem ignorantia facti excuſet, eſt canon expræſſus ſuperius concluſione ſecunda citatus. Probatur tertio.

Quia

Quia iuxta regulas iuris,pœnæ ſunt potius reſtringendæ, quam ampliandæ,ſed excommunicatio eſt pœna, & grauiſſima,& quod amplietur etiam ad inuincibiliter ignorantes ius commune, & bullas Papæ,eſt imponere hominibus onus grauiſſimum,& intolerabile,nam omnes quotidie deberent frequentare valuas.S.Petri,& videre an ibi ſit affixa aliqua excommunicatio,& ſtudere iuri canonico, quod autem reſtringatur ad vincibiliter ignorantes ius,eſt æquitati,rationi,& canonibus conſonum.

Quinta concluſio, in foro exteriori,& contentioſo,inuincibilis ignorantia iuris non excuſat,& ratio eſt, quia nõ ita præſumitur,& non eſt idem iudicium de foro contentioſo,& conſcientię, cum multi ſint excommunicati quoad Deum, & non quoad Eccleſiam,& è contra multi ſint excommunicati quoad Eccleſiam, ſed non quoad Deum, quia Eccleſia non iudicat de occultis, ſed ſecundum allegata,& probata, quando igitur in bullis Papæ dicitur, quod ſufficiat affixio inualuis.S. Petri, intelligitur quoad forum exterius,& contentioſum. Secus in foro contentioſo.

Supereſt vt reſpondeamus ad ea quæ in contrarium obijci poſſent,& primo obijcit Adrianus ex d. cap. Vt animarum. quia ibi dicitur, quòd ignorantia inuincibilis excuſat à ſtatutis ordinariorum,ergo à contrario ſenſu,non excuſat à ſententia Papæ,& à iure communi.& Papa in d. cap.dicit vt animarum periculis obuietur &c. nolumus ligari ignorantes, ergo ante hanc conceſſionem Papæ,ignorantia non excuſabat etiam à ſententijs, & ſtatutis ordinariorum. Argumenta contra quartam concluſionem. Primum argumentum.

Reſpondetur quòd intentio Pontificis in illo capitulo,non eſt,quòd excommunicationes Papæ,& iuris cõmunis ligent ignorantes, ſaltem in foro conſcientiæ, cum in eis militet eadem ratio; & argumentum à contrario ſenſu non ſemper valet.per illam etiam conceſſionem Papæ non ſequitur,quòd antea ignorantes ligarentur,ſed ſicut Papa prohibet etiã ea, quæ lege naturali, & diuina ſunt prohibita, ita etiam ad tollendos ſcrupulos,concedit ea,quæ naturali iure conceduntur, & conceſſa declarat. Reſpõſio.

Obijcit ſecundo ex cap. cum illorum,extra de ſent. excomm. Vbi Papa loquens de illis, qui cum eſſent excommunicati propter manuum iniectionem in clericos,ordines ſuſcipere non formidabant, ex quo erant irregulares, diſtinguens dicit, quòd ſi ſciebant ſe eſſe excommunicatos, perpetuò ab ordinibus deponantur,at ſi ignorabant,vel factum, quia non erant delicti memores,vel ius, cum illis poteſt diſpenſari, quo verbo inſinuat ignorantes ius, fuiſſe nihilominus excommunicatos. Reſpondetur Secundũ argumentum. Reſpõſio.

quòd

quòd ibi Innoc. loquitur de ignorantia craſſa, & vincibili, & patet, quia loquitur de ignorantia proprij facti, & de ignorantia notiſſimi iuris, nullus enim ferè eſt, qui ignoret, quòd percutiens clericum eſt excommunicatus, & qui promouendi ſunt (vt erant illi de quibus loquitur) illud ignorare non debent; loquitur etiã de foro contentioſo, ubi non præſumitur ignorantia; patet etiam quia ignorantia inuincibilis excuſat ab irregularitate illos, qui ſuſpenſionis tempore, diuina celebrant; extra de Cler. excom. ca. Apoſtolicæ.

Tertium argumentum. Tertio obijcitur, (quo etiam infirmatur prima ratio pro quarta concluſione) quia licet quis ignoret pœnam ciuilem impoſitã delicto, committens delictum, in illam nihilominus incurrit, & ſic homicida, & fur, eſt reus mortis, etiã ſi ignoret ſub pœna mortis delicta illa fuiſſe prohibita; & idem videtur dicendum de pœna eccleſiaſtica, & ratio eſt, quia ad hoc, vt aliquis obligetur ad pœnam, non requiritur eius conſenſus in pœnam, ſed ſatis eſt, ꝙ delinquat, nam obligatio ad pœnam, non nititur conſenſui delinquentis, ſed poteſtati legiſlatoris eam imponentis. Reſpondetur

Reſpõſio. eſſe diuerſam rationem, inter pœnam ciuilem, & excommunicationem, nam pœnæ ciuiles, ſequuntur naturam delicti, cui per legem ſunt appoſitæ, & ob id peccans, illas incurrit, etiam ſi ignoret legem pœnalem, nam qui ſcit aliquid eſſe malum, ſcit etiam eſſe debita pœna dignum. At excommunicatio eſt pœna extraordinaria, quæ non eſt infligenda niſi Eccleſię inobedienti, & præuia monitione, ut ex Euangelio colligitur, & conſequenter inuincibiliter illam ignorans, etiam ſi det operam rei illicitæ, illa non illaqueatur. Et confirmatur, quia idem etiam eſt de pœnis ciuilibus exorbitãtibus, nam ſi aliquis Princeps alicui paruo delicto apponat pœnam exorbitãtem vltra naturam delicti, ad hoc vt incurratur pęna, debet ſciri lex, & illam inuincibiliter ignorãs, non meretur illam pœnam, ſed ſolum puniendus eſt iuxta naturam delicti; quia illius pœnæ ignorantia, facit delictum illud eius reſpectu inuoluntarium, nam licèt ſit voluntarium in ſe, non eſt tamen voluntarium, vt eſt cauſa illius pœnę, quam inuincibiliter ignorat. Committens etiam fortuitò homicidium, liberatur à pœna ei debita, quia non fuit voluntarium. Ex quo ſequitur, ꝙ licet ad incurrendam pœnam non ſit neceſſarius conſenſus delinquentis in pœnam, eſt tamen neceſſarium, quòd conſentiat in eo cui appoſita eſt pœna, non ſimpliciter, ſed ut eſt tali pœna ſubiectum, & non conſentiens hac ratione, excuſatur à pœna, Vnde ſi pœna à lege appoſita eſt proportionata delicto, conſentiens

in de-

in delictum conſequenter conſentit in pœnam, at ſi delictum caſualiter committitur, & non eſt uoluntarium, liberatur à pœna; Si autem pœna eſt extraordinatia, cõſentiẽs in delictũ, & inuincibiliter ignorãs pœnã extraordinariam, obligatur ſolum ad pęnã delicto debitam, & non ad extraordinariam, quia non conſentit in delictum, vt eſt cauſa illius pœnę. At excommunicatio eſt pœna extraordinaria, nulli peccato ex natura ſua debita, ergo ut quis illam incurrat propter quodcumque delictum, debet ſcire, vel eſſe talis, quòd teneatur ſcire, illam eſſe impoſitam; Ex hoc ergo contrario argumento, potius noſtra ſententia confirmatur.

Quarto obijcitur, quia irregulatitas eſt pœna Eccleſiaſtica, quæ tamen contrahitur ex homicidio caſuali, quando datur opera rei illicitæ, ſecus quãdo rei licitæ, ergo eſt eadem ratio de excommunicatione. Reſpondetur primo, quòd hoc argumentum nihil facit ad rem, nam iſti dicunt, quòd ignorãtes excommunicationem, ſi dant operam rei licitæ excuſantur, non autem ſi dãt operam rei illicitæ. At quod caſualiter occidens non ſit irregularis dans operam rei licitę, & ſit, dans operam rei illicitæ, nõ eſt ex ignorantia pœnæ irregularitatis, nam hoc eſt verum, etiam ſi illam ſciat, non eſt igitur idem caſus, nec eadem ratio. Reſpondetur ſecundo dato etiam, quòd eſſet idem caſus, adhuc non eſt eadem ratio irregularitatis, & excommunicationis, nam irregularitas proprie non eſt pœna, ſed eſt quoddam impedimentum Eccleſiaſticum, vnde contrahitur aliquando, etiam ſine peccato, imo cum merito, vt à miniſtris iuſtitię, in cauſa ſanguinis, nam hoc impedimentum non inducitur ſolum ratione criminis, ſed etiam ratione ſignificationis, & non contrahitur niſi in caſibus in iure expreſſis; Et quia clericus debet ſequi, & imitari Chriſti lenitatem, & manſuetudinem, qui propter nos, ſe morti tradidit, Eccleſia inſtituit, vt qui voluntarie occidit, aut mutilat, etiam ſi ſine peccato id faciat, ſit irregulatis; & quòd ſit etiam irregularis ſi caſualiter fecit, ita tamen, quòd daret operam rei illicitæ. At excommunicatio, eſt pœna, & grauiſſima, quæ non infligitur niſi pro peccato mortali, & etiam non pro quocumque, ſed pro illo cui annexa eſt contumacia, qua non auditur Eccleſia, ergo non eſt eadem ratio.

Quartum argumentum. Reſpõſio.

An

An excommunicatio liget impotentes, excommunicantem, Superiores, æquales, non ſubditos, & extra terminos iuriſdictionis.
Cap. V.

TRia in hoc capitulo explicāda ſunt dubia, primum an excommunicatio liget impotentes. 2. an liget excommunicantem, ſuperiores, & æquales. 3. an liget non ſubditos, & extra terminos iuriſdictionis, pro quorum ſolutione ſit Prima concluſio. Si quis verè non poteſt parere, aut iuſta cauſa ad id non tenetur, perſeuerante tali cauſa, non incurrit in excommunicationem latam contra id facientes, vel omittentes, cum ad impoſſibile, & ad malum nullus teneatur, nec obligari poſsit.

Secunda concluſio. Excommunicatio non ligat excommunicantem, nec ſuperiorem, nec æqualem. huius ratio eſt, quia excommunicatio eſt actus iuriſdictionis, & per iuriſdictionem aliquis conſtituitur in gradu ſuperioritatis, reſpectu eius in quem habet iuriſdictionem, quia eſt eius iudex, & ideo nullus habet in ſeipſum, vel ſuperiorem, vel æqualem iuriſdictionem. Vnde ſi Epiſcopus ſtatuto prohibet ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ aliquod maleficium, nec ipſe, nec alius Epiſcopus, nec Archiepiſcopus eſſent excommunicati, ſi illud maleficium facerent. At ſi communicarent in illo maleficio cum iam excommunicato, ratione illius maleficij, eſſent excommunicati eadem excommunicatione, à iure, virtute Cap. Nuper, & cap. Si concubinæ extra de ſent. excomm. vt dicemus in quinta concluſione ſequentis capituli. Nec obſtat, quòd aliquis in foro pœnitentiæ

Obiectio. poteſt abſoluere ſuperiorem, & quod dans Indulgentias viſitantibus aliquam Eccleſiam, illam viſitans, conſequitur indulgētias, & remiſsionem pœnæ, quam ipſe conceſsit, & conſequenter ſe

Reſpõſio. ipſum abſoluit; quia abſolutio, & ligatio in foro confeſsionis, eſt tantum quoad Deum, apud quem aliquis alio inferior redditur per peccatum, ſed excommunicatio eſt in foro exteriori, in quo aliquis non amittit ſuperioritatem, nec redditur inferior, ex hoc quod peccat, Similiter etiam remiſsio pœnæ per indulgētias, eſt quoad Deum, & propterea, qui illas dat, vt Vicarius Dei, poteſt vt priuata perſona viſitans Eccleſiam, illas conſequi, cum reſpectu Dei remittentis ſit inferior. At ſuperior, in foro exteriori, & contentioſo, ſolum conſideratur, vt ſuperior, vel vt ſubditus maiori

maiori ſuperiori in eodem foro,& propterea non poteſt ſe ipſum ligare,aut ſoluere,nec per ſe, nec per accidens, ſed debet ligari, & ſolui,à ſuo ſuperiori,ſi habet,& ſi nullum habet,vt eſt Papa,nõ poteſt ligari,& conſequenter nulla indiget ſolutione.

Tertia concluſio. Excommunicatio non ligat eos,qui non ſũt ſub iuriſdictione excommunicantis,niſi ratione delicti, uel contractus, vel rei de qua agitur, de eius iuriſdictione efficiantur. probatur quia excommunicatio eſt actus iuriſdictionis. Sed occurrit hoc loco dubium, quare non ſubditus ratione delicti efficitur ſubditus,& non ratione indulgentiarum,& gratiarum,quæ ſunt fauorabiliores? & quare in foro pœnitentiæ, non ſubditus ratione delicti non efficitur ſubditus, ſicut in foro contentioſo, nam peccans in aliena parochia non ob id debet confiteri peccatum illud Sacerdoti in cuius parochia peccauit. Ad quod reſpondetur cum Abbate,eſſe differentiam inter forum contentioſum, & pœnitentiæ,nam in foro contentioſo imponitur pœnitentia,vt ſatisfaciat reipublicæ leſæ,quam ſcandalizauit, & ideo eſt imponenda ubi deliquit,& ob hoc delinquens, quo ad iſtam pœnam ſortitur forum alieni iudicis,& ratione delicti, auctoritate iuris, ampliatur læſa iuriſdictio iudicis illius territorij, vt delinquens cogatur ibi ſatisfacere reipublicæ, quam læſit delinquendo. at ratione indulgentiarum,& gratiarum, nulla ſubeſt ratio ampliandi iuriſdictionem ſui iudicis,imo confunderētur iuriſdictiones. In foro etiam pœnitentiæ,nulla eſt ratio ob quam ratione delicti amplianda ſit iuriſdictio confeſſoris in cuius parochia commiſſum eſt peccatum, immo potius eneruaretur pęnitentialis ſatiſfactio, nam in confeſſione imponitur pœna, vt peccator ſatiſfaciat Deo,cuius Vicarius eſt proprius Sacerdos, qui debet cognoſcere vultum pecoris ſui.

Dubium.

Solutio. Ab. ſuper cap. 1. de Rapt.& ſuper c.Nuper de ſēt. excom.

Quarta concluſio. Excommunicatio non ligat *a* ſubditos excommunicantis extra terminos iuriſdictionis eius commorantes, dummodo *b* delinquens, & res circa quam delinquitur, & etiam ipſum delictum, ſint omnino extra terminos iuriſdictionis excommunicantis,aliàs enim eſſent excommunicati,vt ſi Epiſcopus iubeat ſub pœna excommunicationis ſuos clericos beneficiatos in alterius diœceſi commorantes,ad reſidentiam,vel ad ſynodum venire. At *c* ſi Epiſcopus generaliter præciperet ſub pœna excommunicationis, quòd nullus accedat ad monaſteria monialium, accedentes ad monaſterium exemptorum non incidunt in excommunicationem,quia delictum committitur in loco exempto, & locus exemptus æquiparatur loco extra diœce-

a cap. Vt animarũ de conſt. in 6.
b Ang.exco.1.§.10. Sylu.exco 2.§.8.& 9.
c Tab.exco.4. q. 4.

ſim

ſim exiſtenti, ſi autem ſpecialiter præciperet, quòd nullus accedat ad monaſteria exempta, eſſent excommunicati ratione criminis commiſſi in loco non exempto, ſcilicet in via.

d Sylu. excom. 1. §. 6. Nau. c. 27. nu. 6.
e Nau. licet Sylu. contrariũ dicat ibid
f Nauarr. ibid.

Quinta concluſio. Epiſcopus, vel alius iudex, extra *d* territorium ſuæ iuriſdictionis excommunicare non poteſt, etiam ſuos ſubditos, etiam ſi eſſet *e* vi pulſus, niſi in loco *f* viciniori epiſcopatui, vel de conſenſu Epiſcopi vbi manet, cum enim nullus ſit excommunicandus ſine cognitione cauſæ, requiritur locus ad ſedendum pro tribunali. At ſi res eſſet adeo manifeſta, quòd non requireret cognitionem cauſæ, excommunicare poſſet.

An excommunicatio liget non completa actione, & an liget etiam mandantes, conſulentes, & auxilium dantes, & de differentia, quæ eſt inter participationem ante incurſam, & poſt incurſam excommunicationem. Cap. VI.

VT cognoſcamus quos excommunicatio compræhẽdat, & an requirat actionem completam, duo in qualibet excommunicatione, ſiue à iure, ſiue ab homine, notanda ſunt. Primum in qualibet excommunicatione duo inueniri. ſ. perſonam, quæ excommunicatur, & actionem pro qua excommunicatur. 2. participantes in crimine crimino ſo, propter quod lata eſt excommunicatio, dupliciter poſſe conſiderari, vel in illo crimine antequam ſit commiſſum, & conſequenter ante excommunicationem; vel poſtquam eſt commiſſum, vt participatio ſit cum iam excommunicato, in crimine crimino ſo.

His ſuppoſitis ſit prima concluſio. Si actio pro qua lata eſt excommunicatio, conſideretur ex parte termini, ad hoc, vt incurratur excommunicatio, illa actio debet eſſe completa. Verbigratia, Si excommunicatur quicumque occiderit Chriſtianũ, quantumcumque aliquis animo occidendi vulneret, etiã ſi mille vulnera lethalia Chriſtiano inflixerit, niſi ſequatur mors, nõ erit excommunicatus. Excommunicatur inijciens manus violentas in clericum, & conſilium dans, aut aſſentiens, vnde quantumcumq; aliquis conetur percutere clericum manibus, lancea, lapidibus, niſi lanceæ, vel lapidis ictus pertingat ad clerici perſonam, non incurrit excommunicationem latam contra inijcientes manus violentas in clericum, nec ipſe, nec illi, qui conſilium dederunt.

Secunda concluſio. Si actio pro qua lata eſt excommunicatio, conſideretur, vt eſt ab agente, incurritur excommunicatio, etiam

etiam ſi actio non ſit conſummata ex parte termini. Verbigratia excommunicatur religioſus dicens aliquid, vt retrahat audiẽtes à ſolutione debitarum Eccleſijs decimarum, ad hoc, vt religioſus incidat in excommunicationem, non requiritur, quòd aliquis ex eius dicto retrahatur à ſolutione decimarum, ſed ſatis eſt, quòd ipſe id dicat tali intentione.

Tertia concluſio. Excommunicatio non compræhendit niſi illas perſonas quas expreſsè nominat. Vnde cum excommunicatur qui fecerit hoc, vel illud, eſt ſolum excommunicatus qui id fecit, non autem præcipiens conſulens, defendens, & adiuuans ante commiſſum crimen, & ſi excommunicatur, qui id fecerit, & fieri præceperit, id conſulentes, defendentes, & adiuuantes non erunt excommunicati, cum non fuerint expreſſi. Iſta concluſio eſt partim contra Syluestrum, qui dicit, quòd mandans fieri aliquid, per quod faciens incidit in excommunicationem, in eandẽ excommunicationem incidit, ſi ſequutus eſt effectus; & etiam ratum habens illud maleficium, dummodo concurrant ea, quæ requiruntur ad hoc, vt ratihabitio confirmet actum præcedẽtem, at conſulentes, dantes fauorem, & inducentes alium, non incidũt niſi id exprimatur. Eſt etiam contra Roſellam, qui generaliter dicit, præcipientes, conſulentes, & dantes auxilium, in eandem excommunicationem incidere. Et probatur concluſio. primo quia ſecundum Gloſſam communiter ab omnibus receptam, excommunicatio non debet extendi de vno caſu ad alium, quia pœnæ ſunt reſtringendæ l. penul. ff. de pęn. & cap. pœnæ de pęnit. d. r. & in pœnis ad ſimilia non arguimus, ſecundum Gloſſam. At pręcipientes, conſulentes, defendentes, & auxilium dantes, nõ ſunt verè, & propriè facientes, ſed interprætatiue, nam mandatum, & conſilium, præcedunt factum, etiam per menſem, & annum, & nihil præcedere poteſt, id quod vere eſt ipſum. Vnde ſecundum Abbatem, ſtatutum faciens mentionem de committẽte delictũ, non compræhendit præſtantem opem. Probatur ſecundo. Quia quando excommunicans vult compræhendere non ſolum facientes, ſed etiam cooperantes, extendit apponendo, quandoque, & quicumque dederit conſilium, auxilium, vel fauorem; quandoq; & quicumque mandauerit, quandoque, & qui fuerit mediator; ex his enim, & ſimilibus appoſitionibus, ſignificatur, quòd niſi fierent huiuſmodi extenſiones, ſoli facientes eſſent excommunicati, nam aliàs fruſtra fierent huiuſmodi expræſſiones, & extenſiones, ſi in omni excommunicatione intelligerentur.

Caiet. V. excom. in princ. & c. 47.
Tab. exco 5. caſu 49.
Nau. c. 27 n. 51.
Sylu. V. excom. 10. §. 5.
Roſ. exco. 1. caſu 43.
Gloſ. in Clem. 1. de ſep. & in Clem 1 de cõsãg.
Gloſ. c. in pęnis de regul. iur. in 6.
Abb. in c. fin. de iniur. & dã.

Nec obſtat ſi dicatur, quòd agentes, & conſentientes, pari pœ

na pu-

Obiectionis ſolutio. na puniuntur. nam Reſpondetur, quòd agentes,& conſentientes peccant, ſed non ſemper æqualiter, & ita omnes puniuntur, ſed non ſemper æquali pœna, ſed pro grauitate delicti, loquendo de pœna criminali, peccato debita. at excommunicatio eſt pœna extraordinaria,& arbitraria,& ad iudicandum de illa, non attendenda eſt natura delicti, nec peccatum participantium in illo delicto, ſed ipſa excommunicatio,& eius forma, ſeu verba, nam aliquando infertur pro magno delicto, aliquando non infertur pro magno, ſed pro paruo,& aliquando fertur contra omnes participantes, aliquando contra ſolos committentes; Eſt autem hoc loco notandum, quòd licèt alicuius iuris excommunicatio ſit ſolũ contra facientes, nihilominus aliquando à ſuperueniente iure extenditur etiam ad mandantes, conſulentes, & iuuantes, vt eſt illa cap. ſi quis ſuadente. 17. q. 4. contra inijcientes manus uiolentas in clericum, & propterea vidẽdum etiam eſt, quid alij canones de illa diſponant,& an interpretando, uel extendendo, illam amplient.

Quarta concluſio. quando excommunicatio extenditur ad præcipientes, conſulentes, defendentes, & auxilium præſtantes, iſti non ſunt excommunicati, niſi cum conſũmatur actio, vnde licèt aliqui mandent, conſulant,& auxilium præſtent, vt quis manus violentas in clericum inijciat; niſi ille iniecerit, non ſunt excommunicati, quia actiones iſtæ non excommunicãtur, niſi quatenus ſunt cooperatoriæ, non ſunt autem ſimpliciter cooperatoriȩ niſi quando completur opus principale.ſ.iniectio manuum; At ſi excommunicaretur actus præcipiendi,& conſulendi, non ſolum, vt cooperatorius,& vt reſpicit terminum, ſed etiam in ſe, vt eſt præcipientis, & conſulentis, tunc iuxta ſecundam concluſionem eſſent excommunicati, etiam non completa actione,& ſic mandãs interficere aliquem per aſſaſſinos, eſt excommunicatus, etiam ſi non ſequatur mors. cap. 1. de Homic. in 6.

Gloſ. & Abb. in d. cap. Sylu. Tab. Caiet. V. excom. Sot. d. 22. q. 2. art. 3. Nau. c. 27 nu. 33. Couar. in ca. Alma mater de ſent. exco. in 6. §. 3. nu. 5.

Quinta concluſio. Participantes in crimine criminoſo, cum iam excommunicato ratione illius criminis, ſunt excommunicati à iure, eadem excommunicatione, vigore cap. Nuper. & cap. ſi concubinæ. extra de ſent. excom. Iſta concluſio eſt communis omnium canoniſtarum,& ſummiſtarum,& inter alios ita tenent, & interpretantur illa duo capitula. Gloſſa Abbas Sylu. Tab. Caiet. Sot. Nau.& Couar. Nec eſt contraria tertiæ concluſioni,& pro vtriuſq; concluſionis intelligentia, notandum eſt, quòd dupliciter contingit participare in crimine criminoſo, cui. ſ. appoſita eſt excommunicatio, Primo antequam illud crimen committatur,

& ſic qui

& ſic qui præcipiunt committi illud crimen,conſulunt, auxiliantur,& fauorem præſtant,nō ſunt excommunicati,niſi illa excommunicatio eos expreſſe comprehendat, & hoc eſt,quod dicitur in tertia concluſione. 2. poſtquam illud crimen iam eſt commiſſum, & ratione illius qui illud commiſit, eſt excommunicatus, & qui cum excommunicato participant in crimine, propter quod excommunicatus fuit,ſunt excommunicati eadem excommunicatione,nō quidem virtute illius excommunicationis, quæ non fuit niſi contra facientem, ſed virtute generalis excommunicationis à iure, quæ eſt contra participantes cum excommunicato in crimine crimino ſo. Vnde ſi excommunicetur, qui furtum fecerit, iuxta tertiam concluſionem, qui conſulit,& præcipit furtum,non eſt excommunicatus, at qui poſt commiſſum furtum conſulit,& vt nō reſtituat,vel, ut iterum furetur, iuxta hanc quintam concluſionem, eſt excommunicatus,eadem excommunicatione,quia participat in crimine crimino ſo,nō ante incurſam excommunicationem vt præcedens,ſed cum iam excommunicato,etiam ſi eſſet Epiſcopus,qui illam tulit, nam licet non poſſit excommunicare ſe ipſum,eſt nihilominus excommucatus eadem excommunicatione, à iure communi in dicto caſu extēſa. dicitur in crimine crimino ſo, quia qui participat cum excōmunicato in alijs criminibus,quantuncūque grauibus,non eſt excommunicatus, niſi excommunicatione minori, nam virtute dictorum canonum, per ſolam participationem cum excommunicato in crimine crimino ſo, incurritur eadem excōmunicatio.

Quando excommunicatio liget ſtatim ipſo facto, & quomodo ſuſpendatur, & retro trahatur. Cap. VII.

EXcommunicatio aliquando ligat ſtatim ipſo facto, aliquando non,nam excommunicatio non eſt ſemper latæ ſententiæ,ſed ſæpe eſt comminatoria, & ad diſcernendum quando ſit latæ ſententiæ,vel comminatoria, conſiderāda ſunt eius verba, ſi enim ſunt præteriti, aut præſentis temporis, vt ſit excommunicatus, decernimus excommunicationi ſubiacere,eſt latæ ſententiæ,& ipſo facto incurritur. At niſi ſit aliquod verbū, per quod appareat latam eſſe excommunicationis ſententiam, eſt comminatoria,& nō incurritur ipſo facto, ſed requiritur Iudicis declaratio,& ſententia, vt ſi canon dicat excommunicētur, & etiam ſi abſolute dicat præcipimus ſub pœna excommunicationis,intelligitur ferendæ,

Eſt autem hoc loco de excommunicatione latæ ſententiæ primo notandum, quod excommunicatio (vt diximus) non ligat ſi qui eam fert non habet intentionem ligandi, neque etiam ſi is ad cuius inſtantiam fertur, non habet voluntatem vt ligetur, quia excommunicatio omne robur ſuum accipit à voluntate excommunicantis, & qui excommunicat ad petitionem partis, non vult magis excommunicare, quam ipſa pars velit, ſed cum non conſtat de eorum intentione, habendi ſunt tanquam excommunicati. Ex quo ſequitur quod excommunicatus ſub cōditione, ſi non ſoluit ad præſcriptum terminum, ſi ille, cui ſoluendum eſt, prorogauerit terminum antequam incurratur excommunicatio, tollit excommunicationem, & non erit excommunicatus, iuxta cōmunem, Abbatis, & citatorum à Decio in cap. Præterea 2. de Appell. ſed ſi non ſoluerit in tempore prædicto, erit excommunicatus, quod Sylu. & Nau. limitant, & benè, quando terminus prorogatus fuit, de conſenſu iudicis, aliàs ſecus, nam licet excōmunicatio lata ad petitionem partis, tolli poſſit antequam incurratur, per hoc quod pars non vult illum amplius ligare, non tamen poteſt ſuſpendi, & differri, neque ita mutari, vt ſemel ſublata, iterum incurratur, quia hoc eſt iuriſdictionis, quam pars nō habet, & propterea ad hoc requiritur conſenſus Iudicis. Non eſt autem eadem ratio de excommunicatione lata contra penſionarium non ſoluentem penſionem tempore debito, quia iſta poteſt per dilationem expræſsè, vel tacitè factam, ab eo cui ſoluenda eſt penſio ſuſpendi.

De parte concedente dilatio nem.

Sylu. v. excomm. 2. not. 1. caſu 13. Nau. c. 27. nu. 15.

Excōmunicatio quādo retro trahitur.

Eſt ſecundo notandum, quod duo ſunt caſus in quorum vno, excommunicatio latæ ſententiæ, ipſo facto incurrenda, retro trahitur, vt prius cenſeatur incurſa, in altero ſuſpenditur, vt non incurratur tunc, quando ipſo facto eſſet incurrenda, ſed alio tempore, & quando poſtea incurritur, à principio cenſetur incurſa, qui ſunt ſecundum ſtylum Romanæ curiæ, vt inquit Nauarrus; quorum etiam nos reddemus rationem, quam nec ipſe, nec alij reddunt, nec ſatis explicant. Primus caſus eſt in Simonia (non loquimur de illa quæ fit per confidentiam) vt ſi detur beneficium, cum pacto, quod poſt annum dentur v.g. centum aurei, tunc ſunt excommunicati, quando ſoluitur prętium, vt Simonia ſit ex vtraque parte completa, & ſi nunquam ſoluitur, nunquam ſunt ex-excommunicati, & quando poſt annum ſoluitur, licet tunc ſint excommunicati, tamen iam inde à principio ſecundum ſtylum curiæ, cenſentur excommunicati. Secundus caſus eſt in excommunicatione lata ipſo iure, cōtra penſionarium, qui debito tempore

Primus caſus.

Nau. c. 23 nu. 103.

Secundus caſus.

pore non ſoluit penſionem, & tamen ſi tempore debito non ſoluit, non cenſetur excommunicatus, donec is cui penſio debetur, declaret ſe velle illum eſſe excommunicatum, & illo etiam poſt menſem, & annum declarante, habetur pro excommunicato, iam inde à termino elapſo, & ſi antequã declaret moritur, vel ſoluitur penſio, vel fit cõpoſitio, excõmunicatio nunquã cenſetur incurſa. Et huius ratio eſt, quia iſta excommunicatio, eſt lata à Papa in fauorem illorum quibus reſeruata eſt penſio, & non eſt lata ad inſtantiam alicuius particularis ob non ſolutionem, ſed ex communi ſtylo, & non eſt credendum quod omnes velint non ſoluentes ſibi penſiones die ſtatuto eſſe excommunicatos, cum autem excommunicans ad inſtantiam, ſeu fauorem alterius, non velit magis excommunicare quam ipſa pars velit, ideo Papa, ita fert contra non ſoluentes pęnſionem tempore debito excommunicationem, vt velit eos ad quorum inſtantiam fertur, declarare ſe velle illos in eam incidiſſe, & quando declarant, tunc in illam incidunt, ſed quia fuit latæ ſententiæ pro tempore debito, & ſuſpenſa ex conceſsione partis, id Papa cõcedente, ob rationẽ dictam, licet videatur actus iuriſdictionis, & fortè dilatio ſolutionis fuit fraudulenter facta, & etiam obtenta, & propterea quo ad Deum fuerunt ſtatim elapſo termino excommunicati, ideo ſecundum ſtylum curiæ, quando declarantur excommunicati, ita declarantur, vt à termino elapſo habeantur excommunicati. Prædictorũ ratio.

Sed notandum eſt quod in neutro caſu excommunicatio ita retro trahitur ſecundum ſtylum Romanæ Curiæ, vt verè à principio fuerit vel cenſeatur incurſa, nam qui ante cum illis licitè communicarunt non ob id poſtea dicuntur illicitè communicaſſe, imo illi qui ante completam ab altera parte Simoniam, vel qui poſt elapſum terminum ad ſoluendam penſionem ante declarationem celebrant, non efficiuntur irregulares, quia illi verè non ſunt excommunicati, cum Simonia non ſit ex vtraque parte completa, & iſti credere poſſint, quod illi quibus debetur pẽſio, eos excuſatos habebunt, & non declarabunt illos excommunicatos, & conſequenter nullus eſt hic cõtemptus Eccleſiaſticæ cenſuræ, vt hac ratione efficiantur irregulares, etiam ſi ſciant ſecundum ſtylum Romanæ Curiæ, his duobus caſibus excommunicationẽ retro trahi, ſed dicitur retro trahi quia ampliatur beneficiũ abſolutionis, ac ſi à principio fuiſſet incurſa, quia tunc cępit cauſa, ob quam, & contra quam, lata fuit excommunicatio, ratione cuius iam illi ligari cęperunt quo ad Deum, & etiam aliquo modo quo ad Eccleſiam, licet non completè & perfectè. Nec obſtat ſi dicatur, Quomodo intelligatur retrotractio. Obiectio.

dicatur, quod interdictum, & excommunicatio pure, & ſine conditione lata, non poteſt eſſe pendens, ſed ſtatim ligat, aut non ligat, cap. Adhæc quoniam extra de Appell. Nam quod excommunicatio pure facta non poſſit eſſe pendens, eſt ſecundum ius humanum antiquum, quod poteſt tolli alio iure humano poſteriori contrario, ius autem poſterius contrarium, eſt antiquus, & communis ſtylus Romanæ Curiæ, qui in prædictis caſibus ſic ſeruat Papa ſciente. Pro quo etiam facit quod amiſſio emphitheuſis ipſo iure incurſa per ca. Potuit extra de locat. & l. 2. C. de iur. Emph. eſt ita pendens, quod ſi dominus proprietarius antequã illam petat, vel declaret ſe velle petere, moriatur, non cenſeatur amiſſa, & ſi petatur, ſic: & idem ſi ipſe Emphiteuta moriatur antequam ab eo illa petatur, vt probat Caſſ. deciſ. 2. & 3. de locat.

Solutio.

Quando excommunicatio liget mortuo illo qui excommunicauit, & an excommunicationes præceptis appoſitæ, & Bullæ cœnæ Domini ſint à iure. Cap. VIII.

Videndum nunc eſt quando excommunicatio liget mortuo illo qui excommunicauit; Et vt ſeparemus certa à dubijs, notandum eſt, quod excommunicatio, aut eſt à iure, aut ab homine, & inter vtramque hæc conſtituitur differentia, quod excommunicatio lata à iure, ligat etiam poſt mortem excommunicantis, at lata ab homine, ideſt à iudice, moritur mortuo, vel ablato ab officio illo qui eam tulit, quo ad illos tamen, qui eam non incurrerunt antequam ille moreretur, aut priuaretur. Et in hoc nulla eſt inter Doctores difficultas, & eſt generale de omnibus pęnis: Sed dubium eſt quæ nam excommunicatio ſit à iure, & quæ ab homine: Omnes in hoc conueniunt, quod excommunicatio lata mediante aliquo canone, conſtitutione, vel ſtatuto, eſt à iure, ſed dubitatur de præcepto facto ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, an iſta excommunicatio ſit à iure, vel ab homine; illi enim quibus fiunt huiuſmodi præcepta, à quibus ſe liberare vellent, niſi in eis viderint expræſſam legis, ſtatuti, aut conſtitutionis formam, dicunt eſſe ab homine, & ſpirare cum vita pręcipientis, de quo etiam Doctores videntur variè loquuti.

Pro quo notãdum eſt, quod Doctores de præceptis, & etiam de excõmunicatione, ſuſpenſione, interdicto, & alijs pœnis, quo ad hoc, loquũtur ſub nomine ſententiæ, nam pœnæ ſunt annexæ ſententiæ, & præceptum, vt inquit Speculator, eſt ſpecies ſenten-

Spec. tit. de ſent. c. 2. nu. 14.

tiæ, vt ergo ex Doctoribus, hanc veritatem eruamus, videndum eſt quando ſententia eſt à iure, & quando ab homine. Hoſt. Spec. Abbas S. Ant. & alij dicunt, quod ſententia pro offenſa futura, abſolutè, ſine temporis determinatione eſt à iure, & quod à iudice ſiue ab homine non poteſt eſſe niſi pro contumacia, vel offenſa præterita, vel futura pro tempore determinato. Alij dicunt quod interdictum, ſiue ſententia excommunicationis ſimpliciter lata, non durat vltra tempus proferentis, ſed tunc durat cum ſtatutū, ſeu decretum aliquod facit. Ita tenet Gloſſa in cap. A nobis extra de ſententia excommunicationis. Et Couar. in cap. Alma mater de ſent. excomm. in 6. §. 10. tenet ſententiam ſimpliciter & vniuerſaliter latam ſine temporis determinatione pro futuris culpis, poſſe eſſe etiam ab homine, & quod illa excommunicatio d. cap. A nobis contra illos qui furtum fecerint, fuerit ab homine.

Hoſt. de ſent. excō. cap. 6.
Spec. tit. de legato cap. 4. nu. 36.
Abb. de cler. non reſid. in c. cū adhoc. & de ſent. excom. in c. à nobis.
S. Ant. 3. p. tit. 24. cap. 74.

Sed nihilominus veritas eſt clara, & qui videntur contrarij, facile ad concordiam reducuntur, nam qui dicunt ſententiam ſimpliciter latam pro culpis futuris poſſe etiam eſſe ab homine, & ſpirare cum illo, mouentur ſolū propter auctoritatem d. Gloſſæ, & Gloſſa id aſſerit ſolum propter l. fin. ff. de pęn. in qua dicitur quod præſes vltra adminiſtrationis ſuæ tempus, non poteſt interdicere alicui arte ſua. At. l. 1. §. ſed vrbem ff. de Off. præf. vrb. & l. 1. C. de poſtulando, dicitur quod præfectus poteſt in perpetuū aliquem priuare officio aduocationis, licet ipſe ſit tēporalis. Vbi Gloſſa ſuper d. leges, eas concordans, inquit, quod præfectus ſententiando poteſt aliquem ſua arte priuare, at ſi id extra iudiciū facit, vltra ſuum tempus non extenditur. Sententia ergo excommunicationis, ſuſpenſionis, & priuationis, pro futuris culpis ſimpliciter lata, ſine temporis determinatione, quando eſt cum cognitione cauſæ, eſt à iure, & perpetua, & ab aliquibus dicitur ab homine, non quia cum illo ſpiret, & non ſit perpetua, ſed quia non eſt ſecūdum formam ſtatuti, vel legis, & ſic loquitur Couar. ab alijs dicitur à iure, nō ratione formæ, ſed quia eſt perpetua, vnde æquiuocatio eſt in nomine, quæ apud aliquos confuſionem parit. Nec requiritur, quod iſta cognitio cauſæ ſemper fiat per proceſſum, ad hoc vt excommunicatio ſit perpetua, ſed ſatis eſt quod cauſa ſit euidenter iuſta, quæ ſemper militet, vel ſit ſecundum Concilia, & canones, in fauorem religionis, aut publicæ vtilitatis: nam in manifeſtis non eſt opus forma & figura iudicij. Vnde Speculator inquit, quod excommunicatio ſic lata, excommunico omnes qui furtum fecerint, durat poſt mortem excommunicantis, idem dicit Hoſt. de excommunicatione ſic lata, Ex-

communico omnes Cruce ſignatos niſi Crucem ferant, quia eſt in fauorem crucis. Præceptum igitur diſponens de futuris culpis, quod eſt cum cognitione cauſæ, vel ex cauſa euidenter iuſta, æquiualet legi, & ſtatuto, & eſt perpetuum, & excommunicatio ei annexa ſemper ligat, etiam poſt mortem excommunicantis. Et iſta ſententia eſt tenenda tanquam communis, nam vt dixi quæ Doctores dicunt de ſententijs a iure, vel ab homine, intelligenda ſunt etiam de præcepto, cum ſit ſpecies ſententiæ.

Et vt rationem huius differentię habeamus, notandũ eſt quod ad excommunicationem tria eſſentialiter requiruntur, quibus exiſtentibus excommunicatio tenet vt diximus; ſ. in excommunicante iuriſdictio non impedita, cum intentione excommunicandi, & quod feratur pro peccato mortali, in ſe, vel ratione inobedientiæ, ad iudicandum ergo an excommunicatio valida, teneat etiam poſt mortem excommunicantis, videnda eſt illius intentio, quæ aliquando eſt manifeſta, aliquando habetur coniectu ris, Et dicimus quod defectu intentionis perpetuo excommunicandi, non durat poſt mortem, primo quando eſt ad tempus, vt niſi quis reuelauerit hoc aut illud infra tãtum tempus, vel quando eſt de re tunc tranſeunti, vt ſi Epiſcopus præcipiat ſub pœna excommunicationis ne quis reuelet ea quæ ab ipſo audiuit. 2. licet ſit ſine temporis limitatione, pro futuris culpis, non tamen eſt vniuerſalis contra omnes, ſed tãtum contra aliquos. 3. licet ſit vniuerſalis, tamen non eſt cum cognitione cauſæ, & cauſa pro qua lata eſt, tanquam dubia in ſe, vel ratione circunſtantiarum, indigebat diſcuſſione, & debebat audiri pars; iſtæ excommunicationes non dicuntur à iure, ſed ab homine; quia quæ ſunt à iure, ſunt perpetua donec reuocentur, ſunt vniuerſalia, & ex certa ſcientia, & ratione, non eſt autem credendum quod Iudex, vel Prælatus, qui ad excommunicandum vel ex propria opinione, vel aliquos tantum ex propria voluntate mouetur, velit vt qui poſt eius mortem, vel officium id comiſerint, excommunicationis ſententia ſubiaceant, cum illa excommunicatio fuerit potius à iudice vt homo, quam à iure, quæ nihilominus ipſo viuente tenent, quia ſunt iuri conſonæ, & ex rationabili cauſa iudicis animum mouente, & indubijs etiam obediendum eſt; Et quod fuerint abſolute latæ, ſine temporis limitatione, non arguit in iudice voluntatem perpetuo excommunicãdi, ſed quod ſint ad eius beneplacitum. Durat autem excommunicatio poſt mortem excommunicantis primo quando eſt mediante aliqua lege, ſtatuto, vel conſtitutione, quia hæc ſunt perpetua donec reuocentur. 2. quando eſt

Conſideranda eſt intentio.

Non durat poſt mortem.

Durat poſt mortem.

do eſt ſub forma præcepti cum cognitione cauſæ, tunc enim tanquā iuridice lata, eſt perpetua donec reuocetur, ſicut & aliæ ſententiæ iudicis, nam præceptum cum cognitione cauſæ, eſt ſpecies ſententiæ. 3. quando eſt pro confirmatione præcepti facti de re euidenti, quæ non indiget diſcuſſione cauſæ, quale eſt præceptū de tollendo aliquo abuſu, de non committendo aliquid quod eſt contra religionem, vel contra commune bonum, huiuſmodi præcepta & excōmunicationes ſcriptis facta, & intimata, & apud notarium ad perpetuam memoriam regiſtrata, ſunt perpetua, quia licet non habeant formam legis, & ſtatuti, nihilominus habent uim legis, & ſtatuti, & eis æquiualent, & præcipientis intentio fuit in perpetuum prouidere, & non pro tempore tantum ſui officij, cum præceptum ſit de re perpetua, ſ. de tollendo abuſu, & de re adeo clara, quę nulla indiget diſcuſsione, Et cū verba deſeruiant intentioni, & non intentio verbis cap. ſecundo requiris extra de Appell. ridiculum eſt credere præceptum illud quod v. g. facit Epiſcopus ſuis Canonicis, qui cum non inſeruiant, nec reſideant percipiunt diſtributiones, vel qui non incedunt in habitu & tonſura, ne de cætero ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ id committant, momentaneum eſſe, aut donec ipſe vixerit, ex eo quod non poſuit verbum ſtatuti, conſtitutionis, aut legis, & ſi præceptum eſt perpetuum, erit etiam conſequēter excommunicatio ei annexa, cum eadem vtriuſque fuerit intentio, ſcilicet excommunicatione perpetuò corroborare, & confirmare præceptum.

Ex quo ſequitur excommunicationes Bullæ Cænę Dn̄i eſſe à iure, & durare poſt mortem Pontificis; quod eſt contra Sotum & alios, & etiam partim contra Nauarrum, qui dicit aliquas bullas Cænæ Domini eſſe ab homine, & ſpirare cum vita Pontificis, quia habent vim præcepti, & aliquas eſſe à iure, quia in illis declaratur quod durent poſt mortem, & conſequēter habent vim legis. Sed ſimpliciter dicendum eſt nullam bullā cæne Dn̄i ſpirare cum vita Pontificis, etiam ſi habeat vim præcepti: primo quia illa præcepta ſunt de re ſummi momenti pro conſeruatione veritatis fidei, vnitatis, & puritatis Chriſtianæ religionis, ac libertatis Eccleſiaſticæ, & non eſt credendum quod Pontificis intentio ſit prouidere tantum pro vitæ ſuę tēpore, & confirmatur quia aliàs ſucceſſor illam ſtatim renouaret, aut confirmaret, quod tamen non facit, niſi in die cænæ Domini, ergo ſignum eſt quod ſemper durat quouſque renouetur. 2. probatur ex cap. 3. & 5. de pæn. & remiſs. extrauag. lib. 6. in quibus ponuntur excommunicationes

De bulla cœnæ. Sot. 4. 5. diſt. 22. q. 2. art. 3. Nau. c. 27. num. 74.

reſeruatæ Papæ, inter quas ſunt illæ bullæ Cænæ Domini, quæ frequẽter ſemper ſunt reſeruatæ, etiam ſede vacante, & nondum à Succeſſore renouatę. 3. probatur ex verbis bullę, vbi hoc multipliciter apparet, nam in excommunicatione contra ſchiſmaticos dicitur, qui ſe à noſtra & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis &c. & in alia dicitur, à mandatis noſtris, ac Rom. Pont. pro tempore exiſtentium ad vniuerſale futurum Concilium appellantes, in ea etiã excommunicantur raptores ſupelleॆctilium, & ſcripturarum Cameræ, & Palatij Apoſtolici, tempore ſedis vacantis; Si ergo vigore harum bullarum excommunicãtur delinquentes tempore vacationis ſedis, & aliorum Pontificum, nõn ſpirant cum ipſorum vita. Accedit etiam quod aliquando Papa hoc expreſſe declarat, addens volẽtes præſentes noſtros proceſſus &c. quouſque alij huiuſmodi à nobis, aut Rom. Pontefice pro tempore &c. durare, ſuoſque ſortiri effectus: Nec obſtat ſi aliquando Papa non ſic declaret, nam nihilominus durat, et ſatis conſtat de eius intentione, vt patet ex dictis. Nec etiam obſtat quod hæc bulla ſingulis annis renouatur, nam non propterea renouatur quaſi præcedens vim ſuam amiſerit, aliàs enim fruſtra renouaretur ab eodem Pontifice, ſed id fit vt frequenti commemoratione, & publicatione, fidelium Chriſtianorum cordibus firmius inhæreat, maiorque conſcientijs timor inijciatur, ad retinendam Chriſtianæ religionis puritatẽ, & vnitatẽ, ob quam etiam cauſam nõ renouatur quocunque tempore, ſed in die Cænæ Domini, in qua tot à Chriſto Domino recepimus beneficia, & eius myſteria, & ſacramenta ſingulis annis repræſentantur. Ex quo etiam ſatis habetur firma, & conſtans voluntas Pontificis, quod illius bulla duret vſque ad eius renouationem, etiam ſi alia ratione ex verbis bullæ non declararetur. Nec etiã obſtat quod per ſubſequentem bullam ceſſat præcedens, & quod bulla interdum augetur, & minuitur, nam bulla præcedens non ideo ceſſat quaſi vim ſuã amiſerit, ſed quia in ſubſequente repetitur, & renouatur, & quo ad communiter compræhenſa non minuitur, licet aliquando aliqua addantur, & poſtea etiam tollantur pro vt temporis, ac rei ratione, Põtifici expedire videtur, nec ob id deſinit eſſe à iure, nã etiam canones a Pontifice augentur & mutantur. Concludamus igitur quod ſicut Doctores aſſerentes excommunicationes bullæ Cænæ Domini eſſe ab homine, & ſpirare cum vita Pontificis, quando ſunt per modum præcepti, manifeſte decipiuntur, ita etiam decipiuntur in excommunicationibus ab ordinarijs pro confirmatione ſuorum præceptorum latis, quando præcepta

ſunt

ſunt talia,& taliter facta, vt ęquiualeant legi, falſum enim eſt (vt diximus) quòd omne præceptum terminetur cum vita præcipientis.

An ligent excommunicationes, & ſuſpenſiones, quæ non fuerunt receptæ, vel quæ non ſunt amplius in vſu, & quomodo cognoſcantur. Cap. IX.

AGendum nunc eſt de illis cenſuris Eccleſiaſticis, quæ nō fuerunt receptæ, vel non ſunt amplius in caſu, de quibus duo uidenda ſunt. Primum an ligent, ſecundum, quæ ſint iſtæ, & quomodo cognoſcantur. Quoad primum notandum eſt, quod ſicut aliquando aliqua lex Principis non recipitur á ſubditis, & recepta per contrariam conſuetudinem tollitur, ita etiam, & cenſuræ Eccleſiaſticæ, de quibus tamen maior videtur difficultas, quam de lege ciuili, & ratio difficultatis eſt, quia Princeps ſecularis, ita eſt à Deo, vt ſit factus mediante Populo, & ſicut factus eſt à Populo, ita etiā à Populo habet ſuam auctoritatem, maiorem, uel minorem, quam etiam ab eo iuſta cauſa exiſtente, aufferre, & in alium transferre poteſt, vnde non videtur inconueniens, quod Populus aliquando non recipiat aliquam eius legem, & receptam per contrariam conſuetudinem tollat. At Papa eſt inſtitutus à Chriſto Domino, à quo ſuam habuit auctoritatem, vt eius Vicarius, quam nec populus, nec tota Eccleſia, poteſt ab eo tollere, & licèt aliquas leges faciat, etiam vt eſt Princeps temporalis (quod ei etiam conuenit, vt eſt Vicarius Chriſti, qui eſt Rex Regum, & Dominus dominantium) multas tamē facit, vt Princeps ſpiritualis, & Chriſti Vicarius per clauium auctoritatem, quam certum eſt non habere niſi à Chriſto, & virtute huius auctoritatis, & clauium, excommunicat, ſuſpendit, & interdicit, ergo illius cenſuræ non infirmantur per hoc quod non recipiuntur, vel receptæ, non amplius obſeruantur. Et confirmatur primo, quia aliàs ſequeretur, quòd iſtæ cenſurę dependerent á ſubditorum arbitrio, quod nullo modo eſt dicendum. Confirmatur ſecundo. Quia populi conſuetudo habet vim legis, & ob id non eſt mirum ſi aliqua conſuetudo legi contraria, illam tollit, at nulla populi conſuetudine introduci poteſt aliqua excommunicatio, quæ non ſit ab Eccleſiaſtica poteſtate, vi clauium, ergo nulla etiam populi conſuetudine poteſt tolli aliqua excommunicatio, quia eius eſt tollere, cuius eſt condere.

Ratio difficultatis.

His tamen non obſtantibus dicimus Eccleſiaſticas cenſuras, & Solutio.

Pon-

Pontificum bullas aliquando non recipi, & receptas per contrarium vſum tolli, ſicut & Principum leges. Pro quo ſic diſtinguendum eſt cum Turre Cremata, quando lex Principis, ſeu bulla Papæ non recipitur, vel Princeps contradicit non recipientibus, vel non contradicit, ſi contradicit, & ad illius obſeruantiam cōpellit, contraria conſuetudo non poteſt legem tollere, & abrogare. Si non contradicit illam non recipientibus, tunc conſiderāda eſt lex, nam ſi lex illa eſt conſona iuri diuino, nulla conſuetudine poteſt tolli, imo diuturna conſuetudo contra ius diuinum potius auget, quam minuat peccatum. Sed eſt hic notandum, quod ſi illa lex aliquid addit ultra ius diuinum, puta aliquam certam pœnam non obſeruantibus, tunc contraria conſuetudo non tollit quidem legem, ſed tollit pœnam, quia eſt poſitiua, ad quod facit cap. 2. de conſt. in 6. vbi ſententia excommunicationis Epiſcopi ſtatuto lata contra furtum facientes, non ligat extra territorium exiſtentes. Si autem illa lex non continet ius diuinum, ſed eſt poſitiua, tunc videndum eſt an illa lex, ſeu bulla fuerit ab omnibus ſubditis ſuſcepta, vel non, ſi à nullo fuit ſuſcepta, neminem ligat, Papa tolerante, diſt. 4. cap. in iſtis. At ſi ab aliquibus fuit ſuſcepta, & ab aliquibus non, hoc caſu eſt inter Doctores differentia. Tur. Cre. inquit, quòd ſi tolerantia Papæ eſt expręſſa, & ex certa ſcientia, quoad non obſeruantes, & maxime expręſſa cauſa, habet vim diſpenſationis, vt eſt caſus, & tenent Doctores in cap. quia circa, extra de conſang. & affin. & tales nón obſeruantes non peccant. Si autem Papa ſolum ſuſtinet, nec aliquid ſuper illo diſponit, tunc talis tolerantia non excuſat peccatum, nec diſpenſationem inducit, vt eſt caſus, extra de Præb. cap. cum iam dudum. Sed melius eſt, vt cum Abbate, & Syluestro ſic diſtinguamus. recipientes, & ſeruantes legem, aut ſunt plures, aut ſunt pauciores, ſi ſunt plures, pauciores illam non obſeruantes, non excuſantur niſi diſpenſentur, & ſuperioris tolerantia dum nō punit, non eſt diſpenſatio, nec permiſſio d. cap. cum iam dudum, Si autem recipientes, & obſeruantes ſunt pauciores, tunc non obſeruantes excuſantur per contrariam conſuetudinem, diſt. 4. ca. in iſtis, Quod ſi lex à principio fuit recepta ab omnibus, ſed poſtea proceſſu temporis non obſeruatur, Si ideo non obſeruatur, qnia non occurrit caſus, non eſt abrogata, at ſi non obſeruatur, quia fit contra illius legis diſpoſitionem, tunc quantum ad illos qui ceperunt non obſeruare, nón tollitur, ſed illaqueat ad peccatum, quantum ad illos verò, qui poſtea veniunt, diſtinguendum eſt ſicut, & de receptione, nam ſi obſeruatur à pluribus, paucio-

Tur. Cre. d. 4. in ca. in iſtis §. ſicut. n.

Dubium.

Abb. de Pręb. in c. cum iam dudum. Sylu. V. lex. §. 6.

res non obſeruantes peccant,ſi autem à pluribus nõ obſeruatur, licèt obſeruetur ab aliquibus, contraria conſuetudine cenſetur ſublata,loquimur autem de rationabili conſuetudine, & legittimè præſcripta, de quo videatur Gloſſa in cap. fin. extra de conſuet.& ibidem Abbas.

Ad id autem, quòd in contrarium fuit obiectum. Reſpondetur,quòd licèt Papa auctoritate ſibi diuinitus conceſſa, canones condat, Bullas faciat,& vi clauium excommunicet, nihilominus iſta aliquando tolluntur,& non obligant, per hoc quod non recipiuntur,vel rationabili conſuetudine legittime præſcripta abrogantur, & hoc non fit quaſi eius auctoritas, vel ea quæ facit, dependeant à ſubditorum arbitrio, ſed quia ſic ipſe generaliter inſtituit, vt.ſ.conſuetudo rationabilis legittimè præſcripta tollat ius poſitiuum,extra cap.fin.de conſuet.& quando caſus occurrit ſaltem virtualiter conſentit,dum ſcit,& non contradicit,vt diximus. Et meritò,nam leges,quæ iuri naturali, & diuino ſunt cõformes, nulla conſuetudine,vt diximus tolli poſſunt, & contraria conſuetudo eſt irrationabilis,& non excuſat,aliæ autem, quæ reſpiciunt particulares hominum conditiones, & mores, non ſunt ita firmæ cum hominum mores mutentur, & quo ad iſtas non habet Pontifex infallibilem Spiritus ſancti aſſiſtentiam,vt errare non poſſit,ſicut habet quo ad alias,& ea, quæ ſunt fidei, ſed relinquit Spiritus ſanctus, vt poteſtate ei diuinitus tradita, humano ſtudio,& diligentia adhibita vtatur, vnde cum non poſſit, vt homo omnia cognoſcere,& præuidere, ſicut ipſe met ob hanc cauſam leges ſuas reuocat,& cenſuras relaxat,ita etiam aliquando, ſaltem virtualiter,aſſentit cum non recipiuntur,& permittit, quod receptæ,contraria conſuetudine tollantur.

Argumentu ſolutio.

Quoad ſecũdam partem quæſtionis de modo quo cognoſcantur excommunicationes,quę non fuerunt receptæ, vel non ſunt amplius in vſu,cum abſolutio ſit ſecreta, & præſumi poſſit illam ſemper quæri. Dicimus in excommunicationibus nemini reſeruatis,hoc non ita facilè poſſe cognoſci, cum ab illis proprius Sacerdos, vt dicemus poſſit abſoluere, Sed quoad iſtas nihilominus videndum eſt, an paſſim fiat id pro quo lata eſt excommunicatio, & an qui contraueniunt exiſtiment ſe eſſe excommunicatos,& ſi celebrant,credant ſe irregulares,idq; non ex cõtemptu, nec ex lata conſcientia,ſed quia tenent cenſuram illam non eſſe in uſu. Quoad reſeruatas etiam, videndum eſt ſi ſunt multi qui faciunt id,quod ſub pœna talis excommunicationis prohibetur, & ſi accedunt pro abſolutione ad Epiſcopum, vel ad Papam, nam

Quomodo cognoſcantur.

ſi non

ſi non accedunt, & nihilominus ingerunt ſe diuinis, ac ſi non eſſent excommunicati, & ſunt viri aliàs probi, qui non creduntur immemores proprię ſalutis, ſignum eſt illas excommunicationes, non fuiſſe receptas, vel non eſſe amplius in vſu, per tacitum etiam Papæ, & Ordinariorum conſenſum, cum paſſim conſtet de trangreſſione, & Ordinarij non prouideant, vt quæratur abſolutio, tam ab ipſis, quam à Papa, cuius ſunt oculi, & non procedant contra celebrantes ſine tali abſolutione, tanquam etiam contra irregulares. Et vt demus aliquod exemplum, excommunicantur per extrauag. Ambitioſæ Paulij ij. alienantes ultra triennium bona Eccleſiæ, & ſic alienata recipientes, quę decretalis non eſt recepta, & in aliquibus locis eſt recepta ſolum quantum ad nullitatem contractus, ſed non quantum ad cenſuras, vt dicunt Sylu. Caiet. & Nau. & patet, quia paſſim vbiq; fiũt locationes vltra triennium, & pauci ſunt, qui requirant beneplacitum Apoſtolicum, & qui requirunt potius ad validitatem contractus requirũt, quam ratione cenſurarum, & nihilominus alienantes ſine beneplacito Apoſtolico, ingerunt ſe diuinis, & celebrant; nec vllam vnquam petunt abſolutionem, aut diſpenſationem ab huiuſmodi excommunicatione, & irregularitate, ac ſi nulla eſſet de hoc cenſura, idq; publicè ſcitur, cum autem tolerentur, & ipſi quoque nõ cenſeantur immemores propriæ ſalutis, manifeſtum eſt cenſuras illas non fuiſſe receptas, vel ſaltem non eſſe amplius in vſu. Clerici etiam publici concubinarij, & fornicarij, ſunt ipſo iure ſuſpenſi, & ſi ante peractam pœnitentiam, proprios ordines exercent, efficiuntur irregulares, à qua irregularitate, ſecundum Archid. & Tur. Crem. in cap. Præter diſt. 31. ſolus Papa diſpenſat. & tamen Bartholomeus Medina dicit hanc ſuſpenſionem nõ eſſe amplius in vſu, & ita videtur: nam fere vbiq; ſunt multi clerici publici fornicarij, & etiam concubinarij, qui domi concubinas etiam contra præceptum eis particulariter factum retinentes, celebrant, & vtinam non eſſent, qui tamen poſt peractam pœnitentiam, proprios Ordines exercent; nec vllam quærunt à Summo Pontifice diſpenſationem ab irregularitate, nec ad id à ſuis Ordinarijs compellũtur; & licèt aliqui illam quærant, ſunt tamen pauci, & plures ſunt qui non quærunt, vbi notandum eſt, quod ſi hoc eſt verum de clerico concubinario (nam ad quæſtionem facti non reſpondet iuriſconſultus) per hoc ſolum probatur, quod non eſt amplius in vſu ſuſpenſio ipſo iure ab eis incurrenda, & conſequenter celebrantes non efficiuntur irregulares ob contemptum Eccleſiaſticæ cenſurę, quæ eſt reſeruata Papę, ſunt tamen nihilominus irregula-

Sylu. V. alienatio §. 15. Caiet. V. excommunicatio c. 75. Nau. c. 27 n. 150.

Bart. Medina lib. 1. inſtruct. Confeſſ. c. 11.

gulares ob delicti notorietatem, à qua poteſt diſpenſare Epiſcopus, vt inferius ſuo loco dicemus.

Nec obſtat prædictis, quod ſemper aliqui accedunt ad Romanam Curiam pro abſolutione, vel diſpenſatione, & illis datur, nã attendendum eſt ad id, quod vt plurimum fit, factum enim paucorum non præiudicat conſuetudini ſcitæ, & rationabiliter toleratæ, idq; eo magis, quia Romana ſedes, vt pia mater, neminem ad ſe accedentem pro animæ ſalute reijcit, omnibus reſpondet, etiam dubitantibus ubi nullum eſt dubium, abſoluit, & diſpenſat in his, quæ certum eſt Ordinarium poſſe, & concedit ea, quæ sũt de iure communi, compatiens infirmitati ſcrupuloſorum, ut ſic illos quietos reddat. Solutionis obiectio.

Non poſſunt autem hac ratione ſe excuſare imponentes noua pedagia, ſeu gabellas, & prohibita exigentes, quia contra Eccleſiæ prohibitionem multi Principes ſæpe noua imponunt, & impoſita augent, & vbique Principum Miniſtri quotidie illa exigunt, & à Religioſis, & Clericis exemptis gabellas extorquent, & nihilominus abſoluuntur, & temporibus debitis communicant, imo tanquam deuoti Sacramenta frequentant, tum quia non abſoluuntur ab omnibus, ſed ipſi ſimiles quærunt, qui illos abſoluant, tum etiam, quia agunt contra Bullam Cœnæ Domini, quæ cum ſingulis annis renouetur, nunquam poſſunt excommunicationes illæ cenſeri ſublatę, nam non receptio excommunicationis, vel contrarius vſus, eatenus excuſant, quatenus ſaltem virtualiter à ſummo Pontifice approbantur, quòd nullo modo poteſt dici de illis excommunicationibus, cum ſingulis annis renouentur, qui igitur illos abſoluunt, malè abſoluunt, & cum ipſis in foueam cadent, tamquam cæci, ambitioſi, & auari, cæcorum, & auarorum duces. De Bullæ cœnæ.

An ſit ſeruanda illa excommunicatio, vel ſuſpenſio, in quam quis incidit ob delictum omnino occultum, ſi per eius obſeruationem ille ſe prodit, cum infamiæ, & vitæ periculo, & an ſic celebrans efficiatur irregularis, & an teneatur priuſquam celebret confiteri. Cap. X.

Dubium hoc loco occurrit an ſit ſeruanda illa excommunicatio cum famæ, & vitę periculo in quam quis incidit ob delictum omnino occultum, & certum eſt hanc ex-

com-

communicationem ſeruandam eſſe, quoad illa in quibus nullum eſt periculum,& dubium ſolum eſt de illo caſu,quo ſine euidenti famæ,& uitę periculo ſeruari non poteſt, & talis fingatur caſus, in Religioſorum conuentu, vnus fuit occiſus, & nullum prorſus contra aliquem particularem poteſt eſſe indicium, ille qui occidit eſt Sacerdos, & ſolitus ferè quotidie celebrare, ſi commiſſo homicidio non celebrat,eſt ſatis euidens indicium, quod ob illã cauſam non celebrat,tanquam excommunicatus, & irregularis, & ita capietur,& tormentis exponetur, vt confiteatur, ſi autem celebrat,facit contra Eccleſiæ prohibitionem,& ex noua cauſa efficirur irregularis,quid ergo illi faciendum eſt? nam vndiq; anguſtiæ.

Bart. med. lib. 1. inſtruct. Cõfeſſ. ca. 11. de excom §. 5.

Bartholomeus Medina tenet, quòd non debet celebrare, idq; probat. Primo, quia ſic daretur occaſio cuilibet occulto excommunicato celebrandi,quilibet enim diceret ſe celebrare ne infametur, & ſic diu etiam in excommunicatione perſeuerarent. 2. quia ſunt quædam leges pœnales quibus aliqui inhabiles redduntur ad ſua officia exercenda, nec excuſantur quocumq; metu, etiam cadenre in virum conſtantem, & dat duo exempla. primũ,quia lex eccleſiaſtica prohibet ne quis conſanguineã ſuam ſine diſpenſatione in vxorem ducat, & nullus debet etiam ad euitandam mortem,quæ illi minatur, cum aliqua in gradu ab Eccleſia prohibiro,ſine diſpenſatione matrimonio cõiungi 2. quia Eccleſia Sacerdotem excommunicatum ad celebrandum inhabilem reddit, & ſi quis Sacerdoti excommunicato minetur mortem niſi celebret,nullo modo poteſt celebrare, ſed potius debet pati morrem: ex quibus infert in caſu propoſito,quod Sacerdos ille,non debet celebrare;idq;eo magis,quia celebrare non debet ordinari ad euitandam morrem, vel infamiam,& non celebrare non eſt ſufficiens indicium ſe prodendi,cum alias poſſit aſſignare cauſas ob quas non celebrat.

Solutio.

Nauarr. in Man. c. 27. nu. 239.

Sed dicimus cum Nauarro, quòd in tali caſu Sacerdos poteſt celebrare,& Monialis poteſt cõmunicare,& intereſſe choro, hęc ante abſolutionem ab excommunicatione reſeruata, ille etiã ante diſpenſationem ab irregularitate. Et rario eſt, quia quando duæ leges contrariæ in aliquo caſu concurrunt, in quo alterius obſeruatio eſt omittenda,tunc quę maior eſt, deber anteferri minori, & hæc illi cedere, & hoc non ſolum quando concurrit lex Eccleſiaſtica,cum lege diuina,ſed etiam quando cõcurrit lex diuina poſitiua,cum lege diuina naturali, ut ſuperius libro 2. in eo cap. in quo tractauimus an ad communicandum in mortis articulo

culo exiſtentem, liceat non ieiuno celebrare, diximus, & exemplis oſtendimus. Sed quòd excommunicatus, ſuſpenſus, & irregularis, non celebret eſt de iure Eccleſiaſtico, vel de iure diuino poſitiuo, at quòd quis famam, & vitam ſuam conſeruet, eſt de iure diuino naturali, quod eſt fortius, ergo quando excommunicatus nō poteſt euitare maximam infamiam, vel periculum mortis ratione occultiſſimi delicti, niſi celebret, poteſt celebrare, iure naturali id ei concedente, cui cedit ius poſitiuum.

Ad id autem, quod primo obijcit Medina, Reſpōdetur, quod eadem ratione, non poſſet dici in aliquibus caſibus, vigore iuris naturalis, licere pœnitenti omittere in confeſſione aliquod peccatum, vel aliquam circunſtantiam neceſſariam, quia aliqui poſſent id extendere, & propterea facilè dimidiare confeſſionem. Nec quod in articulo mortis nullum peccatum, & nulla cenſura eſt reſeruata, ſed ab omnibus quilibet Sacerdos poteſt abſoluere, quia poſſet quis inde ſumere occaſionem perſeuerandi in peccato, & in excommunicationis contemptu vſque ad articulum mortis. Cum ergo dicitur aliquem in aliquo caſu excuſari, ſi non eſt verus caſus, non excuſatur, & non decipit Deum, nec Sacerdotem, ſed ſeipſum, & propter iſtos relaxatæ conſcientiæ, non ſunt alij timoratæ conſcientiæ veritate defraudandi. Solutio argumentorum Medinæ.

Ad id, quod ſecundo obijcit, dicitur primo non eſſe eādem rationem, nam illa ratio, & eius exempla procedunt quando quis metu mortis ab alio inducitur, vt agat contra legem, in caſu autem noſtro, non inducitur quis ab alio, vt agat contra legem, ſed quis, vt euitet periculum mortis, quod eſt à lege, ne publicet peccatum ſuum, quod tanquam occultiſſimum non poteſt ſecundū legem puniri, non obſeruat legem, quia credit ſe ad illam in tali caſu non obligari; in prioribus caſibus, poteſt eſſe ſcandalum, in hoc tanquam occultiſſimo, nullum poteſt eſſe particulare ſcandalum de aliqua certa perſona, in prioribus caſibus metus tanquā extrinſecus poteſt eſſe inductus in contemptum legis, non autē in hoc caſu, cum non ſit extrinſecus, ſed occultiſſimus, eſt ergo maxima differentia. Dicitur ſecundo, quòd ab eo, quod natura ſua eſt peccatum nullus metus excuſat, quia potius debet quis mortem pati quam peccare, ſed ab obſeruatione legis, aliquādo quis excuſatur à peccato ſaltem mortali, propter metum cadentem in virum conſtantem, quia in tali caſu non obligat, & hoc etiam aliquando eſt verum de lege diuina poſitiua, non tamē per commiſſionem, ſed per omiſſionem, vt ſi cui ad ſuſcipiendum baptiſmum, vel ad confitendum peccata cum periculo mortis tranſeun- Ad ſecundum. Metus quādo excuſet.

ſeundum ſit flumen, vel per medios hoſtes, poteſt differre, & interim ei ſufficit baptiſmus flaminis, & contritio, cum qua ſi moritur ſaluus erit. Sed quo ad leges Eccleſiaſticas, metus cadens in virum conſtantem, excuſat non ſolum quoad ommiſſionem, ſed etiam quoad commiſſionem, quia Eccleſia non intendit obligare ad ſuas leges, quæ non ſunt de re, quæ natura ſua ſit peccatum, cum tanto periculo, niſi ille metus incuteretur in legis, & eccleſiaſticæ poteſtatis contemptũ, nam tunc obligaret ius diuinum, & ſic intelligitur. cap. Sacris extra de his, quæ vi, metuſue cauſa fiunt, vt dicemus inferius cap. 14. ſi ergo citra talem contemptum detur optio Sacerdoti excommunicato, vt eligat vel celebrare, vel mori, poterit celebrare, & poteſt dari caſus, in quo quis cogatur non in contemptum eccleſiaſticæ cenſuræ, ſed quia ſic cogens vult audire Miſſam, ne ſua deuotione priuetur, nam ſicut ſunt aliqui impij, qui videntes in aliorum oculis feſtucam, pro Dei honore contra ipſos, ita zelant, vt in horrendas blaſphemias prorumpant, ita etiam poſſet reperiri aliquis, qui cum non habeat copiam alterius Sacerdoris, ex deuotione (falſa tamen) audiendi Miſſam, illum ſic cogat, qui á Propheta, & Dei inimici, & zelatores honoris eius appellantur, cum dicit, Vt deſtruas inimicum, & ultorem.

Ad obiectionẽ de Matrimonio. Sed maior difficultas eſt de priori exemplo Medinæ, an propter talem metum debeat conttahere cum conſanguinea, & conſumare matrimonium, & dicimus quod non debet, non ratione legis Eccleſiaſticæ, quaſi obliget cum tanto periculo, ſed ratione legis naturalis, & diuinæ, non enim eſt eadem ratio iſtius Eccleſiæ prohibitionis, & aliarum eiuſdem Eccleſiæ, nam Sacramenta habent ſuas partes eſſentiales á Chriſto Domino inſtitutas, & Eccleſia illas immutare non poteſt, tanquam de iure diuino; Sed quicquid circa Sacramenta præcipit, eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, ſed non neceſsitate Sacramenti, Circa Sacramentum tamen Matrimonij pro eius communi bono, habet á Chriſto peculiarem auctoritatem ſuper eius partes eſſentiales, quia poteſt perſonas ad contrahendum inhabiles reddere, & eorum conſenſum vanum efficere, & inhabiles, habilitare. Cum ergo iſta prohibitio, & inhabilitatio attingat ipſas partes eſſentiales matrimonij, & matrimonium aliter contractum nullum reddat, iſta prohibitio licèt ſit ab Eccleſia, non eſt pure Eccleſiaſtica, ſed diuina, nam iure diuino illi ſunt ad contrahendum habiles. quos Eccleſia habiles eſſe declarat, quare matrimonium inter perſonas inhabiles contractum, non eſt matrimonium, ſed concubinatus, vnde conſentire

ſentire in matrimonium contra illam Eccleſiæ prohibitionem, qua perſonæ inhabiles redduntur, eſt conſentire in fornicationem,& concubinatum, quod eſt contra ius naturale,& nullus metus excuſat, nec propter metum etiam cadentem in virum conſtantem ceſſat illa prohibitio Eccleſiæ, quia illa ſtante matrimonium contra illam contractum iure diuino eſt nullum,& copula eſt fornicaria, vel inceſtuoſa, aut ſacrilega.

Sed duo hoc loco occurrunt dubia. Primum eſt an ſic celebrãs incurrat irregularitatem, iam ratione homicidij eſt irregularis, ſed demus, quod celebrauerit ne infametur, & ne periclitetur propter aliud crimen, ratione cuius ſit excommunicatus, ſed nõ irregularis. Et reſpondeo, quod non efficitur irregularis, nam licèt irregularitas aliquando contrahatur ſine peccato, tamen quando ponitur in pœnam peccati, ratio excuſans à culpa, excuſat etiam à pœna, quia ablata cauſa aufertur effectus, at excommunicatus celebrans efficitur irregularis, propter contemptum cenſuræ Eccleſiaſticæ, vnde ſi celebrat probabiliter ignorans ſe eſſe excommunicatum, non eſt irregularis extra de cler. exco. ca. Apoſtolicam,& ibidem Gloſſa, ſed in caſu noſtro, prohibitio Eccleſiaſtica, cui ratione contemptus appoſita eſt pœna irregularitatis, ceſſat vigore legis naturalis, durante tali caſu, ergo ceſſat etiam pœna contemptui Eccleſiaſticæ cenſuræ appoſita, cum nullus hic ſit illiùs contemptus. Dubium de irregularitate.

Alterum dubium eſt an celebranti in tali caſu ſufficiat contritio, vel debeat etiam confiteri,& ratio dubij eſt, quia eſt excommunicatus excommunicatione Papæ reſeruata, & non poteſt abſolui à peccatis, niſi priùs fuerit abſolutus ab excommunicatione, & ſi dicatur quòd in hoc caſu poterit abſolui ab illa excommunicatione cum onere ſe præſentandi Sedi Apoſtolicæ, vel ab ea petendi abſolutionem, ſeu pœnitentiam, ſicut & in aliquibus caſibus poſſunt Ordinarij abſoluere, vt dicemus inferius. cap. 22. ponamus, quòd attenta qualitate Confeſſoris, propter vitæ periculum non ſit illi confitendum peccatum illud ob quod incidit in excommunicationem, nec ſit copia alterius confeſſoris. Ad quod reſpondetur illum prius debere confiteri alia peccata, illo omiſſo, ſi confeſſor reſpectu illius non eſt idoneus, & illa abſolutio à peccatis ſine abſolutione ab excommunicatione valebit. Nam ſicut de iure diuino poſitiuo confeſſio dimidiata nõ tenet, tamen ſi ſcienter omittitur aliquod peccatum vigore iuris diuini naturalis, confeſſio tenet, vt ſuo loco dicemus, ita etiam licèt abſolutio à peccatis data excommunicato de iure non teneat, Dubium de confeſſione. Solutio. Caſus in quo excómunicatus poteſt abſolui à peccatis.

quia illius reſpectu eſt impedita, ſeu ſuſpenſa iuriſdictio, tamen quia ius diuinum habilitat hunc excommunicatum ad celebrandum, & ad communicandum in caſu tantum neceſſitatis, pro famæ, & vitæ ſuæ conſeruatione, & iure diuino antequam quis accedat ad tantum Sacramentum, debet ſemetipſum probare, quæ probatio maximè fit per confeſſionem peccati mortalis, illum etiam habilitat ad confeſſionem peccatorum, reſpectu quorum dat iuriſdictionem, nam qui dat conſequens, dat etiā antecedēs. Et tenetur confiteri, etiam ſi alia peccata non eſſent niſi venialia; nam licet nullus teneatur confiteri venialia, tamen quia ratione illius peccati mortalis amiſit gratiam, & ad celebrandum requiritur gratia, & fortè non eſt contritus, vt credit, ſed ſolum attritus, propterea, vt ui Sacramenti efficiatur contritus, & conſequatur gratiam, in hoc caſu tenebitur aſſumere pro materia confeſſionis aliqua uenialia. Nec poteſt ob eādem rationem dici, quòd in tali caſu ceſſet excommunicatio, quia quando duo iura concurrunt in aliquò caſu, ius inferius cedit maiori, in illo tantum caſu in quo ei contrariatur, & in reliquis manet in ſuo robore, ſicut cum ius naturale propter aliquod particulare peccatum attenta qualitate confeſſoris, contrariatur iuri diuino poſitiuo de integritate confeſſionis, ſeu potius illud declarat, non tollit abſolutè obligationem confitendi, ſed tollit ſolum obligationem confitendi illud peccatum, quoad vſque occurrat alius idoneus confeſſor reſpectu illius peccati; in tali ergo caſu remanet excommunicatio in ſe, & quo ad alios effectus nō neceſſarios pro famæ, & vitæ conſeruatione, & ius naturale ſolum concedit actus neceſſarios, qualis eſt in caſu noſtro celebrare, & actus ad hos antecedentes qualis eſt, quod confiteatur cætera peccata, & ab illis abſoluatur, ſed non propterea ſimpliciter tollit excommunicationem, aut obligationem confitendi.

Caſus in quo neceſſe eſt confiteri venialia.

De vera diſpoſitione Capituli ad euitandum, de euitandis excommunicatis. Cap. XI.

PRo ſequentium difficultatum ſolutione præmittēdum eſt Capitulum. Ad euitandum, de euitandis excommunicatis, de quo duo ſunt dubia, Primum, quid in illo diſponatur. 2. cuius ſit, vt ſciatur quantæ ſit auctoritatis. Iſtud Capitulum non eodem modo ab omnibus refertur. Fely. & S. Ant. ſic illud ex Concilio Conſtantienſi, & Baſilienſi ante ſciſſuram referunt. *Ad euitandum ſcandalum, & multa pericula, quæ conſcientijs timoratis contingere poſſunt, Chriſti fidelibus tenore præſentium*

Fely. in c. Rodulphus de reſcript. S. Ant. 3. p. tit. 24. c. 3.

ſentium miſericorditer indulgemus, quod nemo deinceps à Communione alicuius, Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcunque diuinis, intus & extra, prætextu cuiuſcunq; ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſeruare, niſi ſententia, vel cenſura huiuſmodi fuerit lata contra perſonam, collegium, vniuerſitatem, Eccleſiæ communitatem, vel locum certum, vel certam, à iudice publicata, vel denunciata ſpecialiter, & expræſſa, non obſtantibus quibuſcumque, ſaluo ſi quem pro ſacrilega manuum iniectione in clericum ſententiam latam à canone, adeo notorie conſtiterit incidiſſe, quod factum non poſſit aliqua tergiuerſatione celari, nec aliquo ſuffragio excuſari, nam à Communione illius, licèt denunciatus non fuerit volumus abſtineri, iuxta canonicas ſanctiones.

At in ipſo Concilio Baſilienſi ſeſſ. 20. ſic habetur. *Ad euitandum ſcandala, & multa pericula, ſubueniendumque conſcientiis timoratis, ſtatuit etiam, quod nemo deinceps à communione alicuius, in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcunque diuinis, vel extra, prætextu cuiuſcumque ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſeu ſuſpenſionis, aut probibitionis, ab homine, vel à iure generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum eccleſiaſticum obſeruare, niſi ſententia, probibitio, ſuſpenſio, vel cenſura huiuſmodi fuerit in, vel contra perſonam, collegium, vniuerſitatem, Eccleſiam, aut locum certum, aut certam, à iudice publicata, vel denunciata ſpecialiter, & expræſſe, aut ſi aliquem ita notorie excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, quod nulla poſsit tergiuerſatione celari, aut aliquo modo iuris ſuffragio excuſari, nam à communione illius abſtineri vult, iuxta Canonicas ſanctiones. Per hoc tamen huiuſmodi excommunicatos ſuſpenſos interdictos, ſeu probibitos, non intendit in aliquo releuare, nec eis quomodolibet ſuffragari.* Sic etiam conſtitutio iſta tanquam Baſilienſis Concilij ad verbum refertur in Conc. Magutinenſi cap. 104. & Niccol. auctor ſupplementi, ſic etiam illam refert, & dicit ſe illam habuiſſe ab illomet Cardinali, qui Concilio Baſilienſi præfuit, & ex eius libro tranſcripſiſſe, & Eugenium quartum illam approbaſſe. Nauarrus quoque ſic illam refert, & dicit fuiſſe editã à Martino. V. & à Concilio Baſilienſi renouatam, & in Concilio Bituricenſi acceptatam in pragmatica ſanct. Gallic. titu. de excommu. non vit. dicit etiam renouatam fuiſſe à Concilio Lateranenſi ſub Leone x. ſeſſ. 11. & in Concordatis inter eum, & Franciſcum primum, & conſequenter dicit à Felyno, & à S. Ant. malè relatam fuiſſe. Et ita tenendum eſt.

Sup. V. clericus 3. §. vlt.

Nau. c. 27. nu. 35.

Leo. x. in extrau. In eminẽti Apoſtolatus.

Vt autem rudioribus ſatisfaciamus, differentia, & difficultas

conſiſtit in hoc, quia iuxta primum intellectum dicti Capituli, vitandi ſunt ſolum nominatim excommunicati, & notorij percuſſores clericorum, alios autem excommunicatos euitare non tenemur, quamuis ſint notorij. At iuxta poſteriorem intellectum, ſunt euitandi non ſolum nominatim excommunicati, ſed etiam generaliter omnes notoriè excommunicati, quacumque de cauſa, & quomodocumque ſint maiori excommunicatione notoriè innodati, & dicimus iſtos omnes eſſe euitandos, tum quia fuit diſpoſitio, & determinatio illius Capituli, tum etiam quia ſic ſtatutum, & determinatum fuit, à Concilijs, & Pontificibus ſuperuenientibus.

An ſint firma ea, quæ fiunt ab excommunicatis. *Cap. XII.*

OMnes actus humani ad tria capita reduci poſſunt, quidam enim conueniunt homini quatenus homo eſt, ſiue ſit ſeruus, ſiue ſit liber, qui iuri naturali gentium, & ciuili nituntur; & excommunicatus quacumque excõmunicatione, etiam nominatim, in his cum alijs communicans, licèt peccet, facta tamen tenent, vt ſi emat, vendat, donet &c. niſi fortè ratione infamiæ aliqua anuullentur, vt accuſare, teſtificari, nam excommunicatione non deſinit quis eſſe homo, ſed efficitur infamis ſi ſit notoria. Quidam ei conueniunt ratione alicuius iuriſdictionis, aut publici officij, ob publicam vtilitatem, ſiue eccleſiaſtici, ſiue ciuilis, ſiue politici, & de iſtis quæ iuriſdictionẽ, & publicum officium reſpiciunt, diſtinguendum eſt, nam dupliciter poſſunt conſiderari. primo, vt tribuunt iuriſdictionem, & officium, ſicut electio, & collatio. 2. vt procedunt à iuriſdictione, & officio, vt iudicare, eligere, dominari, procurare, beneficia conferre, Sacramentum pœnitentiæ adminiſtrare, & huiuſmodi. Qua diſtinctione ſuppoſita, dicimus primo, quòd ea quæ procedunt à iuriſdictione, ſeu publico officio ante excommunicationẽ habito, quatenus non ſunt in fauorem ipſius excommunicati, tenent, & non annullantur niſi duplici excommunicatione, illa ſcilicet, quæ eſt contra certam perſonam, vel vniuerſitatem ſpecialiter, & expræſsè publicata, vel denunciata, & excommunicatione adeo notoriè incurſa, vt nullo modo occultari, vel per aliquod iuris remedium excuſari poſſit, hac duplici ſolum excommunicatione, tollitur, ſeu ſuſpenditur omnis iuriſdictio, & omne publicum officium, & infirmantur omnes actus iuriſdictionem,

ſeu officium reſpicientes; quod etiam intelligendum eſt iuxta Abbatem, dummodo ille ſic habeatur excõmunicatus in illo loco vbi iuriſdictionem exercet, ſi.n.ibi nõ eſt notoria eius excommunicatio, licèt alibi ſit notoria, donec illic quoque efficiatur notoria, per eum geſta tenent, quod intellige de excommunicatione in curſa poſt habitum officium, vt ſi alio ſe contuliſſet, & poſtea reuerteretur, nam ſi ante officium eſſet incurſa, omnia poſſunt reuocari tanquam nulliter geſta, cum electio, ſeu collatio fuerit nulla, & hoc fauore iuris publici, & publicæ vtilitatis, & nõ excommunicatorum, vt patet ex cap. ad euitandum in capitulo præcedenti citato. Dicimus 2. quod omnes illi actus, qui excommunicato tribuunt iuriſdictionem, officium, aut beneficiũ, annullantur quacumq; excommunicatione maiori, & quantumcumq; occulta, vnde qui eliguntur, & ad quodcumq; officium, etiam ſeculare eligantur, qui procuratores, curatores, tutores, arbitri conſtituuntur, qui ſacramentaliter abſoluuntur, & qui beneficium eccleſiaſticum conſequuntur, ſi ſunt excommunicati, etiam occulti, electio, conſtitutio, & collatio, non tenent. ſunt enim excommunicati, ſuſpenſi ab omni officio, & actu publico, etiam in ciuilibus cap. pia de excep. in 6. & per d. cap. ad euitandum in nullo releuantur, ſed quod ibi conceditur eſt in fauorem illorum, qui non ſunt excommunicati, & non ipſorum excommunicatorum; & ſi eligantur ad Eccleſiaſticam dignitatem, vel eis conferatur eccleſiaſticum beneficium, electio, ſeu collatio eſt nulla, etiam ſi ſint excommunicati ſola excommunicatione minori, cap. ſi celebrat extra de Cler. excom. vbi etiam redditur ratio, nã excommunicatio minor excludit à paſſiua participatione Sacramentorum, & qui eligitur ad aliquod beneficium principaliter eligitur, vt Sacramenta Eccleſiæ percipiat, cui autem prohibetur exercitium alicuius actus, prohibetur etiam omne id per quod peruenitur ad illum actum. l. oratio. ff. de ſpon. & ibid. Gloſſa. Alij tandem actus ſunt poteſtatis ordinis, vt Sacramenta conferre, & iſti nulla excommunicatione annullantur, ſiue ſacramenta recipiantur, ſiue conferantur à manifeſtè, & etiam nominatim excommunicatis, licèt grauiſſimè peccent, nam poteſtas ordinis nulla Eccleſiaſtica cenſura tollitur, aut ita ſuſpenditur, vt factum non teneat. excipitur tamen Sacramentum pœnitentiæ ratione poteſtatis iuriſdictionis, quam habet annexam, & neceſſariò requirit, vt Sacramentum teneat, & duplici prædicta excommunicatione ex parte confeſſoris ſuſpenditur, ex parte verò pœnitentis Sacramentalis abſolutio redditur nulla per quamcumque pœnitentis

Abb. in c. Ad noſtrã 3. de iur. iur.

excommunicationem, etiam minorem niſi prius ab illa abſoluatur, vt dicemus in ſecunda parte quando agemus de cauſis ob quas eſt reiteranda confeſſio.

Qui excommunicati ſint euitandi, tam iure diuino, quam Eccleſiaſtico, & ubi, & quod omnes excommunicati alios euitare teneantur.

Cap. XIII.

NOn ſolum prohibitum eſt excommunicatis communicare cum alijs, ſed alijs quoque prohibitum eſt ne cum illis communicent. Et ante Concilium Conſtantienſe omnes maiori excommunicatione excõmunicatos euitare tenebamur, ſed hoc poſtea in Concilijs Conſtantienſi, Baſilienſi, & Lateranenſi, & à Pontificibus Martino. V. Eugenio 4. & Leone. x. vt diximus cap. xj. modificatum fuit, & ſtatutum, vt nõ teneamur euitare niſi nominatim excommunicatos, & omnes ita notoriè excommunicatos, vt nullo modo occultari, aut iuris remedio excuſari poſſint, quacumque de cauſa excommunicati exiſtant, etiam ſi non ſint denunciati. Et hoc non in fauorem excõmunicatorum, quos nullo modo releuare, neque iuuare intendunt, ſed in aliorum fauorem, ad multa ſcandala, & pericula euitanda, & ad ſubueniendum timoratis conſcientijs, Vnde omnes maiori excommunicatione excommunicati, quantumuis occulti, alios euitare tenentur. In duobus tamen caſibus iure diuino cum occultè etiam excommunicatis nequaquam communicare debemus, quando. ſ. eorum conuerſatio eſt nobis quoad fidem, vel quoad bonos mores nociua, & cum noſtra conuerſatione ipſi in excommunicatione fouentur. reliqui omnes caſus Eccleſiæ diſpoſitioni relinquuntur, quare extra hos duos caſus, cum non nominatim, nec notorie excommunicatis, poſſumus ſine vllo cõſcientiæ ſcrupulo communicare, ac ſi non eſſent excommunicati, etiam in diuinis. Imo ſi eis ex officio incumbit miniſtrare Sacramenta, ſi ab alijs illa recipere non poſſumus, eos ad nobis ſacramenta miniſtrandum inducere poſſumus; licèt enim ipſi peccent, nos tamen vtimur iure noſtro; & ſi cum illa ab alijs recipere poſſumus eos ad Sacramentorum adminiſtrationem inducere non licet, non tam eſt ratione excommunicationis, quã ne miniſtrando tanquam peccatores peccẽt, quod idem etiam de alijs quos in peccato mortali eſſe conſtat obſeruandum eſt, licèt non ſint excommunicati.

Eſt

Eſt autem hoc loco notandum, quòd notorie excommunicati in aliqua Diœceſi, non ſolum in illa Diœceſi, ſed vbicunq; exiſtant publicè euitandi ſunt; quæ obligatio non prouenit ex ſententia Epiſcopi, qui excommunicauit, quia non habet iuriſdictionem in aliena diœceſi, ſed ex diſpoſitione iuris, quod præcipit excommunicatum in vno Epiſcopatu vitari in alijs omnibus xj.q.3. ca. curæ, cum enim excommunicatio, vt inquit Abbas, afficiat animam, & corpus, non clauditur territorio, ſed ſequitur perſonã, ſicut lepra leproſum, & vt bene dicunt ſupplementum, Syluester, Roſella, & alij, vitandi ſunt, etiamſi ibi non ſint nototij, ab eo qui ſcit illos in ſua diœcesi eſſe notorie excommunicatos, donec cõſtet de abſolutione, niſi ſint tales perſonæ, quibus credi poſſit, ſi ſe abſolutos affirment. Et ſi ille poteſt probare per teſtes, vel inſtrumenta in ſua diœcesi eſſe notorie excommunicatos, debet etiam publicè eos vitare, at si non poteſt probare, debet vitare ſecrete, non ratione ipſorum excommunicatorum, quia iam sũt infames, & infamiam sicut leproſi lepram, ſecum portant, ſed ratione ſui, ne id probare cogatur, & in probatione ſuccumbat. Nec obſtat si dicatur, quod ipsi non tenentur ibi ſe prodere, & infamare; nam banniti quoque non debent ſe ipſos prodere, nec occidere, imo poſſunt resiſtere volentibus eos occidere, & nihilominus poſſunt a quocumque impunè occidi auctoritate à Principe omnibus conceſſa, & occidens zelo iuſtitiæ meretur, vt ſuo loco dicemus, ergo multo magis vitandi erunt illi, qui alibi ſunt notorie excommunicati, cum ad eorum correctionem, & pro eorum ſalute vitentur ne in excommunicatione ſordeſcant. Et ipſi quoque licèt non teneantur ſe diffamare, debent tamen ab aliorum communione, extra caſus conceſſos, & neceſſarios pro famę conſeruatione abſtinere, & ſi ſe abſtinerent, non eſſent publicè vitandi, nec ibi diffamandi, nam cum videantur memores propriæ ſalutis, credendum eſt, quod etiam pro abſolutione laborent.

Abb. in c. 1. de treg. & pace. Supl. Exco. 6. Sylu. exco. 5. §. 26 Roſ. exco. 6. §. 39.

Quibus in rebus uitari debeant notorie excommunicati. Cap. XIIII.

Excommunicati uitare debent in omnibus rebus, tam diuinis, quam humanis, & ad ſignificandum magis in particulari in quibus non eſt cum illis communicandum, fuit compoſitum hoc carmen.

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Per [Os] intelliguntur colloquia, literæ, nuncij, munera, oſcula

amicitiæ. Per [Orare,] intelligitur non ſolum cum ipſis orare, & audire diuina officia, ſed etiam pro ipſis oratione publica orare. Per [Vale] ſalutationes omnes quæ fiunt uerbo, ſcriptis, & quibuſcunque ſignis, vt aperiendo caput. Per [Communio] cohabitare, vel aliquod exercitium commune habere, Per [Menſa] ſimul comedere, & dormire. Quæ omnia ex Sacra Scriptura habentur, nam Ioannes dicit, Nec aue ei dixeritis, nec in domum recipiatis, & Paulus cum huiuſmodi nec cibum ſumere, Et Chriſtus, Sit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.

Eſt autem hoc loco diligenter notandum propter multos caſus occurrentes, quod hæc omnia eatenus prohibita ſunt, quatenus cum excommunicatis communicatur; vnde si nulla ſit cum ipſis participatio, quamuis ſint præſentes, non ſunt nobis prohibita, ut ſi in eodem hoſpitio, & eadem menſa quis comedat cum excommunicato, quem non inuitauit, neq; cum eo, neque ab eo fuit inuitatus. At ſi cum ipſo, vel ab ipſo inuitatus eſſet, licèt diuerſis menſis accumbant, eſt vera participatio. Similiter, & in Diuinis, ſi audiente me in Ecclesia Diuina officia, intret excommunicatus, dummodo non ſit in ea vt audiat illa diuina officia, non communico cum ipſo, communicarem quidem, si vt illa audiret adeſſet, etiam si extra Eccleſiam eis aſſiſteret, quo caſu relinquenda eſſent, si expelli non poſſet, ſed de Miſſa in ſecundo libro diximus quando, & quomodo proſequi debet. Et si ego cum ſim Florentiæ, ſcribo excommunicato in Hiſpania exiſtenti, vel oro pro eo publica Ecclesiæ oratione (nam priuata poſſum) cũ eo verè communico, quia potius voluntatum, & animorum, quam loci, & diſtantiæ, habenda eſt ratio.

Quale peccatum committant tam excommunicati, quam non excommunicati in prædictis communicantes; & an excuſentur ratione infamiæ, uel metus cadentis in uirum conſtantem. Cap. X V.

Caiet. V. excõmunicatio.

COmmunicantes cum notorie excommunicatis in diuinis (vt inquit Caiet.) peccant mortaliter, in reliquis verò, ſi abſit contemptus, venialiter, & eſt circũſtantia venialiter aggrauans, etiam si communicatio ſit in re mortali; & idem dicendum eſt de excommunicatis quacumque maiori excommunicatione cum alijs communicãtes, nam excommunicatio directè excludit à communione hominum quatenus sũt Chriſtiani, & per quandam extenſionem ab hominum commu-

nio-

nione;& ob id communicare in Sacramentis, & Diuinis officijs, & publicis orationibus,quæ nomine Eccleſiæ fiunt,eſt contra, in actibus verò humanis,eſt præter Eccleſiæ inhibitionem. Ob eandem rationem ſi excommunicati communicant in actibus legitimis iudicialibus,niſi ſit aliqua iniuſtitia,vel aliquid quod ex ſuo genere ſit mortale,non peccant mortaliter, vt ſi pro veritate teſtimonium ferant, etiam in Eccleſiaſtico iudicio, ſi quod ſuum eſt repetant. at ſi iudicant, eligunt, in ſuam electionem etiam laicam conſentiunt, beneficia conferunt, & ſuorum beneficiorum fructus percipiunt, cum ſunt in mora petendæ abſolutionis,mortaliter peccāt,quia iudicium,& iuriſdictionem ſibi vſurpant,& alijs iniuriam faciunt. quæ omnia ex parte excommunicatorum, de omni excommunicato maiori excommunicatione intelliguntur,etiam ſi communicent cum alijs, qui ſimili excommunicatione ſunt innodati, excommunicati enim non eximūtur excommunicatione à legibus,& præceptis ſuorum Prælatorum, & Papæ,cum non ſint omnino extra Eccleſiam, nec totaliter abſciſi,aliàs quoad hoc eſſent melioris conditionis, quam non excommunicati,qui illa conuerſatione priuantur. Diximus id intelligendum eſſe de omni excommunicato maiori excommunicatione, quia licèt alij non teneantur euitare occultè excommunicatos, ipſi tamen ab aliorum conſortio abſtinere debent, & licèt ratione officij, quod ante excommunicationem habuerunt debeant iudicare,& abſoluere,& per eos geſta teneant, cum non ſunt nominatim, nec notoriè excommunicati, nihilominus ſic etiam communicantes peccant,ſed extra diuina venialiter,cum non ſibi vſurpent iuriſdictionem,quia Eccleſia per d.cap.Ad eui tandum,eos nullo modo releuare,nec iuuare intendit. Si autem, cum excommunicatio eſt occulta, illam ſeruando ſe publicant, inquit Syluester,quod non ob id excuſantur, ſed hoc eſt per accidens,quemadmodum etiam peccatores in veteri lege offerendo determinata ſacrificia ex mandato Dei, ſe publicabant, & in hoc non dabant ſcandalum; cum eſſet actus virtutis; ſed virtualiter dabant quando peccabant. Verùm quia iure naturali, & diuino tenemur conſeruare,& defendere famam noſtram,quòd præſtat legi humanæ,& Eccleſiaſticæ de abſtinendo à communione,dicimus quod occultè excommunicati,quādo ſine periculo infamiæ poſſunt abſtinere ab aliorum communione,debent id facere, & non excuſantur ex hoc, quòd ignoratur eos eſſe excommunicatos; at quando per hoc quod ab aliorum communione abſtinent ſe publicarent,excuſantur, quia ius naturale de conſeruanda fa- Sylu. V. exc.3.§.1.

ma

ma præualet.

An autẽ peccent participantes cum notoriè excommunicatis, etiam in diuinis propter metum cadentem in virum conſtãtem, eſt inter Doctores controuerſia, aliqui enim volũt, vt Caietanus, quod ſic coacti communicantes in diuinis peccent mortaliter, & in minorem excommunicationem incidant, cum ita videatur determinatum ab Innoc. 3. cap. Sacris extra de his, quæ vi metuſue cauſa fiunt, Sed dicimus cum Maiore, Sylu. Nau. & Franc. à Victoria, quod talis metus excuſat ab omni peccato, & ab excommunicatione, cum hæc prohibitio ſit de iure poſitiuo, & eccleſiaſtica, non enim eſt veriſimile, quòd Eccleſia intẽdat obligare ad ſuarum legum obſeruationem cum vitæ periculo, ſeu tanto detrimento, dummodo tamen cõmunicatio non ſit in peccato mortali, neque cum negatione ſaltem tacita fidei catholicæ, quæ reſultaret ſi metus incuteretur in contemptum, & vilipendium excommunicationis, quia potius eligenda eſt mors, quam ſic communicare, magis enim tenemur defendere poteſtatem Eccleſiæ excommunicandi, & excommunicationis vim, & efficaciam, quã vitam corporalem, & ita intelligendum eſt cap. Sacris. de quo etiam ſuperius fuſius. cap. x.

Caiet. V. exco. cap. de particip. cum exco. Ma. 4. d. 18. q. 4. Sylu. V. excom. 5. §. 23. Nauar. c. 27. nu. 36. Frãc. Vict. de exco. q. 12.

Quibus de cauſis liceat communicare cum excommunicatis. Cap. XVI.

CVm excommunicatio ſit medicina, & non eradicatio, in vtilitatem, & non in deſtructionem, dicente Apoſtolo. Ne commiſceamini cum illo, vt confundatur, & nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite, vt fratrẽ; quadam æquitate, & Eccleſiæ beneficio, permiſſum eſt cum eis extra diuina, in his quæ hoc verſu continentur, communicare.

Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Per [Vtile,] intelligitur cum participatur cum eo ad vtilitatem animæ eius, prædicando, vel admonendo, quamuis interponantur nonnulla alia verba, vt facilius ei perſuadeatur, quod animæ conuenit, & etiam cum communicatur propter propriam vtilitatem ſpiritualem, vel temporalem, vt pro ſe, vel alijs, ab eo conſilium ſpirituale, & etiam temporale auxiliũ petendo, quando non occurrit ſimilis à quo petatur, debitum quoque ab eo in iudicio, & extra illud repeti poteſt, eadem ratione poſſumus cum ipſo intereſſe concioni, in cuius principio, & fine etiam ipſo præſente,

& oran-

& orante, cum concionatore orare licet, & etiam ſi cum eo priuatim agamus de eius conuerſione, & animæ ſalute, poſſumus aliquem verſiculum alicuius pſalmi, qui ad cordis illuminationem pertineat (vt inquit Nau.) cum ipſo orantis affectu dicere, & ſi tunc detur ſignum pro oratione Angelica, illam recitare poſſumus, cum iſtæ ſint orationes priuatæ, & participatio in diuinis, quæ eſt peccatum mortale, intelligitur de publica oratione, quæ fit nomine Eccleſiæ; in priuata autem oratione cum eis participare, eſt ſolum veniale, & aliquando nullum eſt peccatum, vt ſi pro illis, & etiam cum illis, ad eorum conuerſionem, vt diximus oretur. Per [Lex.] intelligitur Matrimonij vinculum, & ita vxor poteſt communicare cum Marito excommunicato, Per [Humile,] intelliguntur filij non emancipati, commenſales, famuli, vrbani, & ruſticani, qui domino ſuo ante eius excommunicationem erãt ſubiecti, niſi eorum conſilio, & fauore perſeueraret in ſua contumacia; Quod si vxor, filius, & ſeruus, ſint excommunicati, Maritus, Pater, & Dominus, poſſunt communicare cum illis, per verbum [vtile & etiam Lex,] cum ſint eis ſubiecti, & neceſſarij, Per [Res ignota] intelligitur ignorantia facti, & etiam iuris, quando eſt inculpabilis, & non debemus propter dictum cuiuſcumq; credere aliquem eſſe nominatim, vel notorie excommunicatum, & illum vitare, ſed videndum eſt an ſit fide dignus, cum quis cito credit leuis ſit corde, & multorum inuidia, bonorum famæ detrahatur. Per [Neceſſe] intelligitur ille qui participat propter magnam neceſſitatem, tam propriam, quam excommunicati.

Quid ſit excommunicatio minor, & qui ſint eius effectus, & quomodo incurratur. Cap. X V I I.

EXcommunicatio minor, eſt Eccleſiaſtica cenſura, qua homo excluditur à paſſiua tantum participatione Sacramentorum, & ex conſequenti à paſſiua electione canonica, ita vt ſic excommunicatus non poſſit eligi ad Ecclesiaſticam dignitatem, nec ei poſsit conferri Eccleſiaſticum beneficium, & ſi eligatur, vel ei conferatur, facta non teneant: Secus de electione ad ſeculare officiũ, quia electio, & collatio, ea ratione eſt nulla, quia tribuit dignitatem, & beneficium, quæ principaliter ordinantur ad perceptionem Sacramentorum qua eſt priuatus; cap. ſi celebrat ext. de cle. excom. Sic igitur excommunicatus poteſt eligere, & vti omni iuriſdictione, & Sacramenta miniſtrare, ſi dando non recipit, nam celebrans, vt alios communicet, vel ut ordines

Quæ electio ſit nulla.

nes conferat, non peccat quia dat Sacramenta, ſed quia ſumit; Si autem ſe ingerit paſſiuæ participationi cuiuſcumq; Sacramenti, peccat mortaliter, quia ab Eccleſia excluſus, indignè accedit.

Abb. in c. ſi celebr. de Cler. excom: Sylu. exco. 4. §. 5. An poſſit miniſtrare ſacramenta.

Verùm Abbas Sylu. & alij dicunt, quod ſic excõmunicatus peccat mortaliter etiam miniſtrando Sacramenta, licèt illa non percipiat. Vnde definiunt excommunicationem minorem, quod eſt ſeparatio à participatione Sacramentorum. Tota hæc difficultas oritur ex d. cap. Si celebrat. de cler. excom. quod videtur uelle eum peccare, expreſsè enim de eo dicit. *Peccat autem conferendo Eccleſiaſtica Sacramenta, ſed ab eo collata, virtutis non carent effectu, cum non videatur à collatione, ſed participatione ſacramentorum, quæ in ſola conſiſtit perceptione remotus*. At ſi iſtud cap. bene perpendatur, manifeſtè inueniemus eum non peccare miniſtrando, nisi adſit contemptus, vel ſpecialis ſuperioris prohibitio, nam dicit excommunicationem minorem excludere à participatione Sacramentorum, & non à quacumq; ſed ab ea, quæ in ſola perceptione consiſtit. ergo illa ſimpliciter adminiſtrans, & non percipiens, nõ facit contra prohibitionem Eccleſiæ, & excommunicatio minor ſæpè contrahitur per ſolum peccatum ueniale, quòd non excludit à ſacramentis, ergo nõ peccat, nec ratione excommunicationis, quia ſolum excludit à paſſiua participatione, nec ratione peccati mortalis quo teneatur, quia poteſt eſſe in gratia, & ita tenẽt

Nau. c. 27 nu. 24.

Hoſt. & Ioa. de Ligna, quos citat, & ſequitur Nauarrus, Nec obſtãt prædicta verba capituli, nam quando dicit peccare conferendo, intelligitur quando conferendo percipit, quod patet ex principio, & dubio d. cap. quod eſt de Sacerdote celebrante. Et gloſſa

Sylu. exco. 4. §. 5.

Sylueſtri qua Hoſt. & Ioa. in ſuam trahit ſententiam, eſt nulla, dicit enim, quod cum dicunt eum conferendo non participare, interpretandos eſſe, ideſt non partem capere, & cum dicunt eum eſſe priuatum ſola paſſiua participatione, non ita intelligendos eſſe, quaſi non ſit prohibita etiam participatio actiua. Eſt etiam iſta interpretatio contra dictum capitulum, nam ſpecificat participationem, vt non ſit quæcumque, ſed illa quæ in ſola perce-

Sylu. ibid. §. 1.

ptione conſiſtit. Et Sylueſter ſibi contradicit, nam ibidem in principio inquit, quod ſic excommunicatus conferens ſcienter Sacramenta peccat mortaliter quoad Deum, ſed non quoad Eccleſiam, quia quoad Eccleſiam excluditur à participatione paſſiua; Sed sic excommunicatus, non eſt ob id in peccato mortali, nec ei prohibetur à Deo quod non miniſtret Sacramenta, ergo quoad Deum non peccat mortaliter, ſed ſi peccat, eſt ſolum ratione prohibitionis Eccleſiæ; at Eccleſia ſolam paſsiuam partici-

cipationem ei prohibet, ergo nec etiam peccat quoad Eccleſiam, cum non percipiat, ſed ſolum conferat.

Poteſt quidem hæc excommunicatio ferri per Iudicis ſententiam, ſed communiter non fertur, aſſignantur etiam ab aliquibus octo caſus quibus incurritur, quos relinquemus, cum eorum non ſit in vſu niſi vnus, & in reliquis non ſit vera, & propria excõmunicatio minor, contrahitur ergo hæc excommunicatio participatione cum excommunicato maiori excommunicatione, in caſibus prohibitis, etiam ſi participatio ſit veniale peccatum, Vnde ſi participatio ſit cum excommunicato, quem euitare non tenemur, vel ſi euitare tenemur, ſi ſit in caſibus non prohibitis, nõ incurritur; Participatione autem cum excommunicato minori excommunicatione, nullo modo incurritur, cum hæc excommunicatio non tranſeat in tertiam perſonam. Ex quibus patet falſum eſſe, quod ab aliquibus dicitur, minorem excommunicationem æquiualere peccato mortali, nam licet ęquiualeat quantum ad hoc, quod excludit à paſſiua participatione Sacramentorum, differunt tamen, quia peccatum mortale excludit etiam ab actiua; peccatum etiam mortale non annullat paſſiuam electionem, ſicut facit excommunicatio minor, & hæc excommunicatio poteſt incurri ſine peccato mortali, quare exiſtens in peccato mortali, non ob id eſt excommunicatus, & ſic excommunicatus, non ob id eſt in peccato mortali.

Quomodo incurratur.

Nõ æquiualet peccato mortali.

Qui nam poſsint excommunicare. Cap. XVIII.

CVm excommunicatio ſit actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ in foro exteriori, illi omnes & ſoli excommunicare poſſunt, qui habent iuriſdictionem Eccleſiaſticam in foro exteriori, ordinariam vel delegatam, à iure, vel à conſuetudine legitimè præſcripta, aut approbata, quales ſunt Papa, & omnes alij Prælati, etiã ſi ſint inferiores Epiſcopis, vt ſunt Abbates, Præpoſiti, & Priores Eccleſiarum collegiatarum, regulariũ & ſecularium; Etiam ſi non ſint conſecrati *a* neq; benedicti, modo ſint confirmati, vel prouiſi, & reliqui omnes qui conſuetudine *b* præſcripta ſibi iuriſdictionem compararunt, & eorum delegati. Vnde illi, qui vocantur Abbates, & Priores in multis regionibus, ex eo, quod ſunt Rectores Eccleſiarum habentiũ multos beneficiarios non viuentes collegialiter, Rectores etiam, & Parochi Eccleſiarum ſimplicium parochialium, non poſſunt excommunicare ſuos parochianos iure communi, neq; ſpecialiter,

Nau. c. 27 nu. 5.

a Ca. tranſmiſſam, & ca. ſuffraganeis ext. de elect.

b Ca. duo ſimul de off. ord. & ca. cũ contingat de foro cõp.

neque generaliter, quia nullam habet iuriſdictionem in foro exteriori, à qua oritur facultas excommunicandi, ſeu potius eſt illius pars. Excommunicare autem cum illa ſolemnitate, quæ habetur in cap. debent xj. q. 3. ad ſolum Epiſcopum pertinet.

Qui poſsint abſoluere ab excommunicationibus à iure latis, & an Parochi poſsint abſoluere ab illis, quæ nemini reſeruantur. Cap. XIX.

VIdendum nunc eſt, qui nam poſſint abſoluere ab excommunicationibus, & vt prius de maioribus excommunicationibus à iure latis loquamur, quæ (vt diceemus) ſunt in quadruplici differentia, quædam enim ſunt Papæ reſeruatæ, quædam Epiſcopo, quædam nulli reſeruantur, quędam verò in aliquibus caſibus reſeruantur Papæ, in alijs caſibus Epiſcopo, quædam partim ſunt reſeruatæ, partim non, & ad illas diſcernendas diligenter ponderanda ſunt verba, quæ nō ſunt extendenda, ſed ſtandum eſt in eorum proprietate. Dicimus quòd à reſeruatis, illi de iure poſſunt abſoluere quibus reſeruantur, vel eorum ſuperiores, qualis eſt Papa, qui ab omnibus poteſt abſoluere, non autem inferiores niſi id eis ſpecialiter concedatur.

Prælati alijs Prælatis ſuperiores in duplici differētia.

Sed eſt hoc loco, in materia abſolutionis generaliter notandū, quod cum dicitur ſuperiorem poſſe abſoluere ab excommunicationibus, & etiam à peccatis inferiori reſeruatis, imo etiam à non reſeruatis, diſtinguendum eſt, nam Prælati alijs Prælatis ſuperiores, ſunt in duplici differentia, quidam enim habent omnem iuriſdictionem, & plenam poteſtatem ſuper ſubditos inferiorum Prælatorum, æquè ac ipſi inferiores Prælati, quibus immediatè ſubduntur, imo & maiorem, ſicut eſt Epiſcopus reſpectu Sacerdotum parochialium, & reſpectu Archidiaconi, & aliorum, quia tales ſunt veluti illius Vicarij, & Generalis, & etiam Prouincialis ordinis Mendicantium, reſpectu Priorum. Et talis eſt Papa reſpectu omnium, tales etiam ſunt illi quibus Papa hanc plenitudinem poteſtatis reſpectu alicuius loci concedit, vt Legati, Nuntij, & Viſitatores Apoſtolici, iuxta formam ſuorum priuilegiorum. Iſti omnes poſſunt abſoluere ſubditos aliorum Prælatorum, ſuper quos habent plenam poteſtatem, & poſſunt etiam illos abſoluere ab excommunicatione lata ab eorum immediato Prælato, ſiue Iudice, ſiue illa excommunicatio ſit à iure, ſiue ab homine, licèt non deceat eos abſoluere irrequiſitis proprijs Prælatis, quando res poſtulabit, vel iudicauerint expedire, debent etiam

videre ne abſoluant in alterius præiudicium ab excommunicatione, & ſi abſoluerent, abſolutio nihilominus teneret, cap. Venerabilibus §. Vbi, de ſent. excom. in 6. & Gloſ. in cap. cum ab Eccleſiarum extra de offic. iud. Ord. & Abbas. poſſunt etiam illos Sacramentaliter à peccatis abſoluere.

Abb. in c. qua fronte de Appel.

Alij ſunt qui non habent plenitudinem poteſtatis ſuper ſubditos Prælatorum inferiorum, ſed ſolum in quibuſdam casibus, vt eſt Archiepiſcopus, qui in ſubditos ſuffraganeorum non habet iuriſdictionem, nisi per viam appellationis, & dum viſitat, & etiã cum ſuffraganei sunt negligentes, & malitioſè ligant, vel ligatos detinent, & res ad eum etiam per ſimplicem querelam defertur, & extra caſus ei à iure conceſſos, non poteſt abſoluere ſubditos ſuffraganeorum, nec etiam à peccatis non reſeruatis, & ſi abſoluit abſolutio eſt nulla defectu iuriſdictionis, cap. Venerabilibus de ſent. excomm. in 6. In cauſa etiam appellationis ſi abſoluit ab excommunicatione parte non citata, abſolutio quidem eſt iniuſta, ſed tenet d. ca. Venerabilibus §. Vbi, at ſi per ſententiam abſoluit, excommunicationem tanquam iniuſtam, & nullam reuocando, parte non citata, abſolutio eſt nulla cap. Romana §. ſententias de ſent. excom. in 6. nam in priori caſu ſimpliciter abſoluit, & licèt abſolutio sit fortè iniuſta, quia contra ius litigatoris, nihilominus tenet, quia non eſt contra ius conſtitutionis, cũ enim non ſit actus iudicialis, ſed potius pęnitentialis, ad ſui eſſentiam non exigit citationem, ſed sicut excommunicatio poteſt ferri ſine citatione partis, ex ſola Iudicis, ſeu Prælati uoluntate, ita etiã poteſt tolli, etiam parte contradicente, in poſteriori uerò caſu non simpliciter abſoluit, ſed conſequenter, per reuocationem, ſeu annullationem ſententiæ, quæ non poteſt reuocari niſi citata parte, quia iſte eſt actus iudicialis.

De Archiepiſcopis.

Ab illis excommunicationibus, quæ nulli reſeruantur Gloſſa, Abbas Roſ. Suppl. & multi Canoniſtę tenẽt abſolutionem ad Epiſcopos pertinere, & Parochos non poſſe abſoluere niſi de ſuorum Epiſcoporum licentia, cum eis ſint reſeruatæ. quod probant ex cap. Nuper ext. de ſent. excom. vbi hoc videtur expræſsè dici, nã interrogatus Innoc. Papa, an qui nominatim excommunicatis ſcienter communicant poſſint ab excommunicatione à simplici Sacerdote per confeſſionem abſolui, diſtinguit de participatione, an sit in crimine criminoſo, vel in alijs, & dicit quod si eſt in crimine criminoſo, ratione cuius inciditur in eandem maiorem excommunicationem, abſolutio requirenda eſt ab illo, qui excõmunicauit, vel ab eius ſuperiore, at si eſt in alijs, ut in oratione,

Gloſ. in c. ſi Epiſcop. de pęn. & rem. in 6.

Abb. in c. Nuper de ſent. exco. Roſ. Sup.

oſculo,

oſculo,&c. ab Epiſcopo,vel à proprio Sacerdote poterit abſolui, & huius rationem reddit, quia ſic participans cum nominatim excommunicato, non Iudicis, ſed iuris ſententia eſt excommunicatus; & quia conditor canonis eius abſolutionem ſibi ſpecialiter non reſeruauit, eo ipſo conceſſiſse videtur facultatem alijs relaxandi.

Quod Parochi poſſint abſoluere à nõ reſeruatis

Verùm ſi iſtud capit. benè ponderetur,& Pontificis ratio conſideretur,ex eo potius habetur Parochum ab illis abſoluere poſſe;nam quando Pontifex dicit, quòd ab excommunicatione ob participationem in crimine criminoſo non poteſt abſoluere proprius Sacerdos,non ea ratione id dicit,quia eſt excommunicatio maior,ſed quia illa excommunicatio eſt reſeruata illi, qui excõmunicauit: pro quo notandum eſt,quod in iſto cap. nuper.& in cap.ſi concubinæ,eod. tit. excommunicantur, ſeu declarantur à iure excommunicati, participantes cum excommunicato in crimine criminoſo,ratione cuius ille fuit excommunicatus,qui sũt excommunicati, etiam ſi illa excommunicatio non fuerit lata cõtra adiuuantes, & participantes, nam participantes cum iam excommunicato in crimine criminoſo, ſunt excõmunicati eadem excommunicatione, ſed à canone lata,ſeu extenſa,& ſi illa excõmunicatio eſt reſeruata alicui, iſta quoq; eſt eidem reſeruata, ſi nulli reſeruatur,nec iſta, quia (vt inquit Pontifex) ſic participantes in eum delinquunt, qui damnauit, & hic eſt ſenſus huius cap. & hæc eſt ſententia communis, vt ſuperius cap.6.diximus, & fuſius explicuimus. Ad rẽ ergo noſtrã deueniendo,dicimus quod iſta excõmunicatio fuit reſeruata, quia fuit nominatim facta, & conſequenter excommunicatio participantium cum iam excommunicato in illo crimine criminoſo,erat reſeruata, non Epiſcopo,ſed illi qui excommunicauit,aut eius Superiori,& nõ quia maior,ſed quia excommunicatio lata contta illud in quo iſti participant,& ad quos à canone extenditur,fuit reſeruata. Quando Pontifex ſubiungit, quod ſi communicatio illa cum nominatim excommunicato nõ fuit in crimine criminoſo,ſed in alijs, poteſt abſolui ab Epiſcopo,vel à proprio Sacerdote,nõ ideo dicit, quia eſt excommunicatus minori excommunicatione, quaſi non poſſit Porochus abſoluere etiam à maiori,quia hic non loquitur Papa de minori excommunicatione,vt excludat maiorem, ſed quia ſermo eſt de participatione cum excommunicato de qua fuit interrogatus;& ſi de ſola minori intendiſſet, potuiſſet reddere rationem ob quam Parochus poſſit abſoluere ex parte illius, quia ſcilicet ſæpè contrahitur per peccatum veniale, & non excludit

niſi

niſi à paſſiua participatione Sacramentorum, at reddit rationem vniuerſalem, quæ ſe tenet non ex natura excommunicationis minoris, ſed ex voluntate excommunicantis, quæ eadem militat, & in minori, & in maiori excommunicatione, quia.ſ.eſt excommunicatus iuris ſententia, & conditor canonis eius abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, ex quo conceſſiſſe videtur facultatem alijs relaxandi.

Præterea ſi id quod Papa hic dicit de excommunicatione ratione participationis, intelligitur de omni excommunicatione; quando participatio cum excommunicato inducit excommunicationem maiorem, non dicit Papa quod Epiſcopus poſſit abſoluere, ſed ille qui excommunicauit, vel eius ſuperior; quando de alia excommunicatione ſubiungit, quod Epiſcopus, vel proprius Sacerdos poteſt abſoluere, quia conditor canonis non ſibi reſeruauit, loquitur de excommunicatione minori; ergo ſecundum eorum intellectum, nec etiam Epiſcopus poterit abſoluere ab excommunicatione maiori nulli reſeruata, niſi ab ipſo vel eius inferiori fuerit lata, & ſi dicant, quod illa ratio extenditur etiam ad excommunicationem maiorem quoad Epiſcopum tantum. Contra, quia Papa dicit quod tunc Epiſcopus, vel proprius Sacerdos poterit abſoluere, ergo ſi ratio extenditur ad excommunicationem maiorem, poterit etiam abſoluere proprius Sacerdos, at ſi ratio reſtringitur ad excommunicationem minorem, nec etiã Epiſcopus poterit abſoluere à maiori, quam nec ipſe, nec eius inferior tulit. Dicere ergo, quod hic Pontifex vult abſolutionem à maioribus excommunicationibus nemini reſeruatis ad Epiſcopum pertinere, & non etiam ad Parochum, eſt Capitulum iſtud nullo modo intelligere, & omnino peruertere, nam ex eo totum contrarium habetur, vt ſatis oſtendimus, quia Papa in eo non loquitur niſi de abſolutione ab excommunicatione incurſa ob participationem cum nominatim excommunicato, & nullo modo intendit generaliter de omni excommunicatione declarare, quis poſſit abſoluere, vel non poſſit; & ſi nos deducimus ex hoc capitulo, quod Parochus poſſit abſoluere ab omnibus nõ reſeruatis, deducimus ex generali ratione, quam Papa ad ſuum propoſitum adducit, quæ etiam militat in illis omnibus. Et ipſemet Abbas, qui ſequitur ſententiam Gloſſæ, quæ illam probat per ca Nuper, in d.cap. Nuper, dicit, quod illius cap. litera hoc apertè non probat. Couar. eandem ſententiam probat, ex Clem. 1 de priuil. & ex extrau. 1.§. obſeruent eod. tit. Sed ex dictis locis nihil concluditur, imo potius, vt notat Syluest. contrarium habetur, nam in

Couar. in cap. Alma mater de ſent. exc. in 6.§.12. nu.5.

Clem.1. de priuil. inquit Clem.V. quod Religioſi non abſoluant excommunicatos à Canone, præter quã in caſibus à iure expræſſis, quæ exceptio tribuit priuilegium abſoluendi ab excommunicatione in aliquibus caſibus à iure permiſsis, iſti autem caſus ſunt excommunicationes, quæ nemini reſeruantur, nam ex quo aliæ reſeruantur, iſtæ cenſentur à iure permiſſæ d.ca.Nuper. Sed quicquid per priuilegium Clem.v. conceſſit Religioſis, de iure competit Sacerdoti curato, nec maiorem eis conceſsit auctoritatem, ea quæ Curatis de iure competit, vt dicit idem Clem.V. in Clem. Dudum de ſepult. ergo per Clem.V. Sacerdotes curati de iure poſſunt ab illis abſoluere.

Nec obſtat, quod poſtea dicitur in extrau.1.de priu. lib.5. ſcilicet, quod Religioſi in confeſſionibus excõmunicatos reſpuant, cum excommunicationem maxime à iure inflictam remouere non poſſint, nam intelligitur ſecundum ſubiectam materiam, de excommunicatione reſeruata, cum ibi Papa loquatur de caſibus reſeruatis, & ſi volunt intelligi de omni excommunicatione maiori, dicimus quod ibi Bened. xj. loquitur de Religioſis, & limitat priuilegium eis à Clem.V.conceſſum, vt à nulla excommunicatione maiori abſoluere póſſint, qui Clem.V.concedẽs eis multa priuilegia, & inter alia, quod poſſint abſoluere ab excommunicationibus non reſeruatis, dixit quod ea illis concedebat, quę curatis de iure competunt, nec maiorem eis facultatem tribuebat, per hoc autem quod reſtringuntur Religioſorum priuilegia, non reſtringitur curatorum iuriſdictio, vt non poſsint, quæ eis de iure conueniunt. Concludamus igitur quod iſta canoniſtarum ſententia non probatur aliquo iure, vt ipſi putant; Sed poſſumus illã rationibus ſatis efficacibus probare, 1 quia ab excommunicatione à iure lata, & nemini reſeruata, nõ videtur, quod poſſit abſoluere niſi miniſter iuris, qui eſt ſolus Epiſcopus, & non Parochus, vnde Parochus non poteſt abſoluere à ſuſpenſione, & interdicto, nec diſpenſare in caſibus non reſeruatis. 2. quia ad eum pertinet ſoluere ad quem pertinet ligare, ſed Parochus non poteſt excommunicare, ergo nec excõmunicatos abſoluere. 3. excommunicatio pertinet ad iuriſdictionem fori Eccleſiaſtici contentioſi, ſed Parochus in iſto foro nullam habet iuriſdictionem.

Argumenta, quod non poſſint.

Contraria ſententia quam ſequimur eſt, quod Parochus poſsit abſoluere ab omnibus excommunicationibus maioribus nemini reſeruatis, etiam ſi ſint incurſæ extra ſuam parochiam, & illam Diœceſim, quod intelligitur quando Epiſcopus illas ſibi non reſeruat, ſicut & reſeruare poteſt, quæ ſententia eſt communiter

Theo-

Theologorum, & Summiſtarum, & multorum etiam Canoniſtarum, ita tenent S.Tho. S.Bonau. Maior, Ang. Sylu. Inno. Hoſt. Nau. & alij. Verum à nullo hucuſque fuit ſufficienter probata, nam communiter probant ratione d. Cap. Nuper, quia ex eo, quod cõditor canonis earum abſolutionem non reſeruauit, proprijs Sacerdotibus conceſsiſſe videtur facultatem abſoluendi, quam cõfirmant, quia omnia ſunt permiſſa per legem, & iure fieri poſſunt, quæ prohibita non inueniuntur. ff. ex quibus cauſis maiores. l. Nec non & ſi quis. & de prob. & præſumpt. l. ab ea parte. & ibid. Gloſſ. At quod proprius Sacerdos non poſſit ab illis abſoluere, nullibi inuenitur prohibitum. Sed iſta ratio nudè ſumpta, nihil concludit, quia excommunicatio eſt actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ fori contentioſi, in quo foro Parochus nullam habet iuriſdictionem, ſed tota eius iuriſdictio eſt in foro conſcientiæ, & propterea non valet, conditor canonis non reſeruauit ſibi excommunicationem, ergo facultas ab ea abſoluendi eſt conceſſa Parocho, ſed bene valet, ergo eſt conceſſa Epiſcopo, quia eſt miniſter canonis, & habet iuriſdictionem in foro contentioſo, nam quoad Parochum tranſcenditur de genere in genus, & eadem ratione probaremus, quod poſſet abſoluere ab alijs cenſuris, & diſpenſare in caſibus à iure non reſeruatis; & ad leges in contrarium adductas, dicitur, quod vbi agitur de populo, id ei eſt conceſſum, quod cum non ſit malum, non eſt ei prohibitum, in his, quæ ad ipſum pertinent; vbi agitur de aliquo miniſtro, ideſt, ei cõceſſum, quod pertinet ad ſuum officium, & non eſt ei prohibitum, alia autem, quæ non pertinent ad ſuum officium, licèt non ſint ei prohibita, non tamen ob id ſunt ei conceſſa, hoc enim, quod eſt non reſeruare, vel non prohibere, non ſuſpendit iuriſdictionem, ſed nõ propterea tribuit nouam iuriſdictionem; Ad probandum igitur iſtam ſententiam non eſt facienda vis in ratione, ſed in intentione Papæ, & Eccleſiæ, à qua lex ſumit ſuam interpretationem, vt per Doct. in c. ſi poſtquam de elect. in 6. & propterea, vt huius dubij plenam ſolutionem habeamus, plenèq; ſatisfaciamus argumẽtis pro contraria ſententia adductis, videbimus vnde Parochus habeat iuriſdictionem abſoluendi ab excommunicatione, ex eo quod nulli reſeruatur, & quare non habeat eadem ratione ſimilem poteſtatem abſoluendi ab alijs cenſuris, & diſpenſandi in caſibus non reſeruatis.

S.Th. 4 d. 18. q. 2. ar. 5. q. 1. S.Bon. ea. diſt. q. vlt. Maior 4. d. 13. dub. 3. Ang. Abſolutio 5. §. 2. Sylu. Abſolutio. 1. §. 4. Innocen. in d. c. Nuper. Nau. c. 27 nu. 59.

Pro quo eſt primo notandum, quod licèt ratio illius canonis in ſe conſiderata, nihil probet, vt oſtendimus, tamen cum lex ſumat interpretationem à mente legiſlatoris, etiam quoad exten-

ſionem, maximè quando non eſt pęnalis, nullo modo dicendum eſt rationem illam, vt adducitur a Papa eſſe vanam, ſed iuxta illius mentem optimè concludit. Et propterea eſt 2 notandum, quod Eccleſia ita excommunicat ad correctionem, vt cupiat filios ſuos, qui reſipiſcunt, ab ea qua primum abſolui, ne mors illos excommunicatione ligatos inueniat, ca. qua fronte. ext. de appellat. quoad abſolutionem autem ab alijs cēſuris, non habet tantam ſolicitudinem, vnde ſuſpendit ad plures menſes, & annos, & ſæpe ante elapſum terminum non abſoluit, etiam verè pœnitētes & hoc propter maximam differentiam, quæ eſt inter excommunicationem, & alias cenſuras, nam excōmunicatus eſt aliquo modo extra Eccleſiam, priuatur fidelium communione, omnibus Sacramentis, & ſuffragijs Eccleſiæ, & eſt traditus Sathanæ, non ſic de ſuſpenſione, & interdicto, nam ſuſpenſio eſt tantum ab aliquibus actibus, & non ſuſpenduntur quicumque, ſed perſonæ Eccleſiaſticæ, communitates verò, & loca interdicuntur, ſuſpenſio etiā & interdictum non priuant ſuffragijs Eccleſiæ, nec tradunt Sathanæ, propterea licèt ſint medicinæ ad correctionem, nihilominus poſt correctionem ſæpe relinquuntur, vt pœnæ; hinc eſt, quod Eccleſia quoad excommunicationem peculiariter deſiderat ea ligatos, ſtatim poſt reſipiſcentiam abſolui, cum ſingulis horis, & momentis mori poſsimus; & ad facilitandam eis abſolutionem, licèt quaſdam excommunicationes ob enormia quædam, & pernicioſa ſcelera reſernet, non vt abſolutionem pęnitentibus differat, ſed vt Papa, ſeu Epiſcopus, oportunis remedijs ſubueniant, & homines à peccatis magis retrahantur, à non reſeruatis facultatē abſoluendi proprijs Sacerdotibus concedit, quæ conceſsio habetur ex ratione Papæ in d. cap. Nuper, ex hoc, quod conditor canonis, illas ſibi non reſeruat, qui hoc, quod canon illas nō reſeruet, intelligit, & interpratatur eſſe conceſsionem factam abſoluendi proprijs Sacerdotibus, quæ Papæ intelligentia, & interpretatio habet vim legis, & conceſsionis, quo ad excommunicationem. Sed quare non idem intelligitur de abſolutione ab alijs cenſuris, & de diſpenſationibus in caſibus non reſeruatis, cum eadem ſit ratio? quia licèt ſit eadem ratio ex parte non reſeruationis, non tamen eſt eadem ratio ex parte cenſurarum, vt diximus, nam excommunicatio eſt talis naturæ, vt meritò Eccleſia desideret reſipiſcentes ab illa quam primum abſolui, vt patet ex d. capit. qua fronte, & eis propterea abſolutionem faciliret; ab alijs autem cenſuris non ſtatim etiam verè pænitentes abſoluit, ſed ſæpe illos in pœnam per menſes, & annos ligatos relinquit, quod maximè patet

tet in ſuſpenſione, nam interdictum facilius relaxatur, cum interdicatur multitudo, in qua ſunt multi innocentes. Et per hæc patet reſponſio ad omnia, quæ in contrarium obijciuntur, nam licet Parochus non ſit miniſter iuris, & non habeat iuriſdictionem in foro exteriori, & abſolutio ab excommunicatione ſit actus iuriſdictionis fori exterioris, & licèt ille poſsit abſoluere, qui poteſt ligare, & Parochus non poſsit ligare; nihilominus poteſt abſoluere in foro conſcientiæ à non reſeruatis, iuriſdictione illi à iure quoad hoc in dicto caſu ſpecialiter conceſſa, vt patet ex pontificia declaratione.

Solutio argumentorum.

Secundo eadem ſententia probatur, quia iuxta comunem omnium ſententiam, Parochus poteſt abſoluere ab excommunicatione minori, qui tamen eſt actus iuriſdictionis fori exterioris; nam excommunicatio minor pertinet etiam ad forum contentioſum, ſicut & maior, vnde annullat Eccleſiaſticam electionem, & beneficij collationem; Parochus autem in foro contentioſo nullã habet iuriſdictionem, ſed abſoluit ab excommunicatione minori auctoritate ei à iure conceſſa per hoc, quod minor excommunicatio non reſeruatur d. c. Nuper.

Probatur tertio, quia canones aliquarum excommunicationũ abſolutionem reſeruant Summo Pontifici, aliquarum Epiſcopis, aliarum nemini reſeruant, ergo ſignum eſt, quod Parochis facultatem ab iſtis abſoluendi concedunt, aliàs enim ſufficeret non reſeruare Epiſcopis. Et confirmatur, quia hæc diſtinctio non ſolum reperitur in iure communi, ſed etiam in particularibus Epiſcoporum ſtatutis, nã Epiſcopi, qui particularia in ſuis Diœceſibus faciunt ſtatuta, & illis excommunicationes apponunt, aliquando excommunicationes ſibi reſeruant, aliquando non.

Quarto iſta ſententia deducitur ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. vbi dicitur, quod ſicut ſummi Pontifices cauſas grauiorum criminũ ſibi reſeruant, ita etiam Epiſcopis omnibus in ſua cuique diœceſi licèt pro illis in ſubditos tradita ſuper reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa quibus excommunicationis cenſura annexa eſt. Et ponderando verba Concilij, Epiſcopi poſſunt ſibi reſeruare abſolutionem à peccatis quibus eſt annexa excommunicatio ratione excommunicationis, ergo excõmunicationes non reſeruatæ, niſi illas ſibi reſeruent, à iure eis nõ reſeruantur, aliàs enim non diceret Concilium licere eis excommunicationes ſibi reſeruare, ſed à iure eis reſeruatas eſſe, ne in dubium verteret, quod eis iure conuenit, ijſque concedere videretur facultatem quibus nulla competit, Parochis. ſ. abſoluendi

à maiori excommunicatione nemini reſeruata.

Probatur tandem.ſ. quia iſta ſententia eſt in uſu,& practicatur, & Confeſſarij communiter ab illis abſoluunt quando Epiſcopi ſibi illas non reſeruant,& quod abſoluant ex eo probatur, quia cõmuniter ſequuntur ſententiam Theologorum, & ſummiſtarum, & hanc ſententiam communiter tenent Theologi, ſummiſtæ, & multi etiam Canoniſtæ inſignes, quales ſunt.S.Tho.S.Bonau.Maior Ang.Sylueſter, Innocẽtius, Hoſtienſis,& Nauarrus, dicere autem quod abſoluti tantorum virorum auctoritate, totque rationibus, non ſint uerè abſoluti,ſed ſemper remanent excommunicati,eſt nimis durum; & ad tollendos ſcrupulos quos Canoniſtæ contrariæ ſententię iniiciunt,hæc fuſius ſcripſimus.

Qui poſsint abſoluere ab excommunicationibus latis ab homine, & ab excommunicatione minori.
Cap. XX.

AB excommunicatione lata ab homine ille ſolus poteſt abſoluere, qui excommunicauit, vel eius ſucceſſor aut ſuperior, vel à Superiore delegatus cap.Paſtoralis §.præterea ext. de off. Iud. Ord. Sed de Superiore diſtinguendum eſt, ſicut diſtinximus in principio præcedentis capituli,& hæc excommunicatio intelligitur reſeruata, etiam ſi qui excommunicauit, illam ſibi expræſsè non reſeruauit; Sed hoc intelligendum eſt de excommunicatione contra certam perſonam, vel ad inſtantiã partis, vt paulò inferius dicemus. Eſt autem hoc loco notandum quod ille cui Epiſcopus commiſit vices ſuas, non poteſt abſoluere ſubditos Epiſcopi ab excommunicationibus ei reſeruatis niſi id ei expræſsè conceſſerit cap. Si Epiſcop. de pœn. & remiſ. in 6. quia in generali commiſſione non intelligitur cõmittere ea, quæ veriſimiliter non fuiſſet in particulari commiſſurus, de reg. iur. in generali in 6. nec eſt veriſimile, quod in ſpecie commiſiſſet aliquid cum iniuria alterius,& clauſula apponi ſolita, etiam in his, quæ mandatum ſpeciale requirunt, non extenditur ad maiora,& grauiora quam ſint in mandato exprẹſſa.cap. quid agendum de proc.in 6.

Dantur tamen aliqui caſus, in quibus ille, qui excommunicauit, nõ poteſt abſoluere eos quos excommunicauit,& primus eſt ſi ille qui excommunicauit in maiorem, & notoriam excommunicationem poſtea incidit ca.audiuimus. 24. q. 1. Secundus eſt, in Delegato Papæ, qui ſententiæ ſuæ inobedientem excommuni-

care poteſt, ſed poſt annum non poteſt illum ab excommunica-
catione abſoluere. Cap. quærenti ext. de Off. deleg. Et Abbas in- Abb. in d.
quit hoc eſſe commune omnibus delegatis, quod poſt annum ab ca. quærẽ-
ſolutio ab excommunicatione non ad delegatum, ſed ad delegan ti.
tem pertineat. Tertius eſt in incendiario; quem Ordinarius ex-
communicare poteſt, non tamen poteſt poſt denunciationem ab-
ſoluere ca. tua ext. de ſent. exco. Quartus in excommunicatione
lata ab inferiori, & per Papam ex certa ſcientia confirmata, nam
eius abſolutio ad Papam pertinet, vt ex Io. And. communiter re-
cepto inquit Nauarr. Quintus eſt in eo, cui Papa mandat ut ali- Nau. c. 27.
quem excommunicet ſine alia cognitione cauſæ; nam cum ſit me nu. 40.
rus executor non poteſt abſoluere.

Quod ſi ille, qui excommunicauit non eſt Sacerdos, ſecũdum De iudice
Sylueſtrum non poteſt abſoluere ab excommunicatione in foro non Sacer
conſcientiæ, ſed tantum in foro iudiciali, & contentioſo, & debet dote.
ſic ab eo abſolutum remittere ad Sacerdotem, vt eum abſoluat
in foro conſcientiæ. Hoc tamen reſtringendum eſt ad abſolutio-
nem coniunctam cum peccatorum abſolutione, nam ab excom-
municatione ſola, Iudex ſola prima tonſura initiatus poteſt ab-
ſoluere, etiam in foro conſcientiæ, ita tenent S. Ant. Tab. Nau. & S. Ant. 3.
alij, & ratio eſt, quia abſolutio ab excommunicatione, licèt fieri p. ti. 24. c.
poſsit in confeſſione, ſimpliciter tamen non eſt Sacramentalis, 77.
nec eſt actus Ordinis, ſed eſt actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, Tab. V. ab
quæ quoad excommunicationem non requirit poteſtatem ordi- ſolutio. 2.
nis Sacri, ſed ſolam clericalem tonſuram, vt dicit Pet. de Palude, q. 4.
& eſt communis ſententia: nam Iudex Eccleſiaſticus, qui non ha Nau. c. 27.
bet niſi primam tonſuram imo etiam purus laicus ex commiſsio nu. 41.
ne Papæ poteſt excommunicare, qui autem poteſt ligare ex offi- Pet. de Pa
cio ſuo, ſicut in caſu noſtro poteſt iudex eccleſiaſticus, poteſt etiã lu. 4. d. 18.
abſoluere diſt. 21. cap. inferior; & confirmatur quia ab excommu q. 2. ar. 7.
nicatione poteſt abſolui in peccato mortali exiſtens, & etiam in-
uitus. Maior quidem conſulit, quod non Sacerdos abſolutionem
Sacerdoti committat, ſed Nauarrus conſulit, quod ipſemet ab-
ſoluat, tum quia multi putãtes illas iudicum commiſsiones eſſe
abſolutiones, non quærunt poſtea abſolutionem à ſuis parochis,
tum etiam quia ſemel excommunicatus ſemper præſumitur talis
niſi conſtet de abſolutione, & Parochus ſecretè abſoluit, vnde vt
de abſolutione conſtet, Iudex deberet abſoluere, & dare literas
abſolutorias; poſſet etiam dare literas quibus committat abſolu-
tionem, & Parochus coram notario, & teſtibus poſſet excommu-
nicatum ab excommunicatione dumtaxat abſoluere, vt ſic in iu-

dicio probari poſſit, ſi opus fuerit.

Cum autem dicitur ab excõmunicatione ab homine lata non poſſe abſoluere niſi ille qui excommunicauit, aut eius ſucceſſor, vel ſuperior, intelligitur quando excõmunicatio eſt cõtra certas perſonas, vel ad inſtantiã partis, ut cũ Iudex excõmunicat cõtumacẽ, uel non reſtituentes, aut reuelantes res furto ſublatas, nã ſi excõmunicatio ab homine eſt generaliter lata, & ſibi eam nõ reſeruat, qui poteſt abſoluere ab excõmunicatione lata à iure nemini reſeruata, poterit etiam ab ipſa abſoluere, ut tenet Nauarrus,

Nau. c. 27 nu. 44. ex ſententia etiam Io. And. Card. Ioan. de Imol. & Feli. Et confirmatur primo, quia iura, quæ reſeruant abſolutionẽ excõmunicationis ab homine latæ, illi qui excõmunicauit, loquũtur de excomunicatione particulariter contra certã perſonã lata. Confirmatur ſecundo, quia excõmunicatio ab homine generaliter lata ſub forma præcepti aliquid prohibẽtis, vel præcipiẽtis, æquiualet legi, & ſtatuto, & cenſetur à iure, & ita à multis etiam uocatur, ut diximus ſuperius, cap. 8. Confirmatur tertio, quia aliæ, etiam ſi Iudex illas ſibi expræſsè non reſeruet, ex natura rei illi ſunt reſeruatæ, nam illas non ut legiſlator, aut de futuris diſponens, ſed ut Iudex fulminauit, & pro peculiari cauſa in eius tribunali terminanda, unde non poteſt inferior in illis ſe intromittere, quæ ratio ceſſat in iſtis generaliter latis, quæ cum æquiualeant ſtatuto, facultas abſoluendi ab illis cenſetur à iure alijs conceſſa, per hoc quod ſibi non reſeruauit.

Nau. c. 27 nu. 25. Ab excommunicatione autẽ minori dicit Nau. quod quilibet ſimplex Sacerdos poteſt abſoluere, ſicut poteſt etiam abſoluere à uenialibus non habentem mortalia. Sed hoc eſt falſum, & cum

Caiet. V. Abſolutio. Caietano dicimus, quod non omnis Sacerdos, ſed ille ſolus poteſt abſoluere, qui poteſt etiã, & à peccatis mortalibus abſoluere; quod etiam facilè deducitur ex d. Cap. Nuper. nam loquens Papa de minori excommunicatione, dicit quod ab Epiſcopo, uel proprio Sacerdote poterit abſolui. Imo Card. Zabarela, & Feli-

Zab. & Fely. in d. c. Nuper. nus ex d. cap. Nuper deducunt, quod nec ipſe Archiepiſcopus poteſt abſoluere ab excommunicatione minori ſubditos ſui ſuffraganei; & benè, cum non habeat iuriſdictionem ſuper illos niſi in certis caſibus, ut diximus in principio præcedentis capituli. Et ratio Nauarri nihil concludit, ſed potius contra ipſum militat, nã cauſa ob quam quilibet ſimplex Sacerdos poteſt non habentem mortalia abſoluere à uenialibus, eſt, quia cum non teneamur illa confiteri, quoad illa poſſumus nos ſubdere cuicumque Sacerdoti; At excommunicatio minor licet ſæpe contrahatur ſolo

pec-

peccato ueniali, & non ſit circunſtantia mortaliter aggrauans; tamen ſeparat à paſsiua participatione Sacramentorum, & illa percipien s antequam abſoluatur peccat mortaliter, & propterea tenemur querere abſolutionem à minori excommunicatione, non igitur poſſumus ab ea abſolui niſi ab illo Sacerdote qui ſupra nos aliquam iuriſdictionem habet, quod etiam patet, quia cum ſit vinculum Eccleſiaſticum, in abſoluente Eccleſiaſticam iuriſdictionem exigit, quam non habet ſimplex Sacerdos.

Quod in articulo mortis quilibet Sacerdos poſsit abſoluere ab omnibus excommunicationibus, & qui nam ſint in articulo mortis, & ad quid tenentur ſic abſoluti. Cap. XXI.

IN articulo mortis quilibet Sacerdos poteſt abſoluere ab omnibus excommunicationibus, & peccatis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, & ante Concilium Tridentinum hæretici, Schiſmatici, excommunicati excommunicatione maiori, interdicti, & ſuſpenſi notorij, aut denunciati in articulo mortis, ſecundum multorum ſententiam non poterant abſoluere, etiam ſi non reperiretur alius Sacerdos, ſed modo per Concilium Tridentinum omnis ſcrupulus ſublatus eſt, generaliter enim loquitur dicens. *In Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt.* Imo credo hanc auctoritatem abſoluendi in dicto caſu eos omnes habere à iure diuino, cum iure diuino illi confiteri teneantur, ut Superius lib. ſecundo de Sacrificio Miſſæ capit. ſecundo diximus. Cui etiam non contrariatur ius poſitiuum, non enim credendum eſt, quod pia mater Eccleſia uelit per excommunicationem ſuſpendere iuriſdictionem quo ad articulum mortis, At ſi non reperirentur niſi Sacerdotes hæretici, & ſchiſmatici, melius eſſet in articulo mortis per ſolam contritionem ad Deum conuerti, quàm eis confiteri, propter ſubuerſionis periculum, ob quod periculum idem ius diuinum, quod ad confeſſionem in tali caſu obligabat, excuſat. Gloſſa uoluit quod etiã laici in articulo mortis poſsint abſoluere ab omnibus cenſuris, & peccatis, Abbas autem non approbat, quod poſſint abſoluere à peccatis, & benè, nam poſtea illa Gloſſa fuit damnata, & expuncta à Gregor. xiiij. quia iſta abſolutio eſt actus

Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 7.

Gloſ. in c. à nobis. 2. extr. de ſent. exc. Abb. in d. cap. a nobis.

ordi-

ordinis Sacerdotalis,Sed concedit Abbas, quod laici poſſint abſoluere à cenſuris. Sed hoc etiam eſt falſum, quia iſta abſolutio licèt non ſit actus ordinis, eſt tamen actus iuriſdictionis, quam iuriſdictionem non habent niſi iudices Eccleſiaſtici, qui ſaltem ſunt prima tonſura initiati,nec eſt eadem ratio laici, & ſimplicis Sacerdotis,vel parochi notoriè excommunicati, nam ſimplex Sacerdos licèt actualiter non habeat iuriſdictionem,illam tamē virtualiter habet per ordinem Sacerdotalem, & parochus excommunicatus habet iurisdictionem,ſed ſuſpenſam, at laicus illam nullo modo habet,quare quoad laicum non agitur de nō tollenda,uel non ſuſpendenda iuriſdictione,ſed de nouo danda,& in capaci,quod autem ei in tali caſu detur,nullibi habetur, Sed per d. Concilij auctoritatem tollitur etiam hæc difficultas, cum non dicat omnis homo, ſed omnis Sacerdos, ſignificando non poſſe id facere etiam alium clericum ſacris initiatum,quāto minus laicū.

Nau.c.27. nu.171. Ex hac tamen Abbatis doctrina elicimus cum Nauarro, quod in articulo mortis exiſtens,poteſt quis abſolui ſolum ab excommunicatione, Abbas hoc concedit cum abſolutio fit à laico, ſed nos qui tenemus laicum nullo modo poſſe abſoluere, dicimus tunc poſſe fieri quando in periculo mortis exiſtens, nullum peccatum poteſt exprimere,nec verbis,nec ſignis,tunc non poteſt ei dari abſolutio à peccatis, cum deſit materia, ſed poterit abſolui ab excommunicatione ſi aliqua tenetur. Nauarrus dicit hoc fieri poſſe quando oſtendit ſigna contritionis, ſed crederem, quod poſſet abſolui,etiam ſi eſſet impenitēs,nam certum eſt, quod impenitentes, & etiam inuiti poſſunt abſolui ab excommunicatione,licèt non ita facilè ſint abſoluendi, dicimus autem illum tunc abſoluendum eſſe ab excommunicatione, vt particeps ſit ſuffragiorum Eccleſiæ,& ne diabolus tantam in eum habeat poteſtatē, ſi fortè Deus hac via illius cor emolire,& illuminare dignetur, & ſi poſtea oſtenderit ſigna contritionis, dabitur etiam ei Extrema Vnctio,& ſepelietur in loco Sacro. Quod ſi moriatur ante abſolutionem ab excommunicatione cum ſignis contritionis,poterit poſt mortem abſolui,non tamen à quocumque Sacerdote,ſed vt inquit Nau. ab eo tantum, qui illum ſanum in vita poterat abſoluere.

Nau.c.26. nu.32. Quis ſit articulus mortis. Sed dubium eſt qui nam ſint in articulo mortis. Per articulum mortis non ſolum intelligimus periculum mortis ex graui infirmitate, ſed etiam quodlibet periculum morti vicinum, vt nauigatio per loca periculoſa in qua timetur naufragium,iter agere per loca inſidioſa, eſſe in loco ab hoſtibus obſeſſo, & telis impugna-

gna-

gnato, eſſe prægnantem, non enim quæcumque nauigatio, peregrinatio, & obſeſſio, habet ſecum probabile mortis periculum, & quando ſit hoc periculum, iudicio boni viri relinquitur.

Duo autem debet diligenter aduertere ſimplex Sacerdos, qui à caſibus & cenſuris reſeruatis abſoluit in periculo mortis, Alterum eſt, quod ſi poteſt haberi copia ſuperioris, vel potentis abſoluere. ex gratia, ſeu priuilegio, quale habent aliqui Religioſi, non abſoluat, ſed illum expectet. Alterum eſt, quod non abſoluat ab aliquo caſu Bullæ Cœnæ Domini, niſi præſtita cautione de ſtando S.R.E. mandato, vel ſatiſfaciendo, aliàs ipſe in excommunicationis ſententiam incidet. Duo notanda.

Dubium etiam eſt an ſic abſoluti euaſo periculo ad aliquid teneantur, & dicimus, quod abſoluti in articulo mortis ab eo, qui aliàs abſoluere non poterat, debent ceſſante impedimento ſe præſentare, quam cito commodè poſſunt, illi qui eos iure abſoluere poterat, quod non intelligitur quo ad peccata reſeruata, ſed quo ad excommunicationem, & niſi ſe repræſentent, reincidunt in eandem excommunicationem, & idem intelligendum eſt de his quos abſoluunt Legati Sedis Apoſtolicę, cum onere ſe præſentandi ſuis Ordinarijs, aut alijs quibuſlibet ad ſuſcipiendam pœnitentiam, aut ſatiſfaciendum ei quem iniuria affecerunt cap. eos de ſent. excom. in 6. Et ſecundum Caietanum, & Nauarrum non tenentur regulariter ſe præſentare perſonaliter, ſed ſatis eſt mittere procuratores ad id idoneos, Sed quoad excommunicationes Apoſtolicæ Sedi reſeruatas contrarium eſt dicendum, nam ſemper Canones videntur ſignificare, quod ipſi accedant, & hoc expræſsè habetur in cap. quod de his. extra de ſent. excom. vbi dicitur, quod in propria perſona accedant. Verùm ſi mittunt, & Papa, ſeu Pœnitentiarius, vel Legatus miſsionem admittunt, ſatisfecerunt. Se præſentet. Caiet. V. excômunicatio. c. 69 Nau. c. 27. nu. 46.

Qui poſsint abſoluere illos, qui non poſſunt accedere ad Sedem Apoſtolicam pro abſolutione ab excommunicatione ei reſeruata, & qui nam ſint iſti.
Cap. XXII.

SEd difficultas eſt de illis, qui non poſſunt pro abſolutione accedere ad Apoſtolicam Sedem in caſibus ei reſeruatis, pro cuius ſolutione placuit integrum cap. Quamuis extra de ſent. excom. hoc loco inſerere, cum in eo contineantur omnes legitimè impediti qui in alijs canonibus diuiſim ponũtur, Qui non poſsũt accedere.

& præ-

& præſentis quæſtionis deciſio habeatur. Capituli uerba ſunt. *Quamuis incidens in canonem latæ ſententiæ propter violentam manuum iniectionem iuxta proprias facultates eis ſatisfaciat, quibus iniurias irrogauit, non tamen aliter quam per Sedem Apoſtolicam, uel eius Legatum abſolutionis poteſt beneficium obtinere, niſi imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia, aut inopia, puerili, vel ſenili ætate, fragilitate ſexus, ſeu alia Corporis impotentia, ſiue quolibet impedimento Canonico retrahatur quominus Romanum Pontificem poſſit adire, uel niſi iuris beneficio à labore huiuſmodi excuſetur. Ceterum quibuſdam prædictorum, videlicet qui temporali impedimento laborant, exceptis pueris ſub debito iuramenti, quod ſecundum Eccleſiæ formam præſtare tenentur conſueuit iniungi, ut impedimento ceſſante ad Apoſtolicam Sedem accedant, mandatum ipſius humiliter ſuſcepturi.* Qui non poſſunt adire Apoſtolicam Sedem pro abſolutione, ſecundum iſtum canonem, & alios ſunt. Primo in articulo mortis exiſtentes, 2. infirmi perpetua vel diuturna infirmitate. 3. qui inimicitias habent, ob quas ſine nitæ periculo illam adire non poſſunt. 4. pauperes qui non ſunt ſoliti mendicare, illi autem qui ſoliti ſunt mendicare non excuſantur niſi fortè mendicando coniugi etiam, & filijs prouideant, & iter faciendo id præſtare non poſſint. 5 pueri, qui ante pubertatem excommunicationem incurrunt, licèt poſt eam ſolutionem petant cap. fin. extra de ſent. excom. 6. Senes. 7. mulieres omnes ob ſexus fragilitatem, & præcipue iuuenes, matrimonio iunctæ, & Moniales, 8. aliqua corporis impotentia detenti, ut cæci claudi. Subiūgitur in dicto capitulo. *Siue quolibet impedimento canonico retrahatur, quo minus Romanū Pontificem poſſit adire, uel niſi iuris beneficio à labore huiuſmodi excuſetur.* quia præter iſtos ſunt etiam alij, qui excuſantur, illi. ſ. qui habent canonicum impedimentum, id eſt, legitimum. Dupliciter autem impedimentum eſt canonicum, ſeu legitimum. Primo, quia eſt à lege expræſſū, qua ratione omnes prædicti excuſantur, & etiam filij familias, qui ſunt in poteſtate patris, niſi pater conſentiat, uel emancipetur, eod. tit. ca. Mulieres. Et ſerui qui in fraudem inciderunt in ſententiam excommunicationis Papæ reſeruatam, ut ſubtrahant ſe obſequio dominorum, aut quorum domini propter eorum acceſſum ad Apoſtolicam Sedem ſine ſua culpa graue damnum incurrunt, niſi ſit grauis & enormis exceſſus eod. tit. cap. Relatum, ſecus de famulo libero. 2. impedimentum dicitur canonicum, quia eſt legi conſonum, uel à lege tolerandum, quod tunc eſt ſecūdum Sylueſtrum, quando arbitrio boni uiri eſt æquale, uel maius aliquo expræſſo in lege; quia eadem cauſa, habet eundem effectum,

Impedimentū canonicum duplex.

Sylu. Abſolutio 4. §. 3. caſu 15.

ctum, & ubi eſt eadem ratio ibi idem ius; Sic habet legitimum
impedimentum, qui non poteſt ire niſi relinquendo in magna ne
ceſſitate uxorem & filios, & habens curam animarum, & non in-
ueniens Vicarium idoneum, & iuſtè timens notabile damnum
accepturas. Excuſantur etiam alij nullam habentes ex defectu,
vel conditione perſonali impedimentum, iuris beneficio, ut ſunt
Regulares, qui iuris beneficio, & uigore ſuorum priuilegiorum
poſſunt abſolui à ſuis Prælatis.

Duo dubia.

Cum iſtud capitulum, & alia, quæ dicunt prædictos excuſari à
labore eundi ad Romanum Pontificem, loquantur de excommu
nicatione incurſa ob clerici percuſſionem, duo hic occurrunt du-
bia. Primum eſt an idem etiam intelligatur de quacumque alia
excommunicatione Apoſtolicæ Sedi reſeruata. 2. an hæc etiā
intelligantur de illis excommunicationibus, ſeu caſibus ita reſer
uatis, ut non concedatur facultas ab illis abſoluendi niſi in arti-
culo mortis.

Primum dubium.

Quoad primum duæ ſunt ſententiæ. Prima eſt hoc intelligen-
dum eſſe ſolum de excommunicatione Papæ reſeruata ab grauē,
& enormem clerici percuſſionem, cum iura de illa loquantur, ita
ut pro aliarum abſolutione extra articulum mortis recurrendū
ſit ad Apoſtolicam Sedem, huius ſentētiæ fuit Innoc. licèt ab Ab-
bate citetur pro contraria ſententia, fuit etiam Abbas. Secun-
da ſententia eſt, quod idem etiam intelligēdum ſit de quacumq;
alia excommunicatione Papæ reſeruata, huius ſententiæ fuit Ab
bas in cap. de cætero, & licet in cap. quamuis contrarium tenne-
rit, tamen quod ibi dixit, interpætari poteſt cum Nau. vt loqua-
tur de abſolutione danda ab inferioribus Epiſcopo, qui non poſ-
ſunt niſi ex priuilegio, huius etiam ſententiæ fuerunt Sylu. Tab.
& Nau. qui etiam citant Ioa. And. & Fel. & Sylu. dicit eſſe commu
nem, & hanc ſententiam ſequimur, & probatur primo ex ca. eos
de ſent. excom. in 6. & ex ca. ea noſcitur, & cap. quod de his extra
eod tit. in quibus enumerantur aliqua ex prædictis impedimen-
ta, & ſtatuitur, quod habentes huiuſmodi impedimenta non mit-
tantur ad Apoſtolicam Sedem pro abſolutione ab excommunica
tione ei reſeruata, ſed abſoluantur ab Epiſcopo, iuramēto eis præ
ſtito, quod ceſſante impedimento ad Apoſtolicam Sedē, uel eius
Legatum accedent. & licèt rubrica, & Gloſſa ibidem dicant hæc
capitula loqui de excommunicatione ob percuſsionem clerici,
& forte Pontifices de illa loquuti ſunt, in corpore tamē iuris co-
rum determinationes abſolutè ponuntur, nulla facta mentione
de hac potius quam de alia excommunicatione Papæ reſeruata,

Abb. & Innoc. in ca. quamuis de ſent. excom. Abb. in c. de cętero eod tit. Sylu. Abſolutio 4. dub. 4. Tab. excō mu 5. caſu 40. Nau. c. 27 nu. 89.

& cap.

& cap.eos, ut dicunt Abbas, & Sylu. indubitatè hoc probant. Probatur ſecundo, ex identitate rationis, quæ etiam in alijs excõmunicationibus militat, nam ſicut reſeruatur Papæ excommunicatio ob grauem, & enormem clerici percuſsionem, ita etiam eodem tenore reſeruantur eidẽ multæ aliæ, ergo ſicut propter prædicta impedimenta poteſt Epiſcopus abſoluere ab illa excommunicatione, ita etiam poterit abſoluere ab alijs, Quod etiam æquitati, & Pontificali pietati conſonum eſt, quia aliàs ſequeretur, quod habens perpetuum impedimentum ſi uiueret centum annos nunquam poſſet abſolui ab excommunicatione Papæ reſeruata niſi in articulo mortis, & hoc quia Pontifex illum ſtante impedimento ad impoſsibile obligat, quod Pontificali pietati derogat, ita enim Pontifex medicinaliter excommunicat, ut tanquam pius pater deſideret quam primum filios ſuos abſolui, ne mors cuius neſcitur hora, eos ligatos inueniat, cap. qua fronte extra de appellat.

Secundũ dubium. Abb. in d. ca. de cætero. S. Ant. 3. p. tit. 24. ca. 47. Sylu. Abſolutio 4. dub. 4. Syl. Abſolutio 4. §. 3.

Quoad ſecundum dubium Abbas, & alij dicunt prædictos poſſe abſolui à ſuis Epiſcopis ab alijs etiam excommunicationibus Papæ reſeruatis, nec ullam faciunt diſtinctionem aut exceptionẽ, cum in omnibus ſit eadem ratio, & idem impedimentum. At S. Ant. & Sylu. dicunt hoc non eſſe intelligendum de illis excommunicationibus quas Papa ita ſibi reſeruat, ut abſolutionem extra articulum mortis prohibeat, & annullet, à quibus nullus extra illum abſolui poteſt niſi à Papa. Sed Syluester parum ſibi cõſtans, paulò ſuperius dicit, quod mulier falſatrix literarum Papæ, ſi nõ poteſt ire ad Romanam Curiam, uel habet aliud legitimum impedimentum, abſoluetur ab Epiſcopo, & tamen eſt caſus Bullæ Cœnæ Domini. Vt plenam huius dubij ſolutionem habeamus, notandum eſt, quod ferè omnia iura, quę concedunt Epiſcopis, ut extra articulum mortis poſſint abſoluere illos, qui aliquo legitimo impedimento non poſſunt accedere ad Papam, loquuntur de excommunicatione incurſa ob percuſsionem clerici, & Doctores id extendunt etiam ad alias excommunicationes Papæ reſeruatas, propter identitatem rationis, vt uidimus in dubio præcedenti, ſi ergo dantur aliquæ excommunicationes à quibus nullus quantumcunique impeditus extra articulum mortis poſſit abſolui à ſuo Epiſcopo, ratio non poteſt ſumi niſi ex diuerſitate reſeruationis, nec poteſt eſſe alia ratio, niſi quia Papa ſimpliciter & abſolutè prohibet, vt extra articulũ mortis ab illis nullus abſoluat, nam Papa tribus modis excommunicationes ſibi reſeruat,

Papa tribus modis ſibi reſeruat.

Primò abſolutè nullũ excipiẽdo caſum quo quis ab inferiori poſ-

ſit

ſit abſolui, 2. excipiendo aliquos caſus, quibus concedit Epiſcopis, vt abſoluant illos, qui legitime impediti, non poſſunt ad Apoſtolicam ſedem accedere. 3. excipiendo ſolum articulum mortis, & generaliter prohibendo, vt extra illum nullus abſoluere audeat, quæ diſtinctio non fit fruſtra, ſed quando conceditur, vt legitimè impediti poſſint abſolui, eſt expræſſio illius, quod eſt ſecundum ius commune, & declaratio reſeruatationis illarum excommunicationum, quæ abſolutè fit, nullo exceptuato caſu, nã impotentes iure excuſantur, cum ad impoſsibile nemo obligetur. At quando Papa prohibet, & irritat abſolutionem extra articulum mortis ab alio datam, non videtur ſimpliciter conceſsio facultatis abſoluendi in articulo mortis, cum hæc ſit potius à iure diuino, ut ſuperius diximus libro ſecundo cap. 2. ſed ſimpliciter prohibitio beneficij quod eſt ſecundum ius commune, quod ſcilicet non potentes accedere ad Apoſtolicam Sedem, poſsint abſolui à ſuis Epiſcopis, ergo ſecundum iſtam diſtinctionem, videtur quod ab iſtis excommunicationibus nullus quantũcumq; impeditus extra mortis articulum poſsit abſolui. Ex altera parte eſt, quod excommunicatio ob uiolentam manuum iniectionẽ in clericum eſt ſic reſeruata, vt in ſolo articulo mortis Papa abſoluendi facultatem Epiſcopis conceſſerit, 17. q 4. ca. Si quis ſuadente. Et tamen poſtea Papa ſæpe declarauit legitimè impeditos ab illa poſſe à ſuis Epiſcopis abſolui, & quæ iura concedunt de iſta excommunicatione, Doctores extendunt ad alias etiam excommunicationes Papæ reſeruatas, ergo cum iſta fuerit illius generis, vt extra articulum mortis fuerit prohibita abſolutio, & poſtea fuerit conceſſum, ſeu potius declaratum, quod legitimè impediti poſsint abſolui à ſuis Epiſcopis, videtur quod illa prohibitio intelligenda ſit de illis, qui non ſunt legitimè impediti, ut extra articulum mortis nullo modo poſſint abſolui. Propterea cum illa, quæ de iſta excommunicatione dicuntur extendantur etiam ad alias reſeruatas, videndum eſt, quid iura de ea diſponant, & Doctores dicant, & an ſit omnino eadem ratio aliarum excõmunicationum, & illarum præcipuè, quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini. Abbas in cap. peruenit de ſent. excom. diſtinguit cum Io. And. triplicem percuſsionem. ſ. leuem, mediocrem, & enormem, & dicit quod pro leui quilibet Epiſcopus poteſt abſoluere iure ſuo, auctoritate illius capit. pro mediocri nõ poteſt Epiſcopus abſoluere niſi priuilegiatos, pro enormi verò Epiſcopus regulariter non abſoluit niſi in neceſsitate, & vbi ſpecificè ſibi cõmittitur. Videtur ergo, ſecundum Abbatem, quod priuilegiati,

ideſt

ideſt, legitime impediti non poſſint abſolui à ſuis Epiſcopis niſi pro mediocri percuſſione,pro enormi verò extra articulum mortis à ſolo Pontifice ſint abſoluendi;pro quo facit ca. Relatum extra de ſent.exco.in quo ſtatuitur, quod ſeruus ſi enormiter percuſſerit pro abſolutione mittatur ad Apoſtolicam ſedem, nõ obſtante impedimento ſeruitutis,& damno domini. Nauarrus.ca. 27.nu.89.enumeratis omnibus ſupradictis impedimentis, dicit, quod ſic legitimè impediti non ſunt mittendi Romam,& poſſunt abſolui à ſuis Epiſcopis, ſed prius (niſi fuerit probabile periculũ mortis)conſulendus eſt Papa, & obediendum eius imperio, nec diſtinguit de mediocri, vel enormi percuſſione, ſed abſolutè loquitur. pro quo facit cap. Mulieres eod. tit. vbi dicitur, quod ſi dubium ſit de delicatis,an poſſint ſuſtinere laborẽ eundi ad Apoſtolicam Sedem,conſulatur Pontifex. Sed hoc quod dicit Nau. nihil eſt,nam ſi iura concedunt Epiſcopis, quod abſoluant legitimè impeditos,cum occurrit caſus, non eſt neceſſarium conſulere Papam, cum habeant auctoritatem à iure & non reuocatam, & ſi conſulendus eſt Papa, auctoritas à Papa toties conceſſa nulla eſt, nam abſoluent vigore commiſſionis eis ſpecialiter factæ. nec obſtat d.cap.relatum,quia ibi dicitur, quod conſulatur Papa quando dubium eſt an ſit legitimum impedimentum, at quando certum eſt eſſe legitimum, non eſt opus conſulere Papam. Concludamus ergo, quod Epiſcopi poſſunt abſoluere legitimè impeditos ſaltem,pro mediocri percuſſione,& eſt ſententia cõmunis.

Sed dubium eſt an illos etiam pro enormi abſoluere poſſint. Et ſecundum iura aliquos abſoluere poſſunt, & aliquos non poſſunt, de ſeruis & de Monachis enormiter percutientibus, iura expreſsè determinant, quod non poſſunt abſolui niſi à Papa extra eod.tit.ca.relatum & cap.cum illorum,& Gloſſa in cap. Monachi, & Abbas ibidem ex d. cap. id etiam deducit. At Moniales quantumcumque enormiter percuſſerint poſſunt abſolui à ſuis Epiſcopis, ita tenet Abbas in cap. de monialibus eod. tit. quod probat ex eodem cap. quia cum Papa ſibi non reſeruauerit caſũ enormitatis ſicut in Monachis, infertur quod quantumcumque exceſſus ſit enormis, Epiſcopus poteſt illas abſoluere,ne habeãt cauſam immiſcendi ſe inuerecundè cætibus uirorum.

Tria impedimentorum genera.

Si autem ea,quæ canones de hoc diſponunt, & canonum ratio benè ponderentur, tria inueniemus impedimentorum genera, primum eſt ex proprio, & perſonali defectu, propter quòd verè ad Apoſtolicam ſedem ſine graui vitæ, vel animæ periculo quis accedere non poteſt,vt infirmi perpetua, vel diuturna infirmitate,pau-

te,pauperes,ſenes,cæci, inimicitias habentes, & mulieres maximè iuuenes,propter animæ etiam periculum, Secundum eſt illorum, qui non poſſunt accedere propter præiudicium tertij, vt ſunt ſerui,& qui alios ſuo exercitio ſuſtentant. Tertium eſt illorum, qui iuris beneficio excuſantur,licèt nullum habeant prædictorum impedimentorum, quibus conceditur, ut à ſuis Epiſcopis poſſint abſolui,ut ſunt regulares,clerici ſimul in aliquo collegio viuentes,huiuſmodi etiam ſunt filij ſub cura patris exiſtẽtes. Inter hæc impedimentorum genera eſt maxima differentia, nam qui primo modo ſunt impediti,ſimpliciter sũt impediti, quia eſt illis impoſſibile ire ad Summum Pontificem, vel ſimpliciter, uel moraliter loquendo, qui tertio modo ſunt impediti propriè nõ ſunt impediti,& poſſent ire,ſed dicuntur impediti, quia iuris beneficio excuſantur, cum non ſint ſui iuris:Illi autem, qui ſecundo modo ſunt impediti,ſunt quidem verè impediti, ſed extrinſice,& impedimentum aliquando eſt leue,quia leue damnum, aliquando moralem impoſſibilitatem affert, quia contra charitatem,& contra ius diuinum eſſet ſuos in extrema neceſſitate,& periculo relinquere. hac diſtinctione ſuppoſita videamus,quid Canones diſponant de percuſſoribus clericorum. Canones prohibentes abſolutionem pro enormi percuſſione,non loquuntur niſi de ſeruis,& de monachis,qui verè poſſunt ire ſine vllo vitę propriæ,aut alterius periculo. Doctores concedunt,quòd Moniales poſſint abſolui,& Abbas,vt diximus probat ex eo,quod Canones quoad illas non excipiunt enormem percuſsionem, ſicut de ſeruis,& Monachis.

Ex quibus quatuor Concluſiones de mente canonum deducimus. Prima eſt ſi impedimentum legitimum eſt ratione propriæ perſonæ,propter quod,uel ſimpliciter non poteſt ire ad Apoſtolicam Sedem, vel non ſine magno damno, Epiſcopus poteſt abſoluere etiam pro enormi percuſſione.

Secunda concluſio. Si impedimentum eſt propter præiudicium tertij, ſi illi tertio ſit tale præiudicium, quod propter illud damnum excuſaretur, ſi eſſet eadem excommunicatione excommunicatus, poteſt abſolui etiam pro enormi; huiuſmodi ſunt illi, qui uxores, & filios ſuo exercitio ſuſtentant, & quos aliàs in extrema, vel magna neceſsitate, & periculo relinquerent.

Tertia concluſio. Si præiudicium tertij non eſt ita graue, vt lege charitatis,& naturali præualeat, Epiſcopus poteſt abſoluere pro mediocri,ſed non pro enormi, eſt caſus expreſſus de ſer-

uo in d.cap.relatum, & extenſio fit ad ſimiles.

Quarta concluſio. Si neutrum ſit impedimentum, ſed percuſſores ſint priuilegiati, ut ſunt regulares, clerici ſimul in aliquo collegio viuentes, & etiam filij maiores ſub cura patris adhuc exiſtentes, Epiſcopus poteſt abſoluere pro mediocri, ſed non pro enormi, de Monachis eſt textus clarus, & extenditur ad caſus ſimiles. Sed quo ad Regulares habuerunt poſtea multa priuilegia, virtute quorum poſſunt abſolui à ſuis ſuperioribus, ad quæ autem ſe extendant, ipſi qui habuerunt norunt.

Probãtur duę primæ concluſiones.

De duabus poſterioribus concluſionibus nullum eſt dubium, Sed dubium eſt de duabus prioribus, quia abſolutio pro enormi percuſſione extra articulum mortis uidetur reſeruata Papæ, Et probatur primo cum Sylueſt. ex cap. mulieres, cap. ea noſcitur, & cap. quod de his, ſupra citatis, quæ indiſtinctè, & abſolutè concedunt Epiſcopis facultatem abſoluendi propter prædicta impedimenta, nec vllam faciunt exceptionem. Et confirmatur primo ex Abbate, qui eadem ratione probat, vt diximus poſſe abſolui Moniales, & quando Abbas in ſupradicta diſtinctione percuſſionis, dixit Epiſcopum poſſe abſoluere priuilegiatos à mediocri percuſſione, ſed non ab enormi, ab enormi uerò non poſſe nisi in neceſsitate; per priuilegiatos non intellexit ſimpliciter impeditos, ſed Regulares de quibus excipitur, per caſum uerò neceſsitatis intellexit illos, qui propter aliquod impedimentum ire non poſſunt, cum ad impoſſibile nemo teneatur, & de illis nulla fiat exceptio. Confirmatur ſecundo, quia exceptio in vno, vel in aliquibus, regulam, & non excepta confirmat, l. nam quod liquidè.ff. de penu legata, & Gloſ. in l. quæſitum.ff. de fundo inſtruct. Et caſus excepti extenduntur ſolum ad eis ſimiles in quibus eſt eadem ratio. capit. cum dilecta extra de confirm. uti. uel inuti. At canones ſimpliciter dicunt impeditos poſſe abſolui, nec vllam faciunt exceptionem de enormi percuſsione, niſi quoad monachos, & ſeruos, ergo ſi iſta exceptio eſt extendenda, ad caſus ſimiles eſt extendenda, ſicut extendimus in tertia, & quarta concluſione, in reliquis autem in quibus non militat eadem ratio, quia impedimentum affert impoſſibilitatem ſaltem moralem, iſta exceptio non habet locum, ſed quoad illos abſolutionem pro enormi non exceptam, confirmat. Probatur ſecundo ratione, quia cum tales, ſi impedimentum ſit perpetuum, numquam poſsint adire Pontificem, ſequeretur, quod

quòd ſi centum annos viuerent, numquam poſſent abſolui niſi in articulo mortis, quod derogat Pontificali pietati. Et confirmatur primo, quia lex non debet obligare ad impoſsibile, & non ſolum ad impoſſibile naturale, ſed nec etiam ad impoſsibile morale, at iſti ſunt pœnitentes, & parati ſunt ſubire quamcumque pœnitentiam, & pro ea adire Apoſtolicam Sedem, ſed eſt illis impoſsibile ire, & per illos non ſtat, ergo eſt illis ſubueniendum, ut à ſuis Epiſcopis pœnitentia ſuſcepta poſſint abſolui. Confirmatur ſecundo, quia intentio Eccleſiæ eſt ut excommunicati pœnitentes facilè ſoluantur ne mors illos excommunicatione ligatos inueniat cap. qua fronte extra de Appellat.

Cum ea, quæ de excommunicatione ob percuſsionem Clerici Papæ reſeruata dicuntur, Communis Doctorum ſententia ad alias etiam excommunicationes Papæ reſeruatas extendat, applicando prædictas concluſiones ad alias excommunicationes, dicimus, quod Epiſcopi poſſunt abſoluere illos, qui ſunt impediti iuxta primam, & ſecundam concluſionem ab omni excommunicatione quantumcumque, & quomodocumque Papæ reſeruata, quia reſeruatio abſolutionis, extra articulum mortis intelligitur quoad illos, qui poſſunt ire ad Apoſtolicam Sedem, & non quo ad illos quibus id eſt impoſſibile, vt ſatis probauimus. Alios uerò, qui iuxta tertiam, & quartam concluſionem ſunt impediti, Epiſcopi poſſunt abſoluere ab excommunicatione ſimpliciter, & abſolutè Papæ reſeruata, ab illa autem, quam ita ſibi reſeruat, ut extra articulum mortis prohibeat abſolutionem, non poſſunt abſoluere.

Sed nihilominus de excommunicationibus bullæ Cœnæ Domini habenda eſt peculiaris ratio, & Epiſcopi, maximè Italiæ propter facilem ad Summum Pontificem recurſum, extra articulum mortis nullum quantumuis impeditum non conſulto Pontifice ab illis abſoluere debent, ſunt enim latæ contra enormia quædam, & atrociſsima ſcelera, ut ſic qui illa commiſerunt, magis confundantur, & cæteris maior timor incutiatur, quod idem etiam eadem ratione poſſent facere, quando occurreret enormis exceſſus, etiam ſi ab illo poſſint abſoluere, vt ſi filius occidiſſet patrem, idque eo magis quia ſi iſti non poſſunt ire ad Apoſto licam Sedem, Epiſcopus vel Confeſſarius poteſt ſcribere ſuppræſſo nomine, tamquam ad ſigillum Confeſſionis pertinens, ut habeatur ratio famæ, & nullo modo poſsit deueniri in cognitionem perſonæ, & quando de hoc timeretur non

debent ad id illos cogere, præſertim cum canones ſemper requirant, quod ipſi accedant, & non potentes accedere, non ob id obligant ad ſcribendum, vel mittendum, ſed excuſant; imo ut integrè confiteamur licèt ſit de iure diuino, non tenemur ſcribere peccata noſtra, etiam ſi certi eſſemus, quod multorum non recordabimur.

De obſeruandis in abſolutione, quæ datur ob aliquod prædictorum impedimentorum.
Cap. XXIII.

CIrca prædicta impedimenta, & abſolutionem, quæ ob aliquod illorum datur, ſunt ſeptem notanda. Primo, quod huiuſmodi impedimenta, quædam ſunt perpetua, vt fragilitas ſexus, cæcitas, &c. quædam ſunt ad tempus, vt infirmitas, inimicitiæ, paupertas. Secundo, quod iudicare de iſtis impedimentis, an ſint legitima, an perpetua, vel ad tempus, & vſque ad quod tempus, non pertinet ad illos, qui huiuſmodi impedimentis tenentur, ſed ad proprium Epiſcopum, & patet quia illi eſt commiſſa abſolutio. Tertio Epiſcopus non poteſt abſoluere illos, qui licèt propter aliquod impedimentum non poſsint accedere ad Apoſtolicam Sedem, poſſunt tamen ire ad Legatum, nam ad illum pro abſolutione, ire tenentur.

Hoc quod de Legato dicitur, Nauarrus, extendit etiam ad
Nau.c.27 num. 88. ad 4. illos, qui habent priuilegium abſoluendi ab excommunicationibus Papæ reſeruatis. Sed de Nuntio, & Commiſſario Apoſtolico id facilè ei concedo, cum Pontificis perſonam repræſen-
Contra Nauarrū. tent, non autem de Religioſis quibus Pontifex multa priuilegia concedit, nam per illa non intendit derogare Epiſcoporum auctoritati, ut non poſſint, quod iure eis conuenit, at Canones dicunt Epiſcopum poſſe abſoluere illos, qui propter aliquod canonicum impedimentum non poſſunt accedere ad Apoſtolicam Sedem, vel ad Legatum, nec vllam vnquam mentionem faciunt de aliquo priuilegiato, & priuilegia, quæ Papa Religioſis, & alijs Confeſſarijs concedit, ſunt in Epiſcoporum auxiliũ, & non in ſuppręſſionem auctoritatis illorum. Quarto Epiſcopus ante abſolutionem prouidere debet, quoad omnes quidē, ut iuxta proprias facultates, & meliori modo quo poſsũt ſatisfaciant illis, quibus iniuriam irrogarunt, petita ad id cautione idonea, vel ſi non habent, qui pro illis promittant, nec pignus dare poſſunt,

præ-

præſtito ſaltem iuramento, ſi ante abſolutionem ſatisfacere non poſſunt, Quoad illos autem, qui non habent impedimentum perpetuum, debent illis ſub iuramento iniungere, vt ceſſante impedimento ad Apoſtolicam Sedem accedant, mandatum ipſius ſuper illis pro quibus excommunicati fuerant, humiliter ſuſcepturi; exceptis tamen pueris quibus non eſt dandum tale iuramentum, d. cap. quamuis, nec eis iniungendum eſt, quod cum ad perfectiorem ætatem peruenerint ad Apoſtolicam Sedem accedant, imo etiam poſt pubertatem poſſunt abſolui ab excommunicatione reſeruata, in quam ante pubertatem inciderūt, cum propter defectum ætatis in qua fuit commiſſus exceſſus, rigor ſit māſuetudine temperandus, ca. pueris, extra de ſent. exco. Quinto falſo exiſtente impedimento, nulla eſt abſolutio.

Sexto ſi abſolutus ceſſante impedimento, quam cito cōmodè poteſt, arbitrio boni viri, non arripit iter, in eandem excommunicationem reincidit, etiam ſi Sedes vacet, nam vt inquit Abbas ſēper eſt Pœnitentiarius, qui gerit vices Summi Pontificis, cui ſe præſentare tenetur. Et hoc non ſolum intelligitur de excommunicatione Papæ reſeruata, ſed etiam de quacumque alia reſeruata, cum quis non abſoluitur ab eo à quo de iure poterat d. capit. eos, per quæ duo, tollitur omnis occaſio fingendi falſa impedimenta, & Eccleſiæ intentio ſeruatur. Et qui abſolutus à Papa, vel eius Legato cum iniunctione, quod Ordinario ſuo, vel alio pœnitentiam accepturus ſe præſentet, & paſſis iniuriam, ſeu his quibus propter hoc obligatus exiſtit, ſatisfactionem exhibeat competentem, ſi hæc cum primum commodè poterit, non curauerit adimplere, in eandem etiam excommunicationem reincidit d. cap. eos. Verùm cum pœnæ non ſint ampliandæ, ſed potius reſtringendæ, hoc ſecundum procedit ſolum in abſolutis à Papa, vel à Legato, ut exprimitur in canone, non autem in abſolutis ab alijs, qui ſi non obtemperauerint, non reincidunt in eandem excommunicationem, ſed ſunt iterum excommunicandi, licet Abbas contrarium tenuerit, ſed ita tenent Angel. & Tabiena, qui etiam citat Dominos de Rota, Petrus verò de Palude vtramque ſententiam probabilem tenet. (Abb. in c. quod de his de ſēt. exco.) (Abb. in c. porro de ſēt. exco. Ang. Tab. excō mun. 5. ca ſu 40.)

Septimo habentes legitimū impedimentū licet poſſint mittere ad Apoſtolicam Sedem, uel Legatum pro abſolutione, illos tamen ad id ius non obligat, ſed vult quod ſi poſſunt vadant, & ita ſunt abſoluendi. Et abſoluti ceſſante impedimento non debent mittere, ſed perſonaliter ire, cum Canones dicant, quod ipſi eant in propria perſona d. capit. quod de his. nam ſi non miſerunt (Palud. 4. diſt.)

cum ratione impedimenti ſuberat cauſa, qua ratione ceſſante impedimento, & abſoluti cum hac conditione, quod ſtatim ceſſante impedimento ipſi accedant, qua (inquam) ratione ab iſto labore, mittendo, vel ſcribendo, ſe liberabunt? Verùm ſi mittunt, vel ſcribunt, & admittitur, ſatisfecerunt.

De abſolutione fraudulenter obtenta.
Cap. XXIIII.

CVm aliquando contingat abſolutionem ab excommunicatione fraudulenter dari, & impetrari, Gloſa in capit. ex parte de offic. ord. conſtituit hanc differentiam inter excommunicationem, & abſolutionem, quod abſolutio ex falſa cauſa eſt nulla, at excommunicatio ex falſa cauſa tenet, Abbas ibidem repræhendit Gloſſam, & dicit eandem eſſe vtriuſq; rationem, cum enim excommunicatio, & abſolutio ſumant vires ab intentione excommunicantis, & abſoluentis, ſi intentio eſt excommunicandi, & abſoluendi, etiam ſi cauſa ſit falſa, utrumque tenet, ſin minus, neutrum tenet.

Sed dicimus eſſe maximam differentiam, nam abſolutio ab excommunicatione quantumcumque ex cauſa notoriè iniuſta, & iniqua, & contra ius tertij, tenet, etiam in foro conſcientiæ, vt probabimus, at excommunicatio lata ex cauſa notoriè iniuſta, & iniqua, eſt nulla, etiam ſi iudex excommunicare intendat, nam iura ſunt promptiora ad abſoluendum, quam ad excommunicandum diſt. 50. cap. ponderet de reg. iur. in 6. ca. cum ſunt, & propterea plura requiruntur ad excommunicandum, quam ad abſoluēdum, nam cum excommunicatio ſit ab Eccleſia ligante vi clauiū, & ſit talis naturæ, quod nullus eſt illa ligatus niſi Eccleſia liget, dependet ex voluntate iudicis Eccleſiaſtici, qui licet debeat iuſte excommunicare, nihilominus poteſt nō excommunicare, ſed aliam pœnam infligere, & conſequenter poteſt ex mera voluntate iuſtè excommunicatum abſoluere, quare ad excommunicandum non habenda eſt ratio ſolius intentionis, ſicut poteſt haberi ad abſoluendum ab excommunicatione.

Quo ſuppoſito ſit Prima concluſio, Abſolutio ab excommunicatione notoriè iniuſta, pro cauſa iniqua, & ad colorandum data ex cauſa falſa, vel ſimpliciter, & abſolutè, quia ſic placuit iudici, tenet, quia intentio iudicis eſt abſoluere, vt ſatis patet, & tenet etiam in foro conſcientiæ, licet mortaliter peccent ſic abſoluens, & abſolutionem procurans, nam cum ſic abſoluto licet commu-

nica-

nicare,& ipſe celebrans non efficitur irregularis.

Secunda concluſio Abſolutio à Iudice, rectè & ſincerè procedente,ex falſa cauſa obtenta,eſt nulla, patet quia abſoluit vigore cauſæ adductæ,& aliàs non abſolueret,quæ cum ſit falſa, abſolutio non tenet,vt ſi quis dicat ſe ſatisfeciſſe cum non ſatisfecerit, & ſi quis ſit excommunicatus ex pluribus cauſis, & pro ſolutione vnam ſolam afferat, & eſt textus clarus cap. ex parte extra de Off. iud.Ord.& ibidem Gloſſa.

Tertia cõcluſio. Excommunicatio lata ex falſa cauſa,dummodo id notoriè non conſtet, licet in cõſcientia non liget, eſt tamen ſeruanda ad euitandum ſcandalum,& peccatum, & ad obediendum Eccleſiaſticæ poteſtati,& tanto magis, quod poteſt eſſe quoad Eccleſiam iuſta, ut ſi ſit data ex falſis teſtibus, vel inſtrumentis,Eccleſia enim non iudicat de occultis.

De forma abſolutionis ab excommunicatione, & de requiſitis ad abſoluendum. Cap. X X V.

CVm hæc abſolutio non ſit Sacramentalis,ſed potius iudicialis,non habet præſcriptam certam verborum formã, ſed fit quibuſcumque uerbis intentionem abſoluendi ſignificantibus. Et licèt hoc ſolum quoad abſolutionis eſſentiam ſufficiat,ſi tamen excommunicatus ad aliquam reſtitutionem, vel ſatisfactionem tenetur, non debet abſolui niſi prius ſatisfecerit parti,vel dederit cautionem pignoratitiam, vel fideiuſſoriam,quod ſi præſtare nequit, ſaltem iuret ſe cum primũ poterit ſatisfacturum. in magnis etiam criminibus debet peti iuramentum de non committendis ijs propter quæ in excommunicationem incidit,& de ſtando mandatis Eccleſiæ, & abſolutio detur ſimpliciter,& abſolutè,& non conditionatè.

Si ille qui abſoluit habet abſolutam poteſtatem abſoluendi, & abſoluit non ſeruatis prædictis,abſolutio quidem tenet,ſed mortaliter peccat,propter iniuriam quam facit parti, & Eccleſiæ, At ſi eius facultas abſoluendi limitatur à canone,vel à ſuperiore, ita vt non poſſit abſoluere niſi ſeruatis præmiſſis, vel quæ habuit in mandatis,ſine illis abſoluens,abſolutio non tenet, defectu poteſtatis,imo aliquando ſic abſoluens, in excommunicationem incidit,vt ſi abſoluat ab excommunicationibus Bullæ cœnæ Domini in caſu ei conceſſo. Dixi ſi limitatur facultas abſoluendi,quia ſi iura ſimpliciter diſponunt ante abſolutionem illa præmitti, & delegans mandet abſolutionem fieri iuxta formam iuris, & non

Nau.c.27 nu. 37. irritent abſolutionem aliter factam, abſolutio tenet, ut bene inquit Nauarrus.

In ſolenni abſolutione, quæ datur publico excommunicato dicuntur aliqui pſalmi, verberatur excõmunicatus, & alia ſeruātur, quæ nõ requiruntur in priuata abſolutione, quæ tamen nõ debet nude fieri, ſed præmittēda eſt aliqua oratio, vel pſalmus, ita tamē vt non accipiatur liber ad legendũ, ne circumſtantes ſuſpicentur pœnitentem eſſe excommunicatum, ſed ſaltem dicatur Miſereatur, &c. licet non ſint de eſſentia.

Sicut poteſt quis pluribus excommunicationibus excommunicari, ita etiam poteſt abſolui ab una, & non ab alijs, & una generali abſolutione ab omnibus.

De generalibus abſolutionibus à cenſuris quas dat Papa, dum beneficia confert. Cap. XXVI.

QVoad abſolutionē generalē ab omnibus cenſuris, quam concedit Papa dũ beneficium, aut pēſionem cõfert, vel aliquā gratiam facit, notandũ eſt, quod non ſimpliciter abſoluit, ſed ſolũ quo ad illũ effectum, vt illa impetratio, & collatio ualeat, quæ alias eſſet nulla, & in reliquis oĩbus remanent, Vnde ſic abſolutus, ſi ingerit ſe diuinis eſt irregularis, & ſi ab Ordinario aliud beneficium obtinuerit, collatio erit nulla.

Et licèt abſolutio ab excommunicatione ad illum tantum effectum ſit generalis, cum clauſula ex quauis cauſa, vel occaſione proceſſerit excõmunicatio, & etiam ſi ex culpa impetrantis, hæc tamen generalitas non extenditur ad caſus particulares, in quibus Papa non abſolueret, nec diſpenſaret, & ſic à iure & à regulis Fel. in ca. Apoſtolicæ col. 1. de excep. Rebuf in praxi benef. par. 1. de for. nouæ prou. cācelleriæ reſtringitur, ita tenet Fel. & dicit hoc fuiſſe deciſum ab Innoc. 8. Vnde hæc generalis abſolutio, vt inquit Rebuf. non prodeſt hæreticis, nec ei qui inſorduit in excommunicatione vltra annum, nec falſum committentibus in literis Apoſtolicis, etiam ſi addant pũctum vel deleant, nec quibuſdam alijs ad Bullam Cœnæ Domini pertinentibus, & etiam alijs de cauſis excommunicatis, ſi per quatuor menſes ſcienter in excommunicatione permanſerint, iuxta declarationem Iulij. 3. Nec etiam prodeſt ei, qui finxit ſe familiarem, uel nepotē Cardinalis, vt facilius obtineret gratiam, quia ut inquit Rebuf eſt excommunicatus, nec eſt veriſimile quod Papa iſtum furem abſoluere velit.

Addo quod eadem ratione non prodeſt excommunicato per ſimoniā cõmiſſam in illo beneficio, vel penſione, & quod abſolu

tus poſtea in foro conſcientiæ, ſi ex alia cauſa impetret illud beneficium, ſeu penſionem, non facta mentione de ſimonia in illo commiſſa, impetratio eſt nulla, & ſurreptitia, quia per ſimoniam cõpletam factus eſt inhabilis ad illud beneficiũ, unde reſignare tenetur, & abſolutio ab excõmunicatione in foro conſcientiæ obtenta, nõ habilitauit eũ ad illud beneficiũ, & clauſula generalis in bullis apponi ſolita, quod non expręſſa habeantur pro expręſſis, non tollit inhabilitatem perſonæ, nec diſpenſationem inducit.

Quod generalis facultas abſoluendi vigore Bullarum, & indulgentiarum conceſſa, non extendatur ad hæreſim, & de abſolutis in foro conſcientiæ earum virtute. Cap. XXVII.

QVoad facultatem conceſſam Confeſſario electo vigore Iubilæi, abſoluendi ab omnibus peccatis & cenſuris etiam in Bullæ cœnæ Domini reſeruatis dicimus cum Couarruuio in hac generali conceſſione non compræhendi abſolutionem ab excommunicatione ex crimine hæreſis, & propterea confeſſarius vigore huius priuilegij, non poteſt abſoluere hæreticos, etiam pœnitentes, & magno cordis dolore crimen deteſtantes, quod de ſolis hæreticis intelligendum puto, & probatur, quia commiſſio generalis abſoluendi ab omni excommunicatione, non comprehendit illam excommunicationem, cuius abſolutionem veriſimiliter ipſe delegãs in ſpecie numquam commiſiſſet ca. in generali de reg. iur. in 6. vbi Gloſſa ad hoc propoſitum adducit ex ca. frater noſter 16. q. 1. quod generalis commiſſio facta Legato, non extenditur ad cauſas fidei, & confirmatur quia abſolutio generalis, à quacunque excommunicatione, ex quacumque cauſa, per Papam conceſſa ei cui aliquod eccleſiaſticum beneficiũ confert, non habet effectum quo ad excommunicationẽ ex cauſa hæreſis, ut diximus. Cõfirmatur etiã quia generalis facultas abſoluendi ab omnibus cenſuris, & pœnis, quam dat Papa in Iubileis, non ſe extendit ad irregularitatem, licet ſit pœna, vt inferius ſuo loco dicemus. Quod etiã probo, quia intẽtio Põtificis eſt dare illas Indulgentias & priuilegia Chriſti fidelibus, vt ad pœnitentiã cõuertãtur, & ut orent quidẽ Deũ pro hæreticorũ cõuerſione, ſed nõ ipſis hæreticis, vt illis mediãtibus cõuertãtur, & ad fideliũ cõmunionẽ recipiantur, vnde bullæ dirigũtur ad Chriſtianos, & nõ etiã ad hæreticos, quare virtute illarum hæretici nõ poſſunt abſolui. Iſta ſententia põt etiã dici S. Ant. quatenus aſſerit, eũ qui habuit facultatẽ generalẽ ab Epiſcopo abſoluendi

Cou. in c. Alma mater de ſẽt. exco. in 6. §. 11. n. 15

S. Ant. 3. p. tit. 24. c. 77. §. 1.

uendi à quacumque excommunicatione, non ob id poſſe abſoluere illum excommunicatum, ab ea, cuius abſolutionem non commiſiſſet in ſpeciali.

Nec obſtat ſi obijciatur primo, quia in bullis Iubilæi excipitur abſolutio à quibuſdam votis,& non excipitur crimen hęreſis ergo videtur, quod ab eo poſſit abſolui,cum exceptio regulam in contrarium,& non excepta,confirmet. Nam reſpondetur,quod caſus excepti ad ſimiles extenduntur,c.cum dilecta de conſ.vti. vel inuti.& ibid.Abb.& Dec. Si autem conſiderentur caſus, qui excipiuntur in his Bullis,& Iubileis,manifeſtum erit caſum hæreſis ex mente Pontificis maiori ratione cenſeri exceptum. Prætereа exceptio communiter fit quoad vota,& nõ quo ad crimina,& ſi alicuius criminis fieret exceptio, principaliter fieret hæreſis, quod eſt adeò graue, quod in generari commiſsione,& conceſſione non comprehenditur,ut diximus.

Nec obſtat ſi ſecundo obijciatur,quod ſecundum communem ſententiam id quod diſponitur in cap.quamuis extra de ſent.excom.ut Epiſcopi poſsint abſoluere ab excommunicatione ob percuſsionem clerici eos, qui legitimè impediti non poſſunt ire ad Apoſtolicam Sedem, idem intelligitur de alijs omnibus excommunicationibus Papæ reſeruatis,etiam ob crimen hæreſis. Nam reſpondetur cum Couarruuio eſſe diuerſam rationem, quia ibi tractatur de abſolutione ab excommunicatione concedenda ab Epiſcopo quando excommunicatus legitimè impeditus non poteſt ire ad Papam,& propterea non eſt mirum ſi illa deciſio extẽdatur ad omnes caſus in quibus adeſt eadem ratio,& idem impedimentum,at in præſenti caſu, excommunicatus non eſt impeditus,ſed poteſt accedere ad Papam, ibi tractatur de extenſione facultatis iure communi conceſſæ,hic agitur de extenſione priuilegij extra ius commune dati,quæ maximè differunt.

Abſolutio data excommunicato in foro conſcientiæ, vigore iubilei,aut etiam bullæ ad id ſpecialiter obtentæ, non prodeſt excommunicato in foro exteriori, niſi in literis Apoſtolicis expreſſè dicatur,quod etiam in iudiciali exteriori foro uim obtineat,ac ſit admittenda;plurimum enim detraheretur auctoritati iuriſdictionis Eccleſiaſticæ fori exterioris,ſi publicè excommunicatus, & denunciatus,ſecretè per Sacerdotem, ab eo ad confeſsionem, ui bullæ electum,ita abſolueretur,vt ea abſolutione obtenta,poſſit ſe diuinis ingerere,quaſi in contemptum Iudicis,qui eum excommunicauit,etiam ſi parti læſæ ſatisfeciſſet, eſt enim maxima differentia inter forum conſcientiæ, & forum contentioſum, & abſo-

abſolutus in foro conſcientiæ, poteſt accuſari, & condemnari in foro exteriori, Vnde in huiuſmodi literis Apoſtolicis dicitur, quod illa abſolutio proſit ſolum in foro conſcientiæ, & vſus Sacræ Pœnitentiariæ eſt, vt quoties petitur aliquid ad forum conſcientiæ, & iudicium animæ interius pertinens, id committatur cōfeſſario, vt abſoluat nullis teſtibus adhibitis, literis ſtatim poſt eius perfectam actionem laniandis, & dilacerandis. Quare ſic abſoluti, & etiam iniuſtè excommunicati, licet occultè, citra ſcandalum, poſſint ſe diuinis ingerere, & celebrare, publicè tamen debent, ſi excommunicatio ſcitur, illam ſeruare, aliàs celebrantes in foro exteriori habebuntur irregulares, & tanquam contemptores Eccleſiaſticæ cenſuræ punientur, in hoc enim exteriori iudicio, Eccleſia non iudicat de occultis, nec ſecundum ea, quæ fiunt in ſecreto foro conſcientiæ, hoc enim maximè neceſſarium eſt ad vniuerſalem totius Eccleſiæ auctoritatem conſeruandam, aliàs enim paulatim contemneretur, & eccleſiaſticus gladius eneruaretur, ſi ex eo, quòd excommunicatio prætenditur iniuſta, uel etiam ſi ſit notoriè iuſta, ab ea in foro conſcientiæ abſolutus, poſſet ingerere ſe diuinis, ac ſi non eſſet excommunicatus, ob quam cauſam innocentes debent patienter ferre ſi aliquando abſq; eorum culpa, priuantur diuinis officijs, & Sacramentorum perceptione, & potius obediendo mereri, quam contemnendo mortaliter peccare.

De excommunicatione, & peccato reſeruatis, per obliuionem omiſsis in confeſsione facta ei qui poterat abſoluere, an quilibet confeſſarius poſsit poſtea ab illis abſoluere.
Cap. XXVIII.

Circa propoſitam difficultatem. Videtur communis ſententia, quod quilibet confeſſarius poſsit abſoluere ab ex communicatione, & à peccato reſeruatis, in confeſsione facta ei qui vigore priuilegij, vel poteſtate ordinaria poterat ab illis abſoluere, per obliuionem ommiſsis, Ita tenēt Ang. Syl. Gab. Biel. Hadr. Nau. Couar. qui etiam citant Petrum de Palu de cuius ſola auctoritate mouentur, Sed Petrus de Palude loquitur ſolum de abſolutione ab excommunicatione data in foro exteriori, cuius verba ſunt, *Si ille qui abſoluit potuit ab omni ſententia, & voluit tunc ſufficit, quod ſi noluit ab omni, ſed a quibuſdam abſoluere, nunquam valet abſolutio, quoad ſententiam de qua abſoluens non cogitauit, nec abſoluiſſet, ſi cogitaſſet, de ſent. excom. ex parte, & ca. Officij,*

Ang. Confeſsio 1. q. 12. Sylu. Confeſsio 1. §. 7 Gabr. 4. d. 17. q. 1. Hadr. de conf. q. 4. §. ſi petas.

Si au-

Nauar. de pœn. d. 5. in c. Conſideret §. cautus. Couar. in ca. Alma mater de ſen. exco. in 6. §. 11. nu. 12. Palu. 4. d. 18. q. 5. ar. 3. conc. 4.

Si autem abſolutus credat, quod ſi ille ſciuiſſet, quod neſciuit, nihilominus abſoluiſſet eum, debet ſe reputare abſolutum ab omni. Alij hoc extendunt ad ſacramentalem abſolutionem à cenſuris, & à peccatis, qui ſunt duo caſus, & generaliter, & indiſtinctè dicunt, quod qui confeſſus eſt habenti auctoritatem abſoluendi à peccatis, & cenſuris reſeruatis, & per obliuionem reliquit caſum reſeruatum, poterit illud peccatum, ſeu excommunicationem confiteri poſtea Confeſſario non potenti abſoluere à reſeruatis, qui hoc caſu ab illis oblitis eum abſoluere poterit, quia iam fuit abſolutus ab habente facultatem, cum Sacramentalis abſolutio tollat etiam oblita, hac lege, ut ratione integritatis confeſſionis, confiteantur cum memoriæ occurrunt, ſed non neceſſario eidem Confeſſori.

Reſpondetur cum diſtinctione.

At iuxta tenuitatem ingenioli noſtri diſtinguendo dicimus, quod ſi pœnitens non uigore iubilei, ſed ordinariè confitetur illi cui ſunt reſeruati caſus, aut eius Vicario, vel Pœnitentiario, pro reſeruatis ſpecialiter deputato, & per obliuionem omittit caſum reſeruatum, non poteſt ab illo poſtea abſolui à Sacerdote non habente facultatem abſoluendi à reſeruatis, ſed debet redire ad illum, qui poteſt abſoluere à reſeruatis, & ratio eſt, quia cum pœnitens non acceſſerit ad eum occaſione caſus reſeruati, ſed quia ſolitus eſt ei confiteri, non intendit abſoluere niſi abſolutione ordinaria à non reſeruatis, quæ ei confeſſa fuerunt, & licèt conſequutiue abſoluerit etiam ab oblitis, & conſequenter etiam à ſibi reſeruatis, tamen, ſicut quando ſuperior abeſt, & non poteſt adiri, pœnitens ſi non eſt excommunicatus, poteſt interim abſolui à proprio Confeſſario directè à peccatis non reſeruatis, & pro reſeruatis remitti ad ſuperiorem, cui tenetur poſtea illa confiteri, cum non directè, ſed conſecutiuè, & per extenſionem fuerit ab illis abſolutus, ita etiam cum Superior, vel pœnitentiarius, non intenderit directè abſoluere à reſeruatis, ad illum pro eorum abſolutione redeundum eſt, vt abſoluendo oportunum, & ſalutare remedium adhibeat, qui eſt finis reſeruationis. At ſi confeſſio fit vigore Iubilei, & Bullæ conceſſæ à Summo Pontifice, in qua tribuit Confeſſori electo, plenam facultatem abſoluēdi ab omnibus peccatis, & cenſuris, etiam reſeruatis, illos qui ea adimpleuerint, quæ pro conſecutione Indulgentiæ diſponuntur, & per obliuionem pœnitens omittit excommunicationem, etiam Papæ reſeruatam, poſtea cū memoriæ occurrit, poterit ab illa abſolui à quocumque Confeſſario; & ratio eſt, quia abſoluens vigore huius priuilegij, abſoluit iuxta plenitudinem facultatis in priuilegio conceſſæ, & ita directè abſoluit ab omnibus, etiam reſeruatis, confeſ-

ſis, &

ſis,& oblitis,& conſequenter oblita deſinunt eſſe reſeruata,& sũt poſtea confitenda,non ut reſeruata, ſed ut confeſſio ſit integra. Quod intelligendum eſt quo ad illos,qui Iubileum,ſeu Indulgẽtiam,conſecuti ſunt,ideſt fecerunt ea, quæ diſpoſita fuerunt; & de abſolutione à peccatis,& cenſuris,& non de diſpenſatione, & votorum commutatione,nam qui non ſuerunt diſpenſati, durante Iubileo, eo tranſacto non poſſunt amplius illius virtute diſpenſari,quia ſpirata eſt facultas conceſſa; & ſi abſoluuntur poſtea ab oblitis,eſt quia tunc virtualiter per generalem abſolutionem, ab ſoluti fuerunt, non ſic autem datur generalis diſpenſatio, & uotorum commutatio,ſicut datur generalis abſolutio. De voti diſpenſatione, & commutatione.

Hoc idem intelligendum eſſet, quando pęnitens accederet ad Superiorem, vel eius Pœnitentiarium,pro abſolutione à reſeruatis,& dum confitetur per obliuionem omitteret aliquem caſum reſeruatum,eadem enim ratione poſſet poſtea abſolui ab inferiori à reſeruato oblito, quia ſuperior, vel Pœnitentiarius, ſciebat pœnitentem illum non eſſe ſolitum ei confiteri,ſed ad eum acceſſiſſe propter caſus reſeruatos, quos habebat, & illum directè à reſeruatis abſoluit, & conſequenter etiam ab alijs oblitis reſeruatis.

An teneat abſolutio ab excommunicatione ſub conditione data, & an excommunicatus ad tempus, indigeat abſolutione.

Cap. XXIX.

DVbium eſt de abſolutione ab excommunicatione data ſub conditione de futuro,an teneat, & an excommunicatus ad tempus,indigeat abſolutione. Communis ferè ſententia canoniſtarum,& ſummiſtarum, Gloſæ Abb. Ananiæ, Felini, Dec. Innoc. S. Ant. Sylu. & aliorum eſt, abſolutionem ab excommunicatione ſub conditione de futuro,eſſe nullam, & excommunicatum ad tempus indigere poſtea abſolutione,& dicunt excommunicationem in hoc differre à ſuſpenſione, & huius differentiæ rationem reddunt, quia pro excommunicatione eſt præſcripta certa forma abſolutionis cap. A nobis 2.ext. de ſent.excom. Gloſ. in Clem. 1. de Decimis. Abbas, & Ana. in c. cũ tu de vſuris.

Sed eorum pace dixerim, nulla in hoc eſt differentia inter excommunicationem, & ſuſpenſionem, nam abſolutio ab excommunicatione data ſine illa forma,cap. A nobis, & ſine ulla ſolennitate iure pontificio requiſita,tenet, & nullam habet certam for

mam

mam verborum præſcriptam,ſed fit quibuſcumque verbis inten
Cou. in c. tionem abſoluendi ſignificantibus,ſicut & abſolutio à Suſpenſio-
Alma ma ne,& Interdicto.Ex quo Couarruius,contra communem inquit,
ter de ſēt. quod abſolutio ab excommunicatione data ſub conditione de
excomm. futuro tenet,& quod excommunicatus ad tempus,donec.ſ.ſatiſ-
in 6. fecerit,tranſacto tempore,& ad impleta cōditione, eſt ipſo facto abſolutus,& non indiget alia abſolutione,& probat, quia iuxta communem ſententiam, ita eſt de ſuſpenſione, & eadem in hoc eſt utriuſque ratio, nam neutra habet præſcriptam certam uerborum formam eſſentialem. & in hanc ſententiam citat Paul. Eleaz. Immol. Zab. & Alciatum. & nos hanc ſententiam ſequimur,& dicimus, quod abſolutio debet quidem dari ſimpliciter, & abſolutè, ſed nihilominus ſi detur ſub conditione de futuro vel ad tempus, tenet.

Quòd autem hîc difficultatem facit, eſt, quia abſolutio Sacramentalis ſub conditione de futuro data,non tenet,Sed ratio differentiæ eſt, quia Sacramenta dant gratiam diſpoſito, & non eſt in poteſtate conferentis ſuſpendere, & differre effectum Sacramenti in aliud tempus, at abſolutio à cenſura eſt ſola remotio cēſuræ,quæ non requirit neceſſariò ex parte abſoluendi ſaltem attritionem,ſicut requirit abſolutio,& gratia Sacramentalis: nam poteſt abſolui etiam impœnitens,& inuitus,ſed ſufficit uoluntas abſoluentis,& ideò quibuſcumque verbis fiat, & pro quocūque tempore,& ſub quacumque conditione fiat,tenet Hînc eſt,quod iuxta communem praxim,& ſententiam, datur abſoluto cum reincidentia,& etiam poteſt ferri excommunicatio ſub conditione cap.Præterea.2.ext.de Appel.qua autem ratione ſuſpenditur excommunicatio iam lata,& etiam incurſa, eadem poteſt ſuſpendi abſolutio,& ut notat Gloſa in Clem.de Immun. Eccleſ. quam ſequitur,& cōmmendat ibid. Abbas, excommunicatus ex uiribus conſtitutionis reuocatæ, quæ habetur pro infecta, abſolutione non indiget, quod etiam ex illa Clementina deducitur, & ratio eſt, quia illa excommunicatio tollitur, & annullatur, ac ſi non fuiſſet lata.

De excommunicationibus reſeruatis Papæ.
Cap. XXX.

SAtis erit enumerare præcipuas excommunicationes, & illis enumeratis,circa illas,quæ ſunt frequētiores,aliquid breuiter annotare. Verùm excommunicationes Bullæ Cœnæ

Do-

Domini pro nunc omittam,& illas etiam quæ ſunt in corpore iuris,uel in Bullario,& ad dictam Bullam reducuntur, quales ſunt illæ cap.Non minus.ext.de Immun.Eccl.cap.Quamquã de Cenſ. in 6.cap.fin.de Immun. Eccl. in 6. & extrauag. Inter Apoſtolicas Greg. xiij. Difficultates etiam, quæ circa excommunicationes Bullæ Cœnæ Domini occurrunt, propter Eccleſiaſticæ immunitatis,& libertatis violationem,quæ Cõfeſſarios maximè torquẽt, omittam,nõ quod de huiuſmodi excommunicationibus dubitẽ, nam communem Theologorum,& canoniſtarum ſententiam, circa illos caſus quotidiè ferè occurrentes, ſequor, & amplector, nec ullo modo ab ea recedo,quæ autem iſta ſit,apud illos legas, Bullam facilè habebis,& illam inuiolabiter ſerua.

Sed cum modus explicandi, res difficiles, faciles reddat, fateor tale hîc poſſe adhiberi moderamen, & conſilium, quod Eccleſiaſtica immunitas inuiolata permanebit,& Principum redditus nihil,aut parum propter eam imminuerentur,& eorum,& miniſtrorum conſcientijs facilè conſuleretur. Et cum hanc materiam tractare nolim, ad tollendos ſcrupulos hoc ſolnm dicam, quod ſi impoſitiones proximè, & immediatè reſpiciunt vtilitatẽ Eccleſiæ,clerici de quorum neceſſitate,uel utilitate agitur tenentur illas ſoluere;Si à remotis,Canoniſtæ communiter dicunt eos non teneri,At leges,& Legiſtæ dicunt eos teneri,quod etiam inter Canoniſtas aſſerunt Gloſa Innoc.& Zab.in ca. Non minus de Immu. Eccl. qui cum hanc ſententiam probabilem reddanr, petant ſaltem Principes conſenſum Ordinarij. Si autem impoſitiones ſunt pro neceſſitate,uel utilitate,quæ non pertineat ad Eccleſiam,illas non exigunt à Clericis,ſed ſi quid ab eis uolunt, petũt à Papa; reducitur ergo difficultas ad gabellas redditum clericorum ad portas.Et qui habent priuilegium à Sede Apoſtolica illas exigendi,exigere poſſunt, qui autem non habent, adducunt pro ſe vniuerſalem conſuetudinem,præſcriptionem, tolerantiã, quod omnes ubique ſine propoſito abſtinendi abſoluuntur, & multi ſunt timoratæ conſcientiæ, & Sacramenta frequentantes, & quod cum excommunicatio ſumat vires ab intentione excommunicantis,non eſt ueriſimile,quod Papa velit illos omnes eſſe excommunicatos, præſertim cum tractet cum illis tanquam cũ non excommunicatis, & non intendat miniſtros quorum eſt obedire,& apud quos iſtæ rationes plurimum valent, illaqueare, cũ eius ſit pro obſeruatione declarare,& quod etiam non receptio, vel per contrarium vſum ſublato hîc aliquid operantur. De quibus nolo modò tractare. Sed quia potiſſima cauſa ob quam multi illos

Vtile documentũ. ti illos eis non remittunt, eſt quia multæ committerentur fraudes, cum maximo ipſorum detrimento, ideo dico, quod ad exonerandam conſcientiam, & ad euitandas fraudes, poſſet fieri cum clero compoſitio, quod illas ſoluant, & in fine anni iuxta redditus Eccleſiarum fiat reſtitutio, non clericis, ſed eorum Eccleſijs fabricæ. ſ. vel Sacriſtiæ, in actuali reſtauratione, vel ornamentorũ emptione, ſic enim etiam Eccleſiæ melius ſe haberent, & exiſtiment ſe eleemoſynam facere, Sed huius compoſitionis approbatio petenda eſſet à Summo Pontifice, quæ facta fuit Piſtorij, & approbata à Pio 2. anno 1464. & adhuc ſeruatur, de qua teſtificari, poſsũ cum in illa Ciuitate ſim natus. Et fortè in illis etiã Ciuitatibus facta fuit, in quibus ſingulis annis de publicis redditibus, Eccleſijs fiunt eleemoſynæ, ſed de alijs locis teſtificentur experti. Quæ autem clerici iter agentes pro eorum vſu portant, ſunt parui momenti, & ſi nolunt Principes ſic eorum redditus imminui, cum alias eleemoſynas faciant, illas potius imminuant, melius tamen eſt hoc facere, & illud non omittere.

Sed ut dixi de hac materia tractare nolo, Si autem cum cætera omnia tractem, quæ ad caſus conſcientiæ pertinent, hoc ſolum omitto, ideo feci, vt hanc elicias utilitatem, ne putes tibi, ſumptibus parcens, hunc meum tractatum pro caſibus conſcientiæ ſufficere, non enim tantum mihi tribuo. Et omnes hortor, ut ſummam emant quam D. Franciſcus Toledus, Illuſtriſsimæ ſocietatis Ieſu in lucem edet. cuius quanta ſit eruditio, non ſolũ Vrbs, ſed totus Orbis teſtimonium reddit; & ſi de minori ad maius, & de capite ad membra, argumentari licet, eſt omnium primus, nã Romæ, ubi ſunt ex toto Orbe viri doctiſsimi, quales nulla alia habet Ciuitas, omnes ei libenter cedunt, & ſummum illius admirãtes ingenium, in rebus difficillimis, eius quærunt, & amplectuntur ſententiam; Ego quidem, ſi illius ſumma in lucem edita fuiſſet, multa didiciſſem, quibus hic meus tractatus illuſtrior redderetur, ſi autem benigne lector, illa typis mãdata, inueneris me in aliquibus ab eius ſententia diſcrepare, mea relicta, illius ſequaris ſententiam, nam & ego mutata opinione, illam tenuiſsẽ, & hoc nõ adulandi cauſa dico, cum fuerit Præceptor meus, ſed pro rei ueritate, & doleo, quod ſub tanto Doctore, ita negligens fuerim, & parum profecerim; & ſi es Philoſophiæ, Caſuum conſcientiæ, & Sacrarum literarum amator, illius opera ſæpe præ manibus habeas, & re ipſa inuenies quantum in eis proficies, & quo doctior es, eo magis, nam ita breuitati, & facilitati ſtudet, ut doctis ampliſſimos ſpeculandi aperiat campos, & longe plura ſint

D. Franciſci Toledi opera.

quæ

quæ innuit,quã quæ dicit,& pcipuè in ſacrarũ literarũ,& diuinorũ explicatione,ut ſicut eſt religioſiſsimus, ita ẽt cõcionãdo,cõſilia dando, & ſcribẽdo ſupernaturali lumine appareat illuſtratus.

Sed ad rem noſtram reuertamur excõmunicationes Sedi Apoſtolicæ reſeruatæ,primo ſunt illæ omnes,quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini quas pro nunc relinquimus,ſunt.n.notæ,& oẽs Confeſſarij Bullam habere deben, quas etiam omnes Summiſtæ ponunt,& explicant,qui videri poterunt.Preter has excõmunicationes aliæ etiã multæ reſeruãtur Papæ,vel ſimpliciter,uel in aliquo certo caſu,quæ in corpore iuris,Cõcilijs,& Põtificum bullis habẽtur,& præcipuè,& magis in vſu ſunt ſequentes, Prima contra inijcientes manus violẽtas in clericũ,uel Monachũ, ſi percuſſio ſit grauis,& enormis,& cõſiliũ dãtes,aut aſſentiẽtes. 2. excõmunicatio lata à Delegato Papæ elapſo anno ei ad exequendã ſuã definitiuã ſentẽtiã conceſso. 3. lata ab Epiſcopo in habẽtes literas falſas Papæ,ſi eas intra viginti dies nõ deſtruãt, uel reſignent. 4 illa quã incurrũt clerici,qui ſciẽter,& ſpõte cõmunicãt cũ excõmunicatis à Papa,admittentes eos ad diuina officia 5. excõmunicatio,quæ fertur in incẽdiarios cũ denunciata fuerit. 6 cõtra ſacrilegos,qui effringunt,& ſpoliant Eccleſias poſt denunciationẽ. 7 cõtra uexantes excõmunicãtium affines, vel bona. 8 cõtra Inquiſitores, & deputatos officio Inquiſitionis ab Epiſcopo, qui procedere omittũt cõtra hæreticos,contra ſuã cõſcientiã, & iuſtitiã,uel falsò hæreſim imponunt. 9 cõtra religioſos adminiſtrantes Sacramentum extremę vnctionis,& Euchariſtiæ, aut benedicentes nuptias,ſine licẽtia parochi, aut abſoluentes excommunicatos à Canone præterquã in caſibus ſibi conceſsis. 10. contra Clericos,& religioſos,qui aliquẽ inducunt ad uouendũ,iurãdũ, aut promittendum eligere ſepulturam in Eccleſia ſua, aut quod non mutabit electã. 11 cõtra nobiles,& dominos tẽporales,qui cogunt aliquẽ,vi contra eum,vel eius cõſanguineos facta,ad celebrandum diuina in locis interdictis,aut aliquo ſigno conuocant populũ ad audiẽdum Miſſã in tali loco, & etiã qui prohibent ne excõmunicati,aut interdicti ab Eccleſia eijciantur, quando peragũtur diuina officia, qui admoniti à Sacerdote nominatim nolũt exire. 12 cõtra exẽterãtes mortuos ad eos cõſeruãdos, aut eos cõcidẽtes in fruſtra,& eos coquẽtes,vt oſſa carnibus denudata deferãt,& ſepeliãt in alio loco,& eos qui hoc fieri iubẽt.13 cõtra dãtes,& recipiẽtes aliquid ob ingreſſũ in aliquod Monaſteriũ 14.cõtra cõmittẽtes ſimoniã in ordine,uel in beneficio, & eius mediatores.15.cõtra fratres Ordinis mẽdicantiũ ſine ſpeciali facultate

1.17. q.4. ca. ſi quis ſuadente extra de ſent.exco. ca.mulieres. 2. ext. de off. deleg. cap. quærenti. 3.extr. de crim. fal. ca. dura. 4. extr.de ſent.exco. ca. ſignificauit. 5.cod. tit. ca. tua. 6.ibid. ca. cõquæſti. 7. de ſent. exco.in 6. c. quicumque. 8. in Cle. 1. §. uerũ de hæret. 9. in Cle. 1.de priu. 10. in Cle. cupientes §. fin. de pœn. 11.in Cle. grauis de ſent.exco. 12. in extrau. 1. de ſepult. 13.in extr. 1.de ſymo. 14. in extra. Pauli 2. de ſym. 15. in extra. Martini. v. de reg.

Papæ migrãtes ad nõ mẽdicãtes, excepto ordine Carthuſianorũ & eos admittentes. 16 cõtra dicẽtes peccare mortaliter eos, qui credũt B. Virginẽ fuiſſe cõceptã cũ peccato originali, uel ſine eo. 17. cõtra cõmiſſarios aut delegatos ad cognoſcendũ an alienatio bonorũ eccleſiaſticorũ fiat inutilitatẽ euidẽtẽ Eccleſiæ, qui amore, timore, aut pecunia, in grauamen, aut detrimentum Eccleſiæ, decretũ, uel auctoritatem interponunt. 18 contra ingredientes monaſteria Monialium Minorum, & Prædicatorum ſine licentia, contra componentes, proferentes in lucem, aut habentes libellos famoſos in detractionem ſtatus Prædicatorum, vel Minorũ. Greg. xiij. excommunicauit etiam impugnantes inſtitutum, & cõſtitutiones Societatis Ieſu. 19 contra peregrinantes in Hieruſalem ſine licentia Papæ. 20 contra Cardinales reuelantes ſecreta Conſiſtorij. 21 contra prædicantes miracula falſa, uel incerta, vel prophetias, quæ non continentur in Sacra ſcriptura. 22 contra Cardinales, qui Sede vacante aliquomodo præſumunt facere, vel attentare contra ordinata à Iulio 2. vt ſine Symonia eligatur Papa. 23 contra duellantes, & eorũ fautores, & ſpectatores, quę eſt Pij 4. de qua uide inferius inter nõ reſeruatas, ex Conc. Trid. 24, cõtra occupãtes alicuius Eccleſiæ, ſeu cuiuſuis ſęcularis, vel regularis beneficij, Montiũ pietatis, aliorumq; piorũ locorum iuriſdictiones bona cẽſus ac iura etiã feudalia, & emphiteotica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumq; euentiones, quæ in miniſtrorum, & pauperum neceſſitates conuerti debent, per ſe, uel per alios, quacumq; arte, vel quæſito colore, & non poſſunt ante reſtitutionem abſolui, etiam ſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate. 25. contra omnes accipientes priuilegio, uel conſuetudine, aliquid ex fructibus primi, uel ulterioris anni beneficij uacantis, in beneficij collatione, vel alia prouiſione, ſiue ad poſſeſſionem admiſſione, & particulares quidem perſonæ excommunicãtur, Epiſcopi uerò ſuſpenduntur, & capitula interdicuntur, per quã cõſtitutionẽ non præiudicatur fabricæ, Sacriſtiæ, & alijs pijs operibus, nec etiã capitulis, mẽſis aut perſonis, quibus fruct⁹ beneficiorũ uacantiũ, ante collationem, ſeu poſſeſſionis appræhẽſionẽ, ex ſtatuto, cõſuetudine, vel priuilegio ſunt applicati, ut ibidẽ declaratur. 26. in quomodolibet offendentes miniſtros Inquiſitionis, teſtes, accuſatores, &c. ſcripturas & proceſſus occultantes, &c. & quomodolibet Inquiſitorũ Officiũ impedientes. 27. in eos, qui Chriſtianos habitãtes in terris occupatis à turcis, capiũt in ſeruos, & nolunt eos relinquere liberè cum ſuis bonis. 28. cõtra clericos, religioſos, laicos utriuſq; ſexus, ſiue familiares curię

ſiue

16. in extra. graue de rel. & uen. Sãct.
17. Paul. 2. in extr. cũ in omnibus.
18. refertur a S. Ant. 3. p. ti. 24. c. 7. Greg. 13. in extrau. aſcendente.
19. refertur a S. Ant. ibid.
20. in Cõci. Lat. ſub Leone 10 ſeſſ. 9.
21. in eod. Conc.
22. In extra. Iulij. Cum tam
23. In extra Pij. 4. ea quæ.
24. Conc. Trid. ſeſſ. 25. de ref. c. 11.
25. Pius V. in extr. Durum.
26. Pius v. in extrau. ſi de protegendis.
27. Pius v. in extrau. licet.
28. lata a Bonif. 8. & renouata à Greg. 13. in extrau. ab ipſo.

ſiue quoſcumq; alios, qui aliquod pactū faciunt, ſeu quid paruū,
vel magnū promittunt, vel promiſſioné recipiūt, aut ex pacto, vel
promiſſione occulta, uel manifeſta, ſiue ſub uerbis generalibus, &
plené nō expræſſis, ſiue ſpecialibus, & aperté expræſſis facta, quic
quā dant, aut recipiunt pro iuſtitia ſiue gratia, ſiue pro ſe, ſiue pro
alio, in cauſis, vel iudicijs, ſeu aliàs per literas Apoſtolicas, & qui
buſcumq; alijs modis apud Sedem Apoſtolicam obtinenda con-
tra illos etiam qui intra triduum non renunciant Papæ, eum quē
in culpa eſſe ſciunt, uel alicui per quē fideliter ad Papā referātur.
29 habetur in extrau. Inter Apoſtolicas Greg. xiij. & reducitur 29. Greg.
ad Bullam Cœnæ Domini. 30 in omnes Abbatiſſas, & Moniales 13. in ex-
exeuntes à Monaſterijs quacumq; de cauſa, excepta magni incen tra. Inter
dij, vel ægritudinis lepræ, uel epidimiæ probatæ literis Superio- Apoſtoli-
ris, & Epiſcopi, & in dantes licentiam, & eas recipiētes. 31. quæ cas.
eſt Pij v. contra omnes mulieres etiā Duciſſas ingredientes clau- 30. Pius v. in extrau.
ſtra Monaſteriorum virtute cuiuſcumque facultatis à Sede Apo- Decori.
ſtolica obtentæ, quas omnes reuocat. Greg. xiij. eādem excō- 31. Pius v.
municationem renouauit, & ampliauit, ut compræhendat omnes in extrau.
mulieres ingredientes clauſtra monaſteriorum virorū, & etiam Regula-
Monialium, & omnes viros ingredientes clauſtra locorum Mo- rium.
nialium cuiuſcumque ordinis ſint, & loquitur de ingredientibus Greg. 13.
prætextu licentiæ, non ſolum ab Apoſtolica Sede obtentæ, ſed in extrau.
etiam ab Epiſcopis, vel Superioribus; qui non niſi in caſibus ne- vbi gratiæ
ceſſarijs illas concedere poſſunt, & excommunicat etiam Abba-
tiſſas, Abbates, & quoſcumque alios ſuperiores, illos, ſeu illas in-
tra clauſtra admittentes, licentias reuocat, & irritat, & abſolutio
nem extra articulum mortis ſibi reſeruat. Idem poſtea decla- Greg. 13.
rauit Epiſcopos etiam ſi ſint Cardinales, & Prælatos tam ſecula- in extrau.
res, quam regulares, alioſque omnes quibus cura, & regimē Mo- dubiis.
naſteriorum Monialium quouis modo incumbit, facultate ſibi
ex officio attributa ingrediendi Monaſteria, non poſſe id facere
niſi in caſibus tantum neceſſarijs, & à paucis ijsq; ſenioribus, ac
religioſis perſonis comitati, & extra caſus neceſſarios ingredien-
tes ſi Pontificalis fuerint dignitatis, prima uice ingreſſu Eccleſiæ
interdicuntur. ſecunda vice, ſuſpenduntur à munere pontificali,
& à diuinis, deinceps excommunicantur, regulares verò, omni
officio ac miniſterio priuantur, & excommunicantur. Sed hanc
excommunicationem ſibi non reſeruat. Nauarrus dicit Pium v.
declaraſſe intentionem ſuam fuiſſe excommunicandi etiam in-
gredientes ſine prætextu licentiæ, ſed Bullæ tam ipſius, quam
Gregor. non loquuntur niſi de ingredientibus ſub prætextu li-

 centiæ.

32. Sixtus v. in conſt. cũ de omnibus.

centiæ. 32 contra ſuperiores Religionum admittentes ad habitum, vel ad profeſſionem non ſeruata conſtitutione Cum de omnibus. Sixti V.

De excommunicationibus Epiſcopis reſeruatis, uel partim Papæ partim Epiſcopis, partim neutris. Cap. XXXI.

1. in c. per uenit ext. de ſent. ex com.

4. in c. nuper. & c. ſi concubinæ ext. de ſent. exc.

5. in c. eos de ſent. exco. in 6.

EPiſcopo primo reſeruatur excommunicatio ob leuem percuſſionem clerici, uel Monachi. 2 illa quam fert Epiſcopus per ſuum ſtatutum, reſeruando ſibi abſolutionem. 3. excõmunicatio Papalis cuius abſolutio ob aliquod iuſtũ impedimẽtum cõceditur inferiori, quia illam debet dare Epiſcopus, & non alius inferior. 4. excommunicatio à iure lata contra ſcienter participãtes cum excõmunicato in crimine, ob quod eſt excõmunicatus, cuius abſolutio eſt reſeruata ei, cui eſt reſeruata abſolutio excommunicationis ob crimen in quo participãdo eã incurrũt, quæ conſequenter aliquando eſt Papalis; aliquando Epiſcopalis, aliquando nemini reſeruatur. 5 excommunicatio à iure lata in eũ qui ob periculũ mortis, vel aliud iuſtũ impedimentũ fuit abſolutus ab eo, qui aliter nõ potuiſſet, ſi ceſſante impedimẽto, quam cito comodè poteſt non ſe repræſentat Superiori, à quo debebat abſolui, vt obediat eius mãdato, & in eum, qui abſolutus à Sede Apoſtolica, aut eius Nuntijs, cum onere ſe præſentãdi Ordinario, aut Iudici, quam cito comodè poteſt, & non ſe præſentat. Et hæc excommunicatio eſt eiuſdem conditionis cum illa, à qua fuit abſolutus, ſi illa erat reſeruata Papæ, ſimiliter & iſta, ſi Epiſcopo, & hæc quoque.

1. 23. q. 5. c. adminiſtratores.

2. extr. de elect. c. licet.

3. extr. de locat. c. 1.

4 extr. de immun. eccl. c. nõ minus.

5. ext. c. nõ magnopere, & c. ſuper ſpecula. ne cler vel Mona. & eod. tit. in 6. ca. 1.

De excommunicationibus nemini reſeruatis. Cap. XXXII.

OMiſſis illis excommunicationibus, quæ non ſunt in vſu, & illis quæ poſtea fuerunt poſitę in Bulla Cœnæ Domini, excõmunicationes nemini reſeruatæ ſunt iſtæ, quibus excõmunicantur. 1. Gubernatores & Iudices, qui ter admoniti ab Epiſcopis, & alijs eccleſiaſticis, omittunt ius illis reddere. 2. conſentiens ſuæ electioni in Papã, ſi non eſt ſaltem à duabus partibus Cardinalium electus, & eum recipientes in Papam. 3. Doctores & Scholaſtici vniuerſitatis Bononiæ, conducentes domos alterius Doctoris, vel ſcholaſtici, ſine eius conſenſu ante finem termini. 4. habetur in capit. non minus extr. de immun. Eccleſ. & pertinet ad Bullam Cœnæ Domini. 5 religioſi, qui exeunt à ſuis monaſterijs, ut audiant leges, uel medicinam,

nam,& audiunt,& intra duos menſes ad illa non redeunt, & clerici,qui habent dignitatem,uel perſonarum,quãuis non ſint præsbyteri,& præsbyteri qui dictis duobus menſibus audiũt. 6 Sacerdos,qui eſt Vicarius alicuius Præfecti ſecularis, ſi admonitus nõ relinquit præfecturam. 7. facientes obſeruare ſtatuta,& con ſuetudines inductas contra libertatẽ Eccleſiaſticã,& ea facientes ſcribentes,&c. niſi ex libris radant. 8 mittentes literas, vel nunciũ,uel clam loquentes Cardinalibus incluſis in Conclaui,& Domini Gubernatores,& alij Magiſtratus, ſeu officiales Ciuitatis vbi creandus eſt Papa, qui diligenter obſeruare non faciunt omne id quod eo tempore faciendum eſſe ſtatuitur in d.ca.Vbi periculosũ. 9 illi qui per ſe uel alios vexare præſumpſerint aliquã perſonam Eccleſiaſticam,uel alia loca pia, quia rogati,uel inducti noluerunt eligere eum pro quo rogabantur, ſeu inducebantur, vel eorum conſanguineos, &c. 10. illi qui vſurpare conantur nouè ius cuſtodiendæ alicuius Eccleſiæ vacantis, præſumunt capere aliqua illius bona. 11. accerſitus in directorem electionis Monialium,non temperans à rebus ex quibus naſci, uel ali poteſt diſcordia. 12 pars incitans conſeruatorem ad procedẽdum in eis quæ non continent apertam uiolentiam,vel iniuriam, & quæ requirunt altiorem indaginem 13 illi, qui ui,aut metu conſequũtur abſolutionem, uel reuocationem ſentẽtiæ excommunicationis,interdicti,uel ſuſpenſionis. 14. fingentes caſũ quo Iudex eat ad accipiendum teſtimoniũ alicuius fœminæ. 15. compellentes Prælatos,uel alias perſonas Eccleſiaſticas ad perpetuũ, uel in longum tempus ſubmittendum Eccleſias,bona immobilia,aut iura earum laicis in caſibus iure prohibitis, & illi, qui aliquid horum habentes,per contractum licitè factum, vſurpant plus quam per illum eſt illis permiſſum,& admoniti non deſiſtunt. 16 inſtituentes ſine ſpeciali licentia Papæ nouum ordinem religionis, & accipientes nouum illius habitum. 17 habetur in c. quamquam de cenſ.lib.6. 18. habetur in c.fin.de Immun.eccl.lib.6. & reſeruantur in Bulla Cœnæ Domini. 19 religioſi temerè relinquentes habitũ ſui ordinis;de quo videatur etiã Conc.Trid. ſeſſ.25.c.19. 20. Religioſi,qui eunt ad aliqua ſtudia etiã theologica, ſine licẽtia ſui Prælati,aut cum ea,ſine conſilio maioris partis conuẽtus. 21 Doctores qui docent leges,aut medicinam religioſos, qui reliquerunt ſuum habitum,aut eos arroganter in ſuis ſcholis detinent. 22 præſumentes ſcienter ſepelire hæreticos, eorum fautores, &c. in loco ſacro, & non abſoluantur quouſque proprijs ſuis manibus è ſepultura extrahant, & foràs mittant. 23. illi, qui

6.ext.cap. clericis Ne cleric. vel mon.
7 ext.c.nouerit de ſẽtẽt. exco.
8.c vbi periculosũ de ele.ĩ 6
9.c. ſciant cuncti de elect.in 6.
10.c.generali de electi. in 6.
11.ca. indẽnitatibus de ele.ĩ 6
12.c.ſi. de Offic. deleg. in 6.
13.c.1. de his quæ ui lib. 6.
14 c.2.de Iudicijs. lib. 6.
15. c.2.de rebus eccl. lib. 6.
16.c.1. de reli. dom. lib.6.
17.c.quanquam de cenſ.lib.6
18.c.ſi. de immu. Eccl.lib. 6.
19.in c. 2. ne cler. uel mon. lib. 6.
20.ibid.
21. ibid.
22.c.2. de hæret.li.6.
23 c. vt inquiſitionis de hæret. lib. 6

qui habent iuriſdictionem temporariam, & non obediunt Epiſcopis, & Inquiſitoribus, in requirendis, præhendendis, & cuſtodiendis hæreticis, quæ ſi faciunt in hæreticorum fauorem reſeruatur in Bulla Cœnæ Domini 24 qui per aſſaſſinos interficiunt aliquem chriſtianum, vel iubent interfici, licet non ſequatur mors, aut receperint, defenderint, vel celauerint. 25. Clerici, qui non ſunt Epiſcopi permittentes verſari in ſuis terris fœneratores, vel illis locantes, vel alio prætextu concedentes domos ad vſuras exercēdum, Epiſcopi uerò ſuſpendūtur. 26. concedentes, vel extendentes repræſalias ad eccleſiaſticos, vel eorū bona, niſi intra menſem reuocauerint. 27. illi, qui capiunt fructus beneficij, impediunt, vel infringunt ſequeſtrum inductum ſuper beneficio ab Ordinario, ob latam in Curia Romana ſententiam diffinitiuam ſuper poſſeſſione, vel proprietate eiuſdem. 28. ſepelientes aliquem in loco ſacrato interdicto, in caſibus nō permiſsis, aut interdictos nominatim, uel excommunicatos publicos, aut vſurarios manifeſtos. 29 Religioſi vſurpantes decimas eccleſijs debitas, & non permittentes ſolui decimas Eccleſijs animalium ſuorum familiarium, &c. 30. Religioſi, qui petunt aulas Principum animo nocendi ſuis Prælatis, aut Monaſterijs. 31 Monachi ſine facultate Abbatis habētes arma intra clauſtra Monaſterij. 32. præſumentes impedire viſitatores Monialium in eo, quod ſtatuitur in dicta Clem. ſi à Viſitatoribus admoniti non ceſſant. 33. fœminæ, quæ ſequuntur ſtatum beguinarum, vel de nouo inſtituunt, & religioſi, qui eas conſilio, & fauore iuuant. 34. illi, qui ſcienter in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis prohibitis, uel cum Monialibus contrahunt, & Religioſi, Moniales, & Clerici in ſacris ordinibus conſtituti matrimonium contrahentes. 35. Inquiſitores, & commiſſarij Inquiſitorum, aut Epiſcopi, vel Capituli Sede vacante, qui prætextu ſui officij illicitè ſumunt pecuniam aliquam, & qui ſcienter confiſcant bona Eccleſiaſtica. 36 omnes officiales Ciuitatum qui faciunt, ſcribunt, vel dictant ſtatuta, vt ſoluantur vſuræ, vel quod ſolutæ non poſſint repeti, & illi qui iudicant vſuras eſſe ſoluēdas, aut non eſſe repetendas ſolutas, & qui ad id poteſtatem habētes, non eradicant è libris talia ſtatuta, vel conſuetudinem vim eorū habentem. 37. religioſi mendicantes, qui accipiunt nouas domos, vel noua loca in habitationem, vel commutant, vel alienant acquiſita ante Concilium Lugdunenſe aliquo titulo. 38. religioſi, qui concionantur, vel aliàs dicunt aliquid ad auertendos audientes à ſoluendis decimis eccleſijs debitis. 39. religioſi,

qui

24. c. 1. de homic. li. 6.
25. c. 1. de uſu lib. 6.
26. c. 1. de iniurijs li. 6.
27. in Clem. 1. de ſequeſt. poſſ. & fruct.
28. in Clemen. 1. de ſepul.
29. in Clemen. 1. de Decim.
30. in Clemēt. ne in agro de ſtat. Monach.
31. ibid.
32. in Clemen. attēdentes de ſtat. Monach.
33. in Clemen. 1. de reli. dom.
34. in Clemen. 1. de conſan.
35. in Clemen. 2. de hæret.
36. in Clemen. 1. de vſur.
37. in Clement. cupiētes de pœn.
38. ibid.
39. ibid.

qui de induſtria nullum conſcientiæ ſcrupulum incutiunt in confeſſionibus pœnitentibus de ſolutione decimarum, & poſtea non expiata hac negligentia cum commodè poſſent, præſumpſerint concionari. 40. religioſi non ſeruantes interdictum, vel ceſſationem à diuinis, quam ſeruat Eccleſia cathedralis, uel matrix, vel parochialis oppidi. 41. impugnantes literas electi Papæ antequam coronetur. 42. Comentantes Clementinam exiui, de verb. ſigni. quæ declarat regulam. S. Franciſci. 43. imprimentes librum, vel quamlibet ſcripturam, uel imprimi facientes ſine licentia. 44. illi qui alienant, uel locant vltra triennium bona immobilia, uel mobilia præcioſa Eccleſiarum, extra caſus iure permiſſos, & qui prædicta bona percipiunt, de qua, an ſit recepta, videatur Nauar. 45. non habentes pro authenticis omnes libros Sacræ Bibliæ iuxta vulgatam editionem, exceptis 3. & 4. libris Eſdræ, aut etiam conſtitutiones Apcſtolicas ſcienter contemnentes. 46. mulierum raptores, & eis conſilium, & fauorem præbentes. 47. illi qui quouis modo ſubditos ſuos, uel quoſcũq; alios cogunt minus liberè matrimonia contrahere. 48. illi, qui quomodocumque coegerint virginem aliquam, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem præterquam in caſibus iure expreſſis, ingredi monaſterium, vel ſuſcipere habitum, aut profiteri, quique conſilium, aut fauorem ad id dederint, uel præſentes ei actui ſcienter fuerint. 49. illi qui ſanctã virginum, uel aliarũ mulierum uoluntatem, ueli accipiendi, vel profitendi quomodocumque ſine iuſta cauſa impedierint. 50. Concedentes locum ad monomachiam, vel duellum in terris ſuis inter Chriſtianos, illi qui duellum comiſerint, & eorum patrini, & illi qui conſiliũ in cauſa duelli dederint, vel illius ſpectatores fuerint. Vbi notandum eſt hanc excommunicationem concilij Tridentini nemini eſſe reſeruatam. Sed Pius iiij. illam ſibi prius reſeruauerat, illius tamen excommunicatio non compræhendebat Imperatorem, & Reges, at Concilium Tridentinum ad illos quoque eam extendit, & nemini eam reſeruat, non tamen propterea dicit illã non eſſe Pontifici reſeruatam, & cum intentio Concilij fuerit nõ relaxare, ſed confirmare, & augere pœnas contra duellantes, & eorum fautores, & ſpectatores non videtur, quod derogauerit Bullæ Pij iiij. quoad eius reſeruationem. Sed Pius iiij. loquitur de duello formato de quo etiam videbatur loqui, vel ſaltem intelligebatur Concilium Tridentinum, & propterea. Greg. xiij. hanc Conc. Trid. excommunicationem, & alias pœnas eiuſdem concilij, extendit etiam ad omnes illos, qui ex condicto ſta

40. in Clemen. 1. de ſen. exco.
41. in extra fin. de ſent. exc.
42. in extra. Nic. relata a S. Ant. 3. p. tit. 24. ca. 69.
43. in cõc. later. ſub Leo. x. ſeſſ. x.
44. in extra Pauli 2. de reb. eccl. non alie.
45. conc. Trid. ſeſſ. 4.
46. Conc. Trid. ſeſſ. 24. ca. 6.
47. Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 9.
48. Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 18.
49. ibid.
50. ibid. De reſor. c. 19.
Pius 4. in extrau. Ea quæ.
Greg. 13. in extrau. Ad tollendum.

tuto tempore, & in loco conuento monomachiam commiſerint, etiam ſi nulli patrini, ſocijue ad id vocati fuerint, nec loci ſecuritas habita, nullæue procuratoriæ literæ, aut denunciationis cartulæ præceſſerint, ac ſi publico, & conſueto abuſu ſingulare certamen iniuiſſent, & ad locorum Dominos, ſi certamen ex condicto huiuſmodi permiſerint, aut quantum in ſe fuerit non prohibuerint, & ad mandantes, inſtigantes, auxilium, conſilium, uel fauorem dantes, & ad ſpectatores ex compoſito, vel ſocios quouis modo ſe ſe præbentes, etiam ſi illi qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerunt impediti, pugnã non commiſerint, ſi per eos non ſteterit quominus committatur. Sed cum Greg. xiij. extendat excommunicationem Concilij Trid. ad duellos non formatos, quæ non eſt reſeruata, & non illam Pij iiij. quæ eſt reſeruata, & nihil de reſeruatione ſtatuat, quoad non formatos iſta excommunicatio non uidetur reſeruata, & ita à Nau. ponitur inter non reſeruatas, ſed illam ponit abſolutè non conſiderata reſeruatione Pij iiij. nos autem dicimus quo ad formatos eſſe reſeruatam. 51. depingentes, miniantes, depingere, & miniare facientes, & uenales tenentes Agnusdei à Romano Pontifice benedictos. 52 Omnes Principes chriſtiani, etiam Imperatores, & Reges, Communitates, & Reſpublicæ permittentes in ſuis prouincijs, ciuitatibus, terris, oppidis, & locis fieri taurorum, aliarumq; ferarum beſtiarum agitationes, & ſpectacula, & milites, & aliæ perſonæ cum tauris, & alijs beſtijs, in præfatis ſpectaculis tam pedeſtres, quam equeſtres congredientes, & ſi quis eorum ibi mortuus fuerit, priuatur Eccleſiaſtica ſepultura. quoad clericos interreſſentes huiuſmodi ſpectaculis eſt comminatoria.

51. Greg. 13. in extra. Omni.
52. Pius v. in extra. De ſalute.

De quibuſdam notandis circa excommunicationem ob percuſsionem clerici. Cap. XXXIII.

Nimis prolixum eſſet omnes excommunicationes explicare. ſatis erit circa illas, quę ſunt frequentiores aliqua breuiter quantum Confeſſario ſufficiat, ommiſsis etiã citationibus, annotare. Verùm difficultates, quæ circa excommunicationes Bullæ Cęnæ Domini quotidiè occurrũt, omittam vt earum ſolutiones à Canoniſtis, & Summiſtis quærantur. Primo igitur occurrit explicanda excommunicatio lata cõtra inijcientem manus uiolentas in Clericum, uel Monachum. Circa quam eſt primo notandum, quod Clerici nomine, intelligitur etiam, qui prima tonſura eſt inſignitus, quamuis ſit coniugatus,

Qui nam intelligantur nomine clerici

gatus, dummodo cum unica, & virgine, & portet habitum, & ton ſuram, & etiam ſi ſit excommunicatus, ſuſpenſus, irregularis, & etiam depoſitus uerbo, niſi ſit degradatus realiter, vel incorrigibilis. Monachi nomine intelligitur quilibet religioſus profeſſus religionis approbatæ, & quælibet religioſa, quilibet etiam cõuerſus, & nouitius alicuius religionis approbatę, & etiam ij, quos appellant Beguinos, & fratres tertij ordinis S. Dominici, uel S. Franciſci, qui viuunt gregatim, & geſtant habitum Religionis, licèt Caietanus contrarium dicat iuxta ius commune, cui detogarunt priuilegia, conſuetudo, & Stylus Romanæ Eccleſiæ, eodem priuilegio gaudet Eremita alicui Superiori ſubiectus.

Eſt ſecundo notandum, quod non exprimuntur manus, vt excludantur reliqua membra, ſed quia manus eſt inſtrumentum aptius ad percutiendum, & ita compræhenduntur qui manu, pede, brachio, aut alia qualibet parte corporis percutiunt immediatè, uel mediantè aliquo inſtrumento, uel quacumque re, ut enſe, baculo, lapide, ſaliua, aqua uel puluere aſperſo, aut alia ſimili re, etiam ſi minimum quid, vel ſolam ueſtem tangat, ut ſic actio dicatur completa, & etiam qui aliquid vi eripit è manibus, aut corpore, & qui capit, in carcerem conijcit, aut includit in aliquo loco unde egredi nõ poteſt, niſi cum pudore; aut ad frœnos equi manus admouet, aut abſcindit cingulum ephipij, aut eum adeò furioſè perſequitur, ut cogat ſe dare præcipitem in flumen, vel aliud diſcrimen ad ſe liberandum, at ſi quis eum perſequatur, vt cædat, ſed non ita furioſè, & ille fugiens cadat, & lædatur, Ang. & Suppl. dicunt, quod incidit in excommunicationem ſicut in priori caſu, cum in utroque lęſio ab inſequente cauſetur. At Roſ. Piſa. S. Ant. Sylu. & Nauarr. dicunt eſſe diuerſam rationem, quia læſio non fuit intenta in ſe ab inſecutore, nec in ſua cauſa, quæ eſt fuga, quia per accidens ſe ad illam habet. Et non ſolum ſunt excommunicati ſic inijcientes manus in clericum, ſed etiam mandantes, conſilium, auxilium, uel fauorem præbentes, ſi ſequatur iniectio, & ratificans iniectionem eius nomine factam, & etiam dicẽs ſuis ſe illius vindictam deſiderare, licèt non iubeat, ſed credens, vel credere debens, quod ex hoc illi mouebuntur ad percutiendum, quia licèt id non dixerit eo animo, conſiderare tamen debebat illos eo animo dictum putaturos. Et ille, qui aliquid huiuſmodi dixit, vel præcepit clerici percuſsionem, ſed pœnituit, & propter diſtantiam non potuit reuocare mandatum, ſed intellexit clerico datum fuiſſe venenum ad tempus duorum menſium, quod tamẽ ipſe non credit, & petit à Parocho abſolui; non poterit à pecca-

Qui ſint excõmunicati.

tis

tis abſolui,donec ſciatur quod non fuerit ſecuta actio, & non ſit excommunicatus, nam eius credulitas eſt ſine ullo fundamento contra mandatum, & præſumptionem, & in dubijs eſt eligenda tutior pars.

Illi etiam ſunt excommunicati,qui ex officio poſſunt, & tenentur impedire percuſſionem,& non impediunt,huiuſmodi ſunt ſuperiores,eorum miniſtri,Patres,tutores,curatores,heri,pedagogi,Parochi,& ſimiles,& è contrario illos, filij,pupilli,ſubditi,inferiores,famuli,mancipia,parrochiani.Sed dubium eſt de illis, qui ex officio non tenentur, & cum poſſint ſolo verbo non impediũt, non quia id eis placet, ſed quia indecens eorum nobilitati iudicant,his priuatis concertationibus immiſceri. Ang.Sylu.Tab.& alij,tenent illos non eſſe excommunicatos, cum non doloſè, ſed ex negligentia,uel timore etiam irrationabili omiſerint, nam uerbum [ſuadente diabolo] dolum,& malum animum ſignificat, & etiam quia iſti verè non inijciunt manus,nec cooperantur, pœnæ autem ſunt reſtringendæ. Sed obſtare videtur cap. Quantæ de ſent.exco.vbi dicitur eos delinquentibus fauere interpretamur, qui cum poſſint manifeſto facinori deſinunt obuiare. Et ita Hoſt. in ſumma tenet illos eſſe excommunicatos. Nos autem conciliando dicimus,quod ſi doloſè omittunt impedire,fauendo percutientibus,ſunt excommunicati,at ſi uerè non conſentiunt, & illis non fauent,non ſunt excommunicati, in foro tamen exteriori vbi potius attendũtur præſumptiones,ſi delictum eſt manifeſtũ, & commodè poſſunt obuiare, cenſentur excommunicati, quia præſumitur eos uoluiſſe auxiliari, & ita legem iuſtitiæ uiolaſſe; vt enim inquit Abbas non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare.

Eſt etiam excommunicatus ipſemet clericus, qui ſeipſum ex ira percutit,ſecus ſi ex deuotione, uel ob dolorem propter mortem parentum,uel amicorum.

Qui excuſentur.

Eſt tertio notandum quod multis de cauſis percutiens clericum non incidit in excommunicationem, quæ omnes reducuntur ad duas genericas. Prima, ſi percuſſio non eſt ſuadente diabolo,ideſt ſi non eſt illicita, uel ſi ita eſt illicita, ut non ſit peccatum mortale. Secunda iuris beneficio, quia clericus amiſit priuilegium,uel ſimpliciter,uel in aliquibus caſibus ,in quibus illũ percutiens non eſt excommunicatus. Sed deſcendendo ad particulares caſus,non eſt excommunicatus. Primo iocoſè,& ludicrè percutiens,etiam grauiter,dummodo ex ioco,& non doloſè, nec turbato animo. 2. probabiliter ignorans illum eſſe clericũ,

vt ſi

vt ſi noctu percutiat; quamuis det operam rebus illicitis, vt contra Sylu. inquit Nan. 3. quando percutitur ille, qui ter monitus, non fert habitum clericalem. 4. quando percutitur ille, qui ſe immiſcens militaribus, vel ſecularibus actibus, ter monitus non abſtinet, etiam ſi incedat in habitu, & tonſura, quæ trina monitio facienda eſt cum interuallo aliquorum dierum, nec ſufficeret vna pro tribus. 5. quando percutitur ille, qui relictis habitu, & tonſura, turpibus, & enormibus ſe miſcet, etiam ſi non ſit admonitus. 6. quando percutitur bigamus. 7. coniugatus etiam cũ vna, & virgine, ſed non geſtans habitum, & tonſuram. 8. degradatus realiter. 9 depoſitus uerbaliter, & incorrigibilis. 10 circulator ſiue ioculator, & ſcurra per annum, uel qui ter monitus ante non abſtinet. 11 exercens per ſe tabernam, uel lanienam publicè, ſi ter monitus non deſiſtit. 12. quando percutitur inuadens ob ſuam neceſſariam defenſionem, etiam ſi poſſet fugere, quando fuga eſſet ei ignominioſa. 13. volens delinquere, vt arceatur, vel ſic liberandus ab inimicis, uel alio incommodo. 14. inuentus inhoneſtè cum ſua uxore, matre, ſorore, aut filia legitima, vel naturali, etiam ſi mutilet eum, aut occidat, dummodo id ſtatim, & ex ſubita paſſione faciat, non ſic autem ſi inuenitur cum coniunctis in remotiori gradu, vel cum filia adoptata, & ſufficit, quod inueniat amplexantem, oſculantem, aut in loco ſuſpecto, quamuis non inueniat in ipſo opere carnali, modo abſit fraus. 15 à muliere de ſtupro tentata, defendendæ ſuæ caſtitatis cauſa, ſed ſi tentatio ſit ſolo verbo, defenſio debet eſſe uerbalis. 16. excommunicatus nolens aliàs exire ex Eccleſia dum celebrantur diuina. 17. occupãs Apoſtolicam Sedem, ſine canonica electione Cardinalium, ut ex ea eijciatur. 18. qui pro munere ſibi iniuncto includit, & continet Cardinales Conclaui, ad eligendũ Papam. 19. qui detinet clericum domi inuentum cum vxore honeſtè colloquẽtem, poſt monitionem, vt ab ea re abſtineat, dummodo nihil aliud mali ei faciat, quam detinere ſpatio viginti horarum continuarum ad tradendum Iudici. 20 qui percutit principaliter, vt corrigat tamquã magiſter, pater, herus, propinquus, ſenex, aut ſuperior in Eccleſia, dummodo id non faciat principaliter, odio, malitia, uel ira, & percuſſio ſit moderata, ſaltem iuxta ſuum propoſitum, & dummodo caſtigatus non habeat ordinem ſacrum, niſi ſit magiſter, vel pater, aut eius Prælatus. 21. qui percutit ad iuſtè recuperandũ bona, quæ iniuſtè capta clericus aſportat, vel ui occupat, non potens aliter recuperare. 22 miniſter iuſtitiæ ſecularis, qui capit clericum in flagranti delicto, ut illum

pre-

præſentet ſuo Prælato, aut etiam inuentum noctu, ſi probabiliter præſumitur illum aliquod ſcelus intendere, dummodo iuſtum modum in capiendo non excedat, nam ſi permittit ſe capi, & duci, non debet illum percutere, & ſi offert fideiuſſionem præſentandi ſe, non debet in carcerem ducere, quia ſic nec Iudex Eccleſiaſticus poteſt in carcerem mittere, niſi grauitas delicti, uel alia iuſta cauſa id exigat. 23 Prælatus qui capit ſuum clericum per ſe, vel alium etiam laicum, aut uerberat per ſe, uel alium clericum, in pœnam probabili ſuo iudicio iuſtam, per laicum quidem poteſt capere, ſed non verberare, vnde laici per quos Iudex Eccleſiaſticus torquet clericos, ſunt excommunicati, niſi deeſſent clerici ad id idonei, ſed iudex Eccleſiaſticus, qui ſequutus conſuetudinem torquet, aut cedit clericum per laicum, non eſt excommunicatus licèt peccet, quia conſuetudo ſi non excuſat à culpa, excuſat tamen à pœna, & ſi non habet clericum ad id idoneum, excuſatur etiam à culpa, ratione cuius conſuetudinis excuſantur etiam laici miniſtri iuſtitiæ torquentes. 24 quando percuſſio eſt tam ſubita, uel tam parua, quod illata laico non eſſet mortalis. 25 quando quis vult, & tentat percutere ferire, & proijcit lapides, &c. ſed quia errat, non attingit clericum, non eſt excommunicatus, quia non eſt completa actio.

Qui poſſit abſoluere. Quæ ſit leuis percuſſio.

Eſt quarto notandum, quod à percuſſione leui poteſt abſoluere Epiſcopus, à graui autem, & enormi, abſolutio pertinet ad Papam, ut diximus, ſed uidendum eſt, quæ dicatur leuis percuſſio. Non dicitur in hac materia leuis, quæ fit ſine peccato mortali, nã excommunicatio maior non incurritur niſi per peccatum mortale, vt diximus, ſed dicitur leuis reſpectu enormis, & etiam mediocris, & ſic deſcribitur in extrau. per lectis. *Reſpondemus percuſsionem leuem eſſe pugni, palmæ, manus, pedis, digiti, aut baculi, aut lapidis, quæ nullam maculam, aut ſugillationem carnium relinquit, neque abſcindit membrum, ſine effractione dentium, ſine auulſione multorum capillorum, ſine effuſione multi ſanguinis. Nolumus tamen dicere, quod huiuſmodi leuis percuſsio, vt pugni, aut vnguis fiat atrox ob multi ſanguinis effuſionem. Ad iudicandum tamen, quæ læſio ſit leuis, mediocris, aut enormis, volumus diligenter perpendi non ſolum factum, ſed etiam qualitatem eius, & modum percutiendi, & lædendi cum omnibus ſuis circunſtantijs loci, perſonæ, & alijs, perſonæ ſi eſt magiſter, iudex, prælatus, pater, patronus, aut dignitas, percuſſus iniuſtè à ſubdito, aut ab alio ſe viliori, quia ex hoc interdum cenſentur graues iniuriæ, quæ ex ſe ſunt leues, aut mediocres, & quia conditio negotij non patitur integram determinationem huius rei relinquimus tuo arbitrio, vt declares, quæ ſit leuis, & quæ enormis iniuria,* admo-

admonentes, ut potius declares in dubio eſſe percuſsionem grauem, & ab ea non poſſe abſoluere, quam declarando leuem eſſe, occaſionem prabeas lædendi ſtatum Eccleſiaſticum, hæc ibi.

Percuſsio igitur enormis, ut ex hac extrau. infert Nauarrus, eſt qua quis interficitur, abſcinditur membrum, aut inutile, uel quaſi, ad ſuum munus efficitur, & illa ob quam defluit multum ſanguinis, ſi ſit facta in alia parte, quam in naribus, uel alia unde ſanguis facilè erumpere ſolet, & illa quæ fit in proprium Epiſcopum, aut Abbatē, & quæ magno ſcādalo eſt populo. Gloſſa & Sylu. dicunt, quod illa etiam eſt enormis, quę infertur in foro, uel audiētia publica, coram iudice, uel in dormitorio; aut in oculo, aut in facie, Sed dicimus cum Nauarro hoc non eſſe uerum, niſi quādo percuſsio eſt in ſe notabilis, & gignit aliquod magnum ſcandalum, Vnde Lap. in alleg. 76. dixit eſſe percuſsionem leuem colaphum quem impegit capellanus quidam Aretinę Eccleſię cuidam Canonico eiuſdem Eccleſię, abſque ſanguinis effuſione, & Card. in conſ. 42. concluſit percuſſiones clericorum, qui ſibi ipſi mutuo pugnos, & pedes impegerunt in itinere, eſſe leues à quibus poſſet abſoluere Epiſcopus. Nau. c. 27 nu. 92.

De excommunicationibus, quæ paſsim feruntur contra non reſtituentes, & non reuelantes res perditas, vel eos qui aliquod commiſerunt delictum.

Cap. XXXIIII.

Circa illas excommunicationes, quę quotidiè feruntur cōtra non reſtituentes, & non reuelantes, generaliter dicimus, quod quāndo adeſt cauſa excuſans, non reſtituentes, & non reuelantes à peccato mortali, certum eſt, illos non eſſe excommunicatos, cum excommunicatio maior non incurratur niſi propter peccatum mortale, ut diximus. Sed pro maiori declaratione, dicimus, quod non ſunt excommunicati. primo illi, qui propter paupertatem non poſſunt reſtituere, quia ad impoſſibile nemo tenetur, quę autem, & quanta paupertas excuſet, habetur ex his, quę de reſtitutione dicuntur. 2 ille, qui per tertiam perſonam, uel alia uia reſtituit ęquiualens, quia ſi reſtitueretur res in propria ſpecie, deueniretur in cognitionē furis, & ille etiam, qui propter eandem rationem differt reſtitutionem, cum iure naturali teneamur conſeruare propriam famam. 3 ille, qui ideo aliquid accepit, & retinet, quia fuit ſibi donatum à uero domino, ante, uel poſt factum teſtamentum, & non reuelat hæredi, quia

di, quia cum non poſſit probare donationem, cogeretur reſtituere, & ille, qui id quod accepit, ideo accepit, & retinet, ut ſic ſatisfactus ſit in totum, uel in partem, de eo, quod ille à quo id accepit ei debet, cum non poſſit aliter conſequi, quod ſuum eſt, iuxta ea, quę de reſtitutione dicuntur. Nec obſtat, quod ſecundum ſtylum Curiæ, etiam Romanę, ponitur ſępe caſus recompenſationis, nam (quicquid dicat Roſſella) dicimus cũ Ang. & Tab. quod id intelligitur, quando qui retinet non eſt certus de alterius debito, quia non debet eſſe iudex in propria cauſa, alias contineret intollerabilem errorem, quia perinde eſſet, ac ſi ei pręciperetur vt daret, quod ſuum eſt. 4 ille, qui per ſolam confeſſionem ſciuit. 5 ille, qui pro conſilio habendo per ſolam conſultationem ſecretam nouit. 6. illi, qui id quidem ſciunt, ſed ſciunt etiam, quod ille, qui habuit non tenetur reſtituere, propter impoſsibilitatem, vel quia retinet in compenſationem, uel ſi tenetur, vult, ſed querit modum, ut reſtituat cum conſeruatione famæ ſuę, nã cauſa, quæ excuſat principalem, excuſat etiam alios ſcientes, cũ ad eum effectum teneantur reuelare, ut principalis reſtituat. 7. ille, qui à talibus, uel taliter audiuit, ut ob id moueri nõ debeat, præſertim ſi denunciaturus eſſet talis, qui ob illam denunciationem leuitatis notaretur. 8 qui non poteſt reuelare ſine ſuo prę iudicio, quia cogeretur id probare, & non poteſt, uel aliud graue damnum ei eueniret, quod non tenetur ſubire, quo caſu poſſet ſcribere, quod ſcit, & mittere ſine nomine, ut interrogentur, vel examinentur habentes, uel alij ſcientes, quòd ſi adhuc eſt periculum, excuſatur. 9. qui non poteſt reuelare ſine manifeſtatione furis occulti.

Roſ. v. familia §. 11 Ang. v. furtum §. 41 Tab. v. Inquiſitio § 7.

Pro maiori etiam prædictorum, & præſentis difficultatis intelligentia, ſic diſtinguimus, ille qui ſcit, uel poteſt manifeſtare furtum, ſine reuelatione furis, & ſine ſuo præiudicio, & tũc tenetur, uel non poteſt manifeſtare ſine aliquo iſtorum, quo caſu diſtinguendum eſt, nam ſi notorium eſt quis fecerit furtum, tenetur, ſi autem non eſt notorium, ſed nihilominus poteſt probare, quia habet duos conteſtes, tenetur reuelare, non iniuriam paſſo, ſed iudici, vel illi cui iudex pręcepit eſſe reuelandum, at ſi nõ poteſt probare, non debet reuelare iudici tanquam iudici, ſed tanquam patri, quando ille non eſt emendatus, & quando credit, quod debeat prodeſſe, ſaluo etiam præcepto fraternę correctionis, contra, quod Prelatus, & Iudex non poſſunt pręcipere.

Nau. c. 25 nu. 46. Illud poſtremo eſt hoc loco ex Nauarro notandum, quod qui non potuit denunciare intra tempus in edicto contentum, tene-

tur

tur poſt illud denunciare id quod ſcit, quam cito commodè poteſt. Sed dubium eſt an ſi non denunciat, incidat in excommunicationem,& ſit exemplum de Petro, qui erat Romæ quãdo hic Florentię facta eſt per Archiepiſcopum monitio, ut infra ſex dies reſtituantur, uel reuelentur pertinentia ad hæreditatem Ioãnis, & illis elapſis lata eſt ſententia excommunicationis contra inobedientes; certum eſt Petrum non incidiſſe tunc in excommunicationem, ex eo, quod non reuelauit, quę ſciebat, quia cum eſſet Romę laborabat inuincibili ignorantia, ſed cum poſt duos menſes Florentiam uenerit, & excommunicationem latam intellexerit, & poſt ſex dies à tempore notitiæ non reuelauerit, dubitari poſſet an in eam modo inciderit, Tabiena, & Armilla dicunt, quod non, quia excommunicatio ultra terminum ſtatuentis nullũ habet uigorem, & confirmatur, quia ſi attendantur monitiones, & ſententia, manifeſtè patet, quod præfixio ſex dierum eſt ad reſtituendum, vel reuelandum, & quod excommunicatio, quę in eorum termino fertur, eſt contra illos, qui intra terminum aſsignatum inobedientes fuerunt, & non etiam contra illos qui in poſterum à die habitę notitię poſt ſex dies non reuelabunt, aut reſtituent, cum nulla ſit horum expræſſio. Accedit, quod pœnæ ſunt potius reſtringendę, & non ampliandę. & quod hoc eſt æquitati cõſonum, cum enim excommunicatio ſit ad fauorem partis, pro re temporali, eſt aſsignandus terminus, ultra quem non incurratur, eſſet enim abſurdum dicere, quod ille, qui poſt viginti annos reuertitur, in eam incidat, ſi infra ſex dies non reuelat inſtrumenta, quę ſcit, pręſertim, quia id quod uigore excommunicationis quęrebatur, fortè nullius eſt amplius parti utilitatis, & talis etiam cenſenda eſt intentio excommunicantis, a qua, ut diximus excommunicatio ſumit vires.

Tab. exco m. 4. §. 4. Arm. exco. § 34.

PRIMAE

PRIMAE PARTIS DE OFFICIO SACERDOTIS.

LIBER QVARTVS.

DE SVSPENSIONE, INTERDICTO, DEGRADATIONE, ET IRREGVLARITATE.

De Suſpenſione.

Quid, & quotuplex ſit ſuſpenſio, & qui poſsint ab ea abſoluere. Cap. I.

NON loquimur modò de ſuſpenſione generaliter ſumpta, ſecundum quam in peccato mortali exiſtens dicitur quoad Deum ſuſpẽſus à Sacramentis, & omnis irregularis, ab ordinibus, & eorum actibus, ſed prout eſt cenſura Eccleſiaſtica, & cum Nauarro ſic definiri poteſt. Suſpenſio eſt Eccleſiaſtica cenſura, qua alicui Eccleſiaſticę perſonę, ob ſuam culpam prohibetur exercitium ſui ordinis, vel officij, vel beneficij eccleſiaſtici, in certum tempus, vel in perpetuum, quo ad partem tamen, aliàs enim non eſſet ſuſpenſio, ſed depoſitio, uel priuatio, Vnde tripliciter diuidi poteſt, primo ratione eorum à quibus eſt ſuſpenſio. 2. ratione durationis. 3 ratione ſuſpendentis, Ratione eorum a quibus eſt ſuſpenſio, eſt triplex vel ab officio, & beneficio ſimul, uel tantum ab officio, ſiue eius parte, uel tantum à beneficio, ſiue ad illud pertinentibus, & quando ſuſpenſio fit ſimpliciter non expræſſo ordine, aut officio, uel beneficio, intelligitur ab omnibus, ab officio. ſ. & beneficio, quæ eſt maior, ſicut nomine excommunicationis ſimpliciter, intelligitur maior, c. ſi quem ext. de ſent. excom.

Nau. c. 27 nu. 151.

Cum autem ſuſpenſo, non prohibeantur omnes actus, alios omnes, qui non ſunt annexi illis, à quibus eſt ſuſpenſus exercere poteſt, ex quo ſequitur, quod ſuſpenſus à iuriſdictione, non eſt ob id ſuſpenſus ab ordine, & ſic poterit exercere ea, quæ ſunt or-

dinis,

dinis, & è cōtra ſuſpenſus ab ordine, nō eſt ob id ſuſpenſus à iuriſdictione, & ſic exercere poterit ea, quæ ſunt iuriſdictionis, Suſpenſus etiam à beneficio, non eſt ob id ſuſpenſus ab ordine, & iuriſdictione, & ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, non propterea eſt ſuſpenſus à iuriſdictione, nec à beneficio, quo ad ea, quæ dantur non intereſſentibus diuinis officijs, quia ſunt diuerſa, & non ſunt inuicem annexa. Suſpenſus autem ab aliquo ordine inferiori, intelligitur etiam ſuſpenſus à maioribus, nam cui prohibentur minora, à fortiori intelliguntur etiam prohibita maiora, extra de ſent. excomm. cap. cum illorum. non autem è contra per maiorum prohibitionem, prohibentur minora ext. de cor. uiti. ca. ſignificauit.

Et ſicut tenemur uitare excommunicatum in omnibus, ita etiam ſuſpenſum, in illis à quibus eſt ſuſpenſus, & non uitando in diuinis officijs, & in actibus ſuis ordinibus deputatis, peccamus mortaliter ſi eſt notorius, aliàs non, per extrau. ad euitanda ſuperius lib. 3. c. 11. relatam.

Suſpenſiones aliquando ſunt à iure, aliquando ab homine, nam iudex, qui poteſt excommunicare, poteſt etiam ſuſpendere. Et non omnes, qui excommunicari poſſunt, ſunt ſuſpenſionis capaces, ſed ſolæ perſonæ eccleſiaſticæ. In generali ſuſpenſione à iure lata, non includuntur Epiſcopi, niſi fiat illorum ſpecialis mentio. de ſentent. excomm. in 6. cap. quia periculoſum, ſecus de excommunicatione, ut ibidem inquit Gloſſa. Suſpenſio ſi fit propter contumaciam, debet ferri in ſcriptis monitione præmiſſa, quod tamen non eſt neceſſarium, ſi fiat in pœnam delicti commiſſi.

Suſpenſio tam ab homine, quam à iure lata, quæ certo tempore, aut facto, aut omiſsione facti terminatur, lapſo tempore, uel adueniente termino, tollitur ipſo facto, abſque ulla abſolutione. A ſuſpenſione autem latà à iure, tam communi, quam particulari, in contumaciam, & non in pœnam delicti, abſolutè ſine termino, & reſeruatione, etiam ſi à Papa ſit confirmata, poteſt abſoluere Epiſcopus, & eius Vicarius, non tamen à lata in pœnam alicuius delicti etiam à iure, ſiue ſit temporalis, ſiue perpetua, niſi ſit lata ob adulterium, & alia minora delicta, A lata autem ab homine regulariter non poteſt abſoluere, niſi qui eam tulit, aut eius Superior, uel ſucceſſor. Epiſcopi, & eorum Vicarij vigore Concilij Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. poſſunt in foro conſcientiæ abſoluere ab omni ſuſpenſione in quam incurritur

propter delictum occultum, dummodo non ſit deducta ad forum contentioſum, & dummodo etiam non deſcendat ex homicidio uoluntario. Et abſolutio quibuſcumque verbis eam ſignificantibus fieri poteſt, cum nulla ſit præſcripta eſſentialis forma, & ante illam requiritur iuramentum, ſicut in abſolutione ab excommunicatione.

Multæ difficultates poſſunt occurrere circa ſuſpenſionem, & Interdictum, quæ facilè ſoluuntur ex his, quæ diximus in præcedenti libro de excommunicatione.

De ſuſpenſionibus ipſo facto à iure latis.
Cap. II.

OMmiſſis ſuſpenſionibus, quæ rarò contingunt, ipſo facto à iure. Primo, ſuſpenditur Præsbyter, Diaconus,
1. ca. præter d. 32. vel Subdiaconus, fornicarius notorius, donec pœniteat, de qua vide in præcedenti libro, cap. 9. 2 trien-
2. ext. c. cū in cunctis nio à beneficio ſuſpenduntur clerici, eligentes in Epiſcopum eū qui non eſt legitimus, vel legitima ætate, ſcientia, uel moribus
3. ext. cap. penult. de ſimonia. præditus. 3 ſuſpenditur, qui ſacris initiatur ſine patrimonio cū pacto non petendi ab Epiſcopo victum, & qui ordinatur ad præſentationem alicuius beneficij, cum pacto nihil ab eo percipiendi, & abſolutio eſt reſeruata Papæ, Ordinans autem, & præſentans cum tali pacto, ſuſpenduntur per triennium; ille à col-
4. extr. de ſent. exco. ca. ſacro. latione, iſte ab executione ordinum. 4 vno menſe ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ, qui abſque debita monitione excommunicat. 5 ſuſpenduntur à quolibet officio, & beneficio, ca-
5. ca. quia ſæpe de elect. in 6. pitula, & ſingulares perſonę, quæ vacante ſede Epiſcopali, vel collegiata, ſibi uſurpant aliqua bona, quæ reliquit vita functus, aut collecta fuerunt tempore vacationis, donec plenè re-
6. c. fin. de Offic. deleg. in 6. ſtituerint. 6 Conſeruator Sedis Apoſtolicæ, qui ſcienter cognoſcit cauſas, quæ non ſunt notoriæ, ſi non habet clauſulam generalem, vno anno ſuſpenditur. 7 ſuſpenduntur donec re-
7. ca. præſēti de offic. Ord. in 6. ſtituerint, Epiſcopi, & eorum Superiores ab ingreſſu Eccleſiæ, & inferiores ab officijs, & beneficijs, qui vſurpant aliquid ex redditibus dignitatum, & Eccleſiarum vacantium, & illis ſubditarum, quos reliquerunt mortui, vel collecti fuerunt tempore vacationis, niſi habeant ſpeciale priuilegium, uel conſuetu-
8. ca. 1. de ſent. & re iud. in 6. dinem præſcriptam ad hoc. 8. ab officio uno anno ſuſpenditur iudex Eccleſiaſticus Ordinarius, & delegatus, qui contraius, & ſuam conſcientiam, aggrauat partem gratia, uel

for-

ſordibus, ideſt prece, prætio, timore, vel odio correptus, qui eſt etiam ſuſpenſus à diuinis cum ſubdatur, quod ſi infra illum annum ingerat ſe diuinis ſit irregularis, à qua non poſſit liberari, niſi per ſummum Pontificem. 9 ſuſpenduntur illi, qui admittunt aliquem ad profeſſionem ante elapſum annum probationis in aliquo ordine Mendicantium. 10 ſeculares, & Regulares quantumcumque exempti, qui ſcienter celebrant, uel faciunt celebrari diuina in locis interdictis, aut admittunt ad officia diuina, aut Sacramenta, aut Eccleſiaſticam ſepulturam excommunicatos, aut interdictos publicos, ſuſpenduntur ab ingreſſu Eccleſiæ quouſque ſatisfaciant ad arbitrium eius, cuius ſententiam contempſerunt. 11 Suſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ, & diuinis officijs, qui excommunicat, interdicit, aut ſuſpendit aliquem ſolo uerbo, ſine ſcripto, aut non expræſſa cauſa illius, vel requiſitus non dat copiam. 12 Suſpenduntur per ſex menſes clerici beneficiati à perceptione fructuum beneficiorum, qui geſtant ueſtes partitas, uel coloribus diſtinctas, & ſacro ordine initiati, qui non ſunt beneficiati, & minoribus inſigniti; qui cum prima tonſura geſtant tales ueſtes, efficiuntur inhabiles ad beneficia in idem tempus, Sacerdotes verò, & religioſi per annum. 13 Suſpenduntur ab officio religioſi, qui aliquam adminiſtrationem habent, & alienant aliquam rem ad eam pertinentem, præbendo alicui ad uitam, ſeu ad aliud certum tempus abſque neceſſitate, & utilitate, & abſquè facultate Capituli ſi habet, uel ſui Prælati ſi non habet capitulum. 14 Suſpenduntur illi, qui ſine legitima facultate, uel ætate, uel extra tempus legitimum ordinem ſacrum accipere præſumpſerint. 15 Suſpenditur Epiſcopus ordinans abſque titulo clericum religioſum ordinis in quo ſolum ſit uotum temporale religionis. Videantur caſus in quibus incurritur excommunicatio, nam aliquando quo ad Prælatos, uel clericos ponitur ſuſpenſio, & quo ad reliquos excommunicatio.

9. c. nõ ſolũ de reg. in 6.
10. c. Epiſcoporum de priuil. in 6.
11. de sẽt. exco. in 6. ca. 1.
12. in Cle. 2. de uit. & hon. Cler.
13. in Clem. 1. de rebus Eccl. non alien.
14. in extr. Pij 2. cum ex ſacrorum.
15. Pius v. in extrau. Romanus

DE INTERDICTO.

Quid, & quotuplex ſit interdictum, & quæ tempore interdicti probibeantur, & concedantur. Cap. III.

INterdictum Eccleſiaſticum, eſt Eccleſiaſtica cenſura, qua prohibentur diuina officia, Sacramenta, & ſepultura, exceptis his, quæ expræſsè, uel tacitè permittuntur. Vnde tem-

tempore Interdicti Sacerdos non poteſt celebrare, & quando celebrat ad renouandum Sacramentum pro infirmis, priuatè, ianuis clauſis, non pulſatis campanis, & excluſis interdictis, debet celebrare, & conſequenter Diaconus, Subdiaconus, & Acolitus, non poſſunt ſolenniter iuxta ſuos ordines miniſtrare, non poteſt etiam Sacerdos agere hebdomedarium, cum non poſſint cantari Horæ; Nec etiam poteſt benedicere aquam, & aſpergere populum, neque candelas in die Purificationis, neque palmas, & ramos in Dominica palmarum; Epiſcopus etiam non poteſt Ordinare, nec ſolenniter benedicere, nec conſecrare altaria, Virgines, neque benedicere corporalia, & alia indumenta ad dicendū Miſſam, quia iſta omnia ſunt diuina officia. Poſſunt tamen benedicere menſam, & alia etiam, quæ ſine ſolennitate, ſine paramētis, & ſtola benedici poſſunt, ſic priuatim benedicere poterunt. Prohibentur quidem tempore Interdicti hæc diuina officia, & ſacramenta, & Eccleſiaſtica ſepultura, ſed non ſemper omnibus, imo nec aliquando omnia, ut in interdicto particulari; ſed cum non exprimitur, quæ interdicto prohibeantur, omnia prædicta intelliguntur prohibita, & ideo diligenter ponderanda ſunt verba interdicti, ſicut & aliarum cenſurarum.

Triplex eſt interdictum, locale tantum, perſonale tantum, locale, & perſonale ſimul, & quodlibet iſtorum eſt duplex, vel generale, ut cum interdicitur tota vrbs, prouincia, uel populus; uel particulare ſub quo eſt ſingulare, vt cum interdicitur aliqua Eccleſia in vrbe, uel aliqua perſona, uel etiam cum interdicuntur multæ Eccleſiæ, uel plures perſonæ. Ex quo ſequitur, quod interdicto clero, non eſt ob id interdictus populus, & è contra interdicto populo, non intelligitur interdictus clerus; & clerici nomine intelliguntur etiam religioſi, & religioſæ. Interdictis clericis alicuius Eccleſiæ, non ob id eſt interdicta Eccleſia; & è contra interdicta aliqua Eccleſia, non ob id eſt interdictus clerus illius Eccleſiæ; Similiter interdicto aliquo loco, non ob id eſt interdictus eius populus, & è contra interdicto populo, non propterea eſt interdictus locus, quia ſunt diuerſa. Interdicta aliqua Eccleſia, ſunt etiam interdicta eius ſacella, & cęmeterium contiguum, non autem alia Eccleſia, uel capella coherens mediante muro; & interdicta Ciuitate, ſunt etiam interdicta ſuburbia, & ædificia propè mœnia, ſed non è contra interdicto Cœmeterio eſt interdicta Eccleſia, nec interdictis ſuburbijs eſt interdicta Ciuitas, nam principale non ſequitur acceſ-

ſorium,

ſorium, ſed acceſſorium ſequitur naturam principalis c. acceſſorium de reg. iur. in 6. Interdicto populo ſunt etiam interdicti pueri, qui non ſunt doli capaces, & amentes, cum quis ſine propria culpa interdici poſſit, non tamen ſunt interdicti homines, qui ſunt in populo interdicto, & ad eos non pertinent, cum ſint alterius populi.

Ex quibus ſequitur, quod populo interdicto, clerici poſſunt, & debent celebrare diuina officia, ſubmiſſa voce, ianuis clauſis, non pulſatis campanis, & expulſis interdictis; Clero autem interdicto, ſi ad illum locum accedant, uel uocentur alij clerici alterius loci, qui non ſint interdicti, poterunt ibi celebrare diuina, & à populo audiri, excluſis ſolum interdictis, quia Eccleſiæ non ſunt interdictæ, Similiter etiam illi, qui ſunt in loco interdicto, ſi ad locum non interdictum pergant, dummodo non fuerint cauſa interdicti, poterunt celebrare, & diuinis intereſſe; Verùm interdicti quocumq; pergant, ſemper à diuinis abſtinere debent, quouſque eis interdictum relaxetur.

Quando interdictum eſt generale, & eſt interdictus nō ſolum populus, ſed etiam locus, ſecundum ius antiquum nō poterat celebrari niſi una Miſſa in hebdommada, ad renouandum Euchariſtiæ Sacramentum, quod pro infirmis ſeruatur, at modo per cap. Alma mater de ſentent. excomm. in 6. in Eccleſijs, & Monaſterijs, ſingulis diebus poſſunt, & debent Miſſæ, & alia diuina officia celebrari, ſicut prius, ſed cum prædictis quatuor conditionibus, ſcilicet ſubmiſſa uoce, ianuis clauſis, non pulſatis campanis, & excluſis excommunicatis, & interdictis; quod intelligendum eſt dummodo clerici non ſint interdicti, & Eccleſia non ſit ſpecialiter interdicta, & non uenientes ad diuina perdunt diſtributiones ac ſi non eſſet interdictum.

Sed dubium eſt an prædicta moderatio celebrandi ſubmiſſa voce, ianuis clauſis, & non pulſatis campanis, intelligatur etiam in alijs caſibus, quando, ſcilicet, interdictum eſt particulare. Aliqui id affirmant, aliqui negant, ſed attendenda eſt ratio prædictæ moderationis, quæ eſt ne interdicti audiant diuina, tam in Eccleſia, quam extra Eccleſiam, & ideo quando interdictus eſt populus, ſeruanda eſt dicta moderatio, At quando interdictū eſt particulare alicuius Eccleſię, uel quarundam perſonarum, tunc in Eccleſijs non interdictis poterunt celebrari diuina alta uoce, apertis ianuis, & campana uocato populo, ſimiliter etiam quando clerus eſſet interdictus, ſed non Eccleſia, nec populus, & vocarentur alij clerici non interdicti alterius loci,

 quia

quia in his caſibus non eſt ita periculum, quod interdicti audiat diuina, ſicut quando eſt interdictus populus; & cum etiam iſta interdicta ſint particularia, non eſt imminuendus cultus diuinus in Eccleſijs non interdictis, nec eſt priuandus populus non interdictus diuinis officijs, qui ſatis priuatur dum non uocatur, dum clauſæ ſunt ianuæ, & ſubmiſſa uoce celebrantur.

Priuilegia celebrandi, uel audiendi diuina, quæ pro tempore interdicti conceduntur, non eis proſunt, qui fuerunt cauſa interdicti, aut delicti, ob quod poſitum fuit, & ſi priuilegium ſit ſingulari perſonæ conceſſum, cum illa poterunt etiam intereſſe diuinis eius familiares, & domeſtici, qui non ſunt fraudulenter recepti, ſed ſecum ratione dignitatis ſolent incedere.

Conceduntur autem tempore interdicti, ea quæ ſequuntur, etiam in Eccleſijs ſpecialiter interdictis, & ut fiant etiam a Sacerdotibus interdictis, ſi non adſint alij, ex quibus etiam conſequenter intelligentur prohibita. 1 Sacramentum Baptiſmi paruulorum, & adultorum, & Sacramentalia ei annexa. 2 Sacramentum confirmationis. 3. Conſecratio Chriſmatis. 4. Sacramentum pœnitentiæ pro infirmis, & etiam pro ſanis, qui non fuerint excõmunicati, nec interdicti ſua culpa, nec conſilium, fauorem, uel auxilium dederunt delicto, propter quod interdictum poſitũ fuit, aliàs enim, niſi prius ſatisfaciant ſi poſſunt, uel idoneam cautionem præbeant, non ſunt ad pœnitentiæ Sacramentum admittendi. 5. Euchariſtia in periculo mortis exiſtentibus, quæ cum lumine, & campanula portari poteſt, & dum portatur interdicti nõ prohibentur illam adorare, non tamen poteſt illis dari extrema unctio, nec etiam clericis, licèt ſint priuilegiati, quoad ſepulturã, ſine ſolennitate tamen, & dummodo ſeruent interdictũ. 6. qualibet hebdomada dici poteſt una Miſſa ad renouandum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod infirmis ſeruatur, & etiã plures ſi id infirmorum neceſſitas poſtulet, ſubmiſſa tamen voce, clauſis ianuis, non pulſatis campanis, & expulſis interdictis, qui nec etiam extra Eccleſiam per portam, feneſtram, uel foramen poſſunt diuina audire, vel aſpicere. 7 Sacramentum Matrimonij, etiam inter perſonaliter interdictos, non tamen poſſunt benedici nuptiæ. 8 poteſt pulſari campana pro oratione matutina, meridiana, & veſpertina, quæ dicitur Auemaria, ſed non pro diuinis officijs. 9 conceditur etiam lectio, & prædicatio Verbi Dei. 10 excommunicare, & abſoluere ab excõmunicatione abſque ſtola, & ſolennitate Sacerdotali. 11 non prohibetur priuata oratio in Eccleſia, etiam perſonaliter interdictis, qui ingrediẽ-

do,& egrediendo poterunt etiam accipere, & dare aquam benedictam, poteſt etiam introduci puerpera in Eccleſiam ad reddendum Deo gratias, etiam cum confeſſione generali, ſed ſine ſtola, & Sacerdotali ornatu. 12 tempore interdicti non prohibetur etiam cãtus laicorum in ſuis cõfraternitatibus, uel Eccleſijs, etiã ſi cantent Litanias, Pſalmos, & Dei, & Sãctorum eius laudes, quia propriè non ſunt diuina officia; Non tamen poſſunt proceſſionaliter eleuata Cruce, litanias, pſalmos, uel himnos, ſic ſolenniter cantare. 13 in feſtis Natiuitatis, Paſchæ, Aſſumptionis, & Corporis Chriſti, & in ſola octaua Corporis Chriſti, poſſunt omnia diuinã officia celebrari, alta uoce, apertis ianuis, & pulſatis cãpanis, excluſis excommunicatis, & admiſſis interdictis, ita tamen, vt illi, quorum culpa interdictum poſitum fuit non accedant ad altare; Sed hoc intelligendum eſt de interdicto generali de quo loquitur d.c. Alma mater, & nõ de Eccleſia ſpecialiter interdicta, quod etiam priuilegium conceſſum fuit multis locis pro feſto immaculatæ Conceptionis, & eius octaua, ut dicunt Nau. & Couarr.

De interdictis à iure ipſo facto poſitis, & quibus de cauſis polluitur Eccleſia, & an ſit eadem ratio interdicti, pollutionis Eccleſiæ, & ceſſationis à diuinis. Cap. IIII.

GEnerale interdictum à iure ipſo facto fertur in multis caſibus, ut contra uniuerſitatem, quæ clericis portoria imponit, illaq; ab eis exigit, quæ facit, vt capiatur percutiatur, uel in exilium mittatur ſuus Epiſcopus. contra uniuerſitatem cuius Dominus impedit ingreſſum, aut negocia nuncij Apoſtolici, In multis etiam caſibus fertur interdictum particulare, locale Eccleſiæ, ut quando clerici, aut conuentus Eccleſiæ, nolunt reſtituere corpora eorum, qui ab eis inducti iurauerunt ſe electuros ſepulturam in ea, & illos in ea ſepelierunt, & omnia etiam, quæ illa occaſione habuerunt. Quando occurrunt caſus habentes annexam excommunicationem, vel ſuſpenſionẽ, videantur, nam ſæpe etiam uniuerſitates, & loca, eiſdem caſibus interdicuntur, de quibus fuſius Canoniſtæ, & Summiſtæ, ſatis enim nobis eſt in præſenti breuiter aliqua attingere, vt Sacerdotes, cum occurrit caſus, dubitare, & illos, qui hæc ex profeſſo tractant, conſulere poſſint.

Eccleſia aliqua in ſex caſibus polluitur, & cum eſt ſic polluta, 1 diuina in ea celebrari non poſſunt, niſi pollutio ſit occulta, in De pollutione Eccleſiæ.

ore, ſcilicet duorum, vel trium, at illis publicantibus, cum incipit eſſe notoria, ceſſandum eſt à diuinis, donec recócilietur, quæ reconciliatio ſi Eccleſia erat conſecrata, debet fieri ab Epiſcopo, at ſi non erat conſecrata, poteſt fieri à Præsbytero. Primus ergo caſus eſt, quando in ea ſanguis humanus iniurioſè effunditur, aut cauſa naturalis eius effuſionis, aut mortis datur. dicitur [in ea] quia ſecus ſi extra eam, etiam ſi deſuper in tecto, uel ſubter eam in ſpecu, dicitur [effunditur] quod largitatem denotat, non enim ſufficit aliquarum guttarum ſanguinis emiſsio. dicitur [ſanguis] quia non ſufficit percuſsio, quæ non ſit mortifera ſine eius effuſione, etiam ſi ſit talis, quæ carnes contundat, aut oſſa frangat. dicitur [iniurioſè] quia non ſufficit effuſio natutalis, per nares, uel os, aut quæ caſu fit, neque facta ob iuſtam defenſionem, neque ludo alioquin licito, ut ſi aliqua pia in ea repræſententur, neque facta per furioſum, aut puerum iudicio carentem. dicitur [aut datur cauſa, &c.] quia ſufficit, quod vulnus infligatur in ea, quamuis percuſſus egrediatur antequam ſanguis in ea effundatur, & quamuis ſanguis recipiatur in aliquo vaſe, ne in eam decidat, non tamen è contra ſufficit, quod ſanguis in ea effundatur, ſi vulnus eſt inflictum extra Eccleſiam. dicitur [naturalis] quia non ſufficit, ut in ea feratur ſententia condemnatoria, ſi per eius executionem effuſio facta eſt extra illam. dicitur [aut mortis] quia ſatis eſt ad id ſuffocare, aut aliàs intra illam hominem ſine ſanguinis effuſione interficere. Non ſufficit autem ad pollutionem interficere, aut percutere aliquem extra Eccleſiam exiſtentem, lapidè vel tormento miſſo ab Eccleſia, quamuis ſufficiat mors, uel effuſio facta in Eccleſia, per tormentum foris miſſum.

Secundus caſus eſt quando in Eccleſia ſemen humanum voluntariè effunditur, etiam per copulam coniugalem. Tertius, quando in ea ſepelitur aliquis excommunicatus. Quartus, quando in illa ſepelitur aliquis infidelis; quo caſu non ſolum eſt reconcilianda, ſed ſunt etiam eius parietes radendi. 5 quando conſecratur, aut benedicitur per Epiſcopum publicè excommunicatũ. 6 cum omnes eius parietes renouantur, quod intelligitur quando omnes, uel maior eorum pars ſimul deijciuntur. Et quotieſcumque Eccleſia eſt polluta, eſt etiam pollutum cæmeterium ei contiguum, non autem illud, quod non eſt ei contiguum, polluto autem cęmeterio, non ob id eſt polluta Eccleſia ei contigua.

Ceſſatio à diuinis, & pollutio Eccleſiæ, ad Interdictum redu-

cun-

cuntur, & ei quodammodo æquiualent, propriè tamen non ſunt interdicta, ſed pœnæ diſtinctæ, unde clericus uiolans interdictum, ſolenniter exercendo actum alicuius Ordinis, ſiue maioris, ſiue minoris, efficitur irregularis, cap. 1. & cap. is qui, de ſent. excomm. in 6. non ſic autem ſi uiolet ceſſationem à diuinis, aut illum exerceat in Eccleſia polluta. Et quo ad ceſſationem à diuinis, Doctores non conueniunt, nam Angel. dicit ceſſationem generalem æquiparari interdicto, & ſi quis ibi celebret effici irregularem, ſecus de ceſſatione particulari. Sed ſi ceſſatio generalis æquiparatur interdicto generali, ceſſatio etiam particularis, æquiparabitur interdicto particulari, Melius ergo eſt, ut dicamus, cum Nauarro, & ab eo citatis, quod nec generalis, nec particularis, eſt idem cum interdicto, & quod celebrans tempore ceſſationis, non efficitur irregularis, ut etiam dicit Gloſa in capit. ſi canonici, de off. Ord. in 6. & probatur, quia ita ſe habet pollutio Eccleſiæ ad interdictum particulare localem, ſicut ceſſatio à diuinis ad interdictum, Sed celebrans in Eccleſia polluta, non efficitur irregularis, ſicut efficitur celebrans in Eccleſia interdicta, ut expræſsè habetur in capit. is qui, de ſentent. excomm. in 6. & ibidem redditur ratio, quia id non eſt in iure expræſſum, ergo etiam celebrans tempore ceſſationis, non erit irregularis, & confirmatur eadem ratione, quia iura loquuntur de ceſſatione, ut de re diſtincta ab interdicto, ut patet in Clement. 1. de ſentent. excomm. & irregularitatis pœna non inuenitur in iure appoſita uiolanti ceſſationem, ergo non eſt ad eam extendenda, præſertim cum pœnæ ſint reſtringendæ, & maximè irregularitas, quia nullus eſt cenſendus irregularis, niſi ſit expreſſum in iure, d. capit. is qui. Et ſi petatur in quo differant pollutio, & ceſſatio à diuinis, ab interdicto, Reſpondetur, quod ſaltem differunt in hoc, quod hac diuerſa forma prohibendi diuina, Eccleſia noluit ſemper in diuinorum prohibitione, apponere pœnam irregularitatis.

Angel. V. ceſſatio § 1.

Nau. c. 27 nu. 183.

Quid, & quotuplex ſit degradatio, & qui ſint eius effectus. Cap. V.

Degradatio propriè importat priuationem executionis legitimæ officiorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſimpliciter, & ex toto, abſq; ſpe reſtitionis, & cum certa ſolennitate, & priuationem priuilegij clericalis;

& diſ-

& differt à depoſitione, quæ eſt priuatio eorundem, abſque ſpe reſtitutionis, ſed retento priuilegio fori, & c. ſi quis ſuadente dia bolo, 17. q. 4. differt etiam à ſuſpenſione, quæ eſt priuatio eorundem, uel aliquorum, uel omnium ad tempus, cum ſpe diſpenſationis.

Concil. Trid. ſeſſ. 13. de refor. c. 4.

Duplex eſt degradatio prima uerbalis, quæ eſt depoſitio ab ordinibus, ſeu gradibus eccleſiaſticis, alia eſt actualis, quæ eſt ſolénis, & ſuperius definita fuit, quando degradandus indutus ſacris veſtibus, in manibus tenens uas, ſeu inſtrumentum ad ſuum ordinem ſpectans, adducitur ad Epiſcopum, à quo auferuntur omnia illi data in ordinatione, & ad utramq, ne debita iuſtitiæ exequutio differatur, per Concilium Tridentinum nō requiritur neceſſariò ille Epiſcoporū numerus, iuxta antiquos canones. Amittit igitur degradatus priuilegium clerici, & poteſt iudicari à iudice ſeculari, quando eſt degradatus actualiter, & ſi quis eum percuſſerit, non incidit in canonem ſiquis ſuadente. ſecus ſi uerbaliter tantum, niſi factus eſſet omnino incorrigibilis, nō tamē amittit ea, quæ ſunt ordinis, etiam ſi ſit degradatus actualiter, unde conſecrando, conficit; & propterea tenetur recitare horas Canonicas. Et nullus eſt degradandus niſi propter delictum adeò perniciofum, vt tradendus ſit curiæ ſeculari.

DE IRREGVLARITATE.

Quid ſit Irregularitas, & quibus modis contrahatur, & ad quem pertineat diſpenſare, cum aliquibus notandis.

Capit. VI.

Irregulatitas eſt Eccleſiaſticum impedimentum directè acceptionem ordinum Eccleſiaſticorum, aut aliquem eorum vſum, quatenus ordines ſunt; etiam poſt pœnitentiam impediens, dicitur quatenus ordines ſunt, ad differentiam cenſurarum, & aliorum canonicorum impedimentorum, quæ licet ordines, & eorum vſum impediant, quatenus ſunt communicatio, aut ſacramenta, aut officia, aut beneficia Eccleſiaſtica, non tamen quatenus ſunt ordines, ſaltem directè.

Quinque autem ſunt ſpecies irregularitatis, quæ manant ex quinque defectuum generibus. ſ. ſacramentalis ſignificationis, Corporis, Animę, Lenitatis perfectę, & delicti, & ſub qualibet harum ſpecierum, multæ continentur irregularitates, quas breuiter enumerabimus.

Prius

Prius tamen aliqua ſunt notanda. Primo, quod nullus eſt cenſendus irregularis, niſi propter caſum in iure expreſſum. cap. is qui de ſent. excom. in 6. 2. quod in dubio in foro exteriori, nullus eſt iudicãdus irregularis, ſecus in foro interiori, nullus enim poteſt facere, abſque peccato, id quod dubitat an ſit peccatum, & Iudex non debet condemnare aliquem de quo dubitat an condemnari debeat. 3. Irregularis non incurrit nouam irregularitatem, per hoc quod irregularis exiſtens celebrat, nam irregularitas non eſt cenſura Eccleſiaſtica, nec aliquid cuius uiolatio nouam infligat irregularitatem, vnde etiam iſte caſus non reperitur in iure expræſſus. 4 Irregularis poteſt abſolui à peccatis, antequam obtineat diſpenſationem ſuper irregularitate. 5 diſpenſatio ab irregularitate pertinet ad Papam, Epiſcopus autem non poteſt diſpenſare, niſi in caſibus ei permiſsis, qui autem ſint iſti ſuis locis dicemus, generaliter autem nunc dicimus ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 6. quod Epiſcopus poteſt diſpenſare in omni irregularitate deſcendenti ex delicto occulto, & non deducta in iudicium, excepta ea, quæ deſcendit ex homicidio uoluntario.

Septem notanda.

Quis diſpenſet.

Sexto poteſtas, quæ datur per bullas Iubileorum abſoluendi ab omnibus peccatis, & cenſuris, & pęnis, non extenditur ad diſpenſationem irregularitatis, niſi id exprimatur, & patet. Primo, quia reſpectu irregularitatis non eſt abſolutio, ſed diſpenſatio, nam irregularitas propriè nõ eſt cenſura, nec pęna, ſed eſt quoddam impedimentum, uț diximus in cap. 1. præcedentis libri, reſpectu autem impedimenti non eſt abſolutio, ſed diſpenſatio. 2. quia aliquando conceditur facultas diſpenſandi, vt in anno Iubilei, & tũc ſolum conceditur ſuper aliquibus irregularitatibus, ſi autem clauſula ſimpliciter in iubileis appoſita ab omnibus cẽſuris, & pœnis, ſine expræſſione irregularitatis, comprehenderet irregularitatem, amplior eſſet facultas, cum nulla ſit mentio irregularitatis, quam cum expræſsè tanquam ſingularis gratia, ob ſacrum annum Iubilei conceditur, quia tunc ſemper excipiuntur aliquę, quod tamen conſtat eſſe falſum. 3 quia illa facultas abſoluendi à pœnis, non eſt ſimpliciter de omnibus pęnis, nõ enim poteſt eius virtute abſolui à pœna pecuniaria, uel ab exilio à iudice pro aliquo delicto impoſito, nec à priuatione, depoſitione, & degradatione, ſed illa facultas abſoluendi ab omnibus cenſuris, & pœnis, ſolum reſpicit illas cenſuras, & pœnas, quæ impediunt abſolutionem à peccatis, quia in illum finem datur, at abſolutio à peccatis, poteſt dari ſine ſublatione irregularitatis, Accedit etiam, quod Stylus curię ſic habet. Nec ob id eſt ſuperfluum illud

Poteſtas abſoluendi data in Iubileis non ſe extendit ad irregularitatem.

verbum [& pœnis] nam poteſt eſſe alia pœna diſtincta à cenſuris, cuius ſublationem præ requirat ſacramentalis abſolutio, & ſacra Communio, quia ut inquit Nauar. poteſt dari aliqua ſuſpẽſio à confeſſario, ne infra tantum tempus confiteatur, vel communicet, quæ propriè non eſt cenſura, & Canones pœnitentiales, mãdant aliquos intra aliquod tempus arceri à Communione, c. præsbyter d.82. & c. de his uero 33. q. 2.

Nau. c. 27 nu.

Septimo effectus irregularitatis eſt impedire ne quis ad ordines promoueatur, & ne promotus in illis miniſtret, cum autem beneficium Eccleſiaſticum præ requirat ordinem, & illius uſum, irregularitas licet non inducat ipſo iure priuationem beneficij iam quæſiti, reddit tamen collationem ſubſequentem ipſo iure nullam, verum ei qui incidit in irregularitatem, quæ naſcitur ex defectu ad vſum alterius ordinis, ſed non illius ſuſcepti, ſine ſua culpa, cui. ſ. abſciſi ſunt digiti manus, ſine quibus non poteſt celebrare, poteſt conferri beneficium non requirens celebrationem, vt inquit Nauarrus, concordans iura, quæ videntur contraria.

Nau. c. 27 nu. 249.

De prima ſpecie Irregularitatis ex Bigamia.
Cap. VII.

PRima ſpecies Irregularitatis ex defectu Sacramentalis ſignificationis, eſt bigamia, eſt autem Bigamia ſtatus coniugati cum duobus coniugibus, ſiue ante, ſiue poſt Baptiſmum ductis, & eſt impedimentum ordinum, quia bigamus non poteſt aptè ſignificare unionem Ieſu Chriſti cum Eccleſia, vnica ſua ſponſa, & ſancta.

Triplex eſt Bigamia, Prima vera, quando quis habuit, & cognouit duas uxores, diſt. 26. ca. Acutius. Secunda eſt interpræta tiua, quando quis duas uxores habuiſſe fingitur, ut ſi contrahat cũ vna, ſed vidua, uel cum corrupta per alium, diſt. 23. cap. Maritum, vel cum virgine, quam poſt commiſſum adulterium, cognouit, diſt. 34. c. ſi cuius. etiam ſi id per ignorantiam contingat, ut dicit Abbas, & etiam quando contrahit cum una ualidè, & cum altera inualidè, aut cum duabus de facto, & cum neutra ualidè. Contrahens autem cum uidua cognita, uel cum corrupta per alium, inualidè, ſiue nulliter propter aliquod impedimentum, non eſt irregularis, per determinationem ſacræ Pœnitentiariæ, quam refert Nauarrus, quod intellige dummodo non duxerit prius aliã, nec poſtea ducat. Tertia eſt ſimilitudinaria, & eſt cum quis Sacro ordine inſignitus, vel uoto ſolenni aſtrictus, cum aliqua, etiã

vnica,

vnica, & virgine contrahit, & conſumat, 27. q. 1. capit. quotquot, nam per ſacrum ordinem, & votum ſolenne contraxit ſimilitudinariè cum Chriſto. Qui autem contrahit, cum muliere ſcurrili, ſerua, aut cum publica fabularum actrice, licet non ſit bigamus, ſi erat virgo, eſt tamen irregularis, & ea mortua ordinari non poteſt, diſt. 34. capit. ſi quis viduam

2 In Bigamia uera, & etiam in interpretatiua ſolus Papa diſpen- Quis diſpenſet.
ſat, ſaltem quo ad promotionem, in ſimilitudinaria verò ſi illa erat uirgo Epiſcopus diſpenſare poteſt.

De ſecunda ſpecie irregularitatis ex defectu corporali, & & de aliis, quæ ad eam reducuntur.

Cap. VIII.

SEcundam Irregularitatis ſpeciem ex defectu corporali, inducit defectus cuiuſlibet membri principalis, contingens ob culpam, ca. 1. & cap. ſi euangelica diſt. 55. & etiam ſi membrum ſit occultum, & non impediat facultatem vtendi ordine, ead. diſt. c. Si quis abſciderit, & etiam ſi in pœnam alicuius delicti fuerit ei membrum abſciſum, cap. ex parte ext. de cor. uit. non tamen eſt irregularis ſi abſque ſua culpa abſcindatur, vel alicuius membri debilitatem patiatur, dummodo celebrationem non impediat, uel inter celebrandum notabilem horrorem, deformitatem, aut ſcandalum, non inducat, d. capit. ex parte, & cap. cum tua eod. tit. quis autem defectus, aut deformitas ſit talis, iudicabit Epiſcopus. Defectus autem membri, qui aliquem inhabilem efficit ad aliquod officium Eccleſiaſticum exercendum, ad illud efficit irregularem, & non ad aliud & ſic Sacerdos, qui non poteſt celebrare poterit abſoluere, quod intelligitur, ut inquit Nauarrus de ordinatis, & cum defe- Nau. c. 27
ctus propria culpa non euenit, & in iſta irregularitate ſolus Pa- nu. 200.
pa diſpenſat.

Ad hanc ſpeciem irregularitatis, multæ irregularitates reducuntur, Prima eſt defectus natalium, ext. de filijs præsb. ca. ſi. in qua ſolus Papa diſpenſat, quoad Sacrum ordinem, dignitatem, & beneficium curatum, ſed quoad minores, & unum beneficium ſimplex, Epiſcopus diſpenſare poteſt; & religionis profeſſio diſpenſat quoad ordines, ſed non ut poſſit eſſe prælatus, etiam cum diſpenſatione Epiſcopi. Secunda eſt defectus ætatis dum durat, capit. final. de temp. ord. in 6. Tertia morbus caducus, à dæmone obſeſſus, 7. q. ſecunda, capit. in

Irregularitates, quæ ad hanc ſpeciem reducuntur.

lite-

literis. 4 lepra cap. tua de cler.egrot. 5 hermafroditus d. 36. cap.illiteratos, in quibus ſolus Papa diſpenſat. 6 ſeruus donec efficiatur liber, ext.de ſer. non ord.ca.1. 7 non potens bibere uinum quin euomat, eſt irregularis quoad Sacerdotium: & cum eo diſpenſari non poteſt, ſecus quoad inferiores ordines cum in illis miniſtrans non teneatur ſub ſpecie vini communicare, Gloſ. in cap.ipſi Apoſtoli.2.q.7.

De tertia ſpecie irregularitatis ex defectu animæ. Cap. VIIII.

EX defectu animæ ſunt irregulares. Primo, illi omnes, qui non ſunt baptizati, licèt ſint cathecumeni, & ſancti, & cum eis diſpenſari non poteſt, cum character Ordinis præſupponat characterem Baptiſmi. 2 neophiti, ideſt recenter conuerſi, aut baptizati, ca.1.& ſeq. diſt.48. 3 hæretici, fautores hæreticorum, quamuis ſint conuerſi, & eorum filij, ca.ſi quis omnem.1.q.7.& ca.2.§.hæretici de hæret.in 6. 4 ignorantia ca. illiteratos, diſt.36. Conc.Trid.ſeſſ.23.cap.2.de refor. 5 lunatici, furioſi, mente capti, & alij iudicio rationis carentes, cum quibus non diſpenſatur, cum alijs ſolus Papa diſpenſat.

De quarta ſpecie irregularitatis, quæ eſt ob defectum perfectæ lenitatis. Cap. X.

IRregularitas ob defectum perfectæ lenitatis oritur ex occiſione, uel mutilatione membri hominis, in caſu licito, quia uiſum eſt Eccleſiæ, eum qui occidit, uel mutilat, etiam licitè, non poſſe ſatis referre lenitatem, & manſuetudinem Chriſti, qui propter nos ſuum proprium ſanguinem fudit, & morti ſe tradidit. Sed quia quinta ſpecies irregularitatis oritur ex quibuſdam delictis quorum vnum eſt homicidium, uel mutilatio in caſu illicito, ideo breuitatis cauſa de hac in explicatione irregularitatis, quæ oritur ex delicto homicidij tractabimus.

De quinta ſpecie irregularitatis, quæ ex quibuſdam delictis oritur, & primo ex homicidio. Cap. XI.

Regula generalis.

PRo irregularitate, quæ oritur ex homicidio, tam licito, quã illicito, ſit hæc generalis regula. Ille omnis, & ſolus eſt irregularis, qui cum ſit baptizatus, & habeat uſum rationis, ſe ipſum,

ſe ipſum, vel alium, etiam gentilem, & infidelem, mutilat, uel occidit, non ſolum in caſu illicito, ſed etiam in licito, qui nō eſt cauſa infirmitatis, aut dat cauſam propinquam, dicto, uel facto, aliquem occidendi, uel mutilandi, vel ſaltem, vt citius occidatur, uel mutiletur.

Pro qua eſt primo notandum, quod nomine homicidij, non intelligitur ſolum cum occiditur homo natus, ſed etiam cum occiditur fœtus in utero matris anima rationali viuificatus, & maſculus quidem, quadrageſimo die, fœmina uerò octuageſimo anima rationali informatur, qui ergo prægnantem abortire facit, poſtquam fœtus eſt informatus anima rationali, eſt irregularis; quia homicidium committit, ſecus ſi antea, quod ſi neſcitur, debet cenſere ſe irregularem. Quid per homicidium.

Eſt ſecundo notandum, quod mutilatio eſt cum abſcinditur aliquod membrum, ca. expoſuiſti ext. de corp. vit. & membri nomine illa ſola pars intelligitur, quæ habet officium per ſe diſtinctum, ut manus, pes, auris, diſt. 89. ca. ſingula, quare digitus non eſt membrum, ſed pars membri, & conſequenter abſcindens digitum non eſt irregularis, ſecūdum communem, quam ſequitur, & contra Caietanum, & Sotum, probat Nauarrus. Sed iudicio meo, neque communis, neque Caietanus rem ipſam ſunt aſſecuti, nam diſtinguendum eſt, quando enim, quis uoluntariè abſcindit aliquam ſui partem, etiam ſi nō abſcindat membrum, ſed partem membri, vt digitum, imo etiā partem digiti, & etiam ſi nullū impedimentum afferat ad celebrandum, eſt irregularis, non ratione defectus membri, aut partis, ſed ratione crudelitatis in ſe ipſum. & hoc expreſſè habetur, diſt. 55. ca. qui partem, ubi ponderanda ſunt uerba, qui partem cuiuſlibet digiti, certum eſt autem, quod non omnes digiti ſunt neceſſarij ad celebrandum. At ſi quis alteri partem abſcindat non eſt irregularis, niſi abſcindat membrum, vnde abſcindens alteri digitum non eſt irregularis iuxta communem, per alterius igitur mutilationem intelligimus abſciſſionem membri, & quo ad irregularitatem paria ſunt occidere, & mutilare, & propterea breuitatis cauſa, quod de uno dicitur, de utroque intelligatur. An autem etiam paria ſint mutilare, & membrum ita debilitare, quod quis eo uti non poſſit, eſt apud Doctores difficultas, & Abbas utramque ſentētiam tenuit, ſed quia pœnæ ſunt potius reſtringendę, quam ampliandæ, & mutilatio propriè ſignificat abſciſſionem, ideo dicimus cum Nauarro, & ab eo citatis debilitantem non eſſe irregularem; licet efficiat debilitatum irregularem. Quid per mutilationem. Caiet. 22. q. 65. ar. 1. Sot. lib. 5. de iuſt. & iure. q. 2. ar. 1. Nau. c. 27 nu. 206. Occidere & mutilare quo ad hoc idem ſed nō debilitare. Nau. c. 27 nu. 207.

De-

Deducuntur aliqui caſus particulares.

Cuius ratione iuſtitiæ.

REgula ſic declarata ad particulares caſus deſcendemus, non quidem ad omnes, ſed ad præcipuos, quantum ſufficiat Sacerdoti ad dubitandum, ut eos, qui ad minima quæque deſcendunt, conſulere poſſit. Sunt igitur irregulares ſecuta morte, ſeu mutilatione, Iudex etiam iuſtè procedens, accuſator, fiſcalis, procurator, conſulens, teſtis, notarius ſententiam, aut teſtium depoſitionem ſcribens, aut legens, quando publicantur, dictans, & ſcribens literas, quibus mors, vel mutilatio iubetur, uel perſuadetur, aduocatus etiam defendens reum quando accuſator cum effectu ſubijcitur talioni, comitans iudicem, tanquam notarius, ſateles, aut cuſtos damnati ad mortem, uel mutilationem, uendens, commodans, uel præparans, portans ſcalas, funes enſes, uel alia inſtrumenta ad occidendum, uel mutilandum, hortans etiam condemnatum, ut aſcēdat ſcalas, caput admoueat, & ex hoc citius ponit, uel carneficem, ut cito illum expediat, uel ſecurim aptet, ne bis feriat, & facit, & qui uoluit infirmum, ut citius moriatur, & in uniuerſum, qui aliquid aliud facit, uel dicit, ex quo non ſolum ſequitur mors, ſeu mutilatio, ſed etiam, uel minimum talis deformatio acceleratur, omnes ſunt irregulares; quia dant cauſam propinquam morti, ſeu mutilationi, uel in ea cooperantur arg. c. ſi quis uiduam d. 50. ca. aliquantos, d. 51. & eſt communis ſententia.

Ratione infirmorū

Non ſunt irregulares niſi in particulari.

At qui facit, & uendit enſem, & funes, abſolutè ad omnem vſū, & non ad occidendum, & ſuſpendendum, nō eſt irregularis, quia caſu id ſequitur 23. q. 5. ca. de occidendis. Similiter iudex, qui dubitans de intellectu alicuius legis conſulit doctiorem, an in caſu illius legis infligenda ſit mors, uel mutilatio, ſi non occurrit caſus in particulari, ſed ſolum in uniuerſali petit intelligentiam legis, legis peritus dans ei ueram intelligentiam illius legis, nō eſt irregularis, ſicut nec theologi, nec ſummiſtæ, nec concionatores, qui abſolutè, & uniuerſaliter loquentes, dicunt, & confirmant pœnas delictis à iure inflictas, & damnant Iudices non adminiſtrantes iuſtitiam, licet Iudices eorum auctoritate plurimum moueātur; At ſi interrogarentur in particulari propter caſum tunc occurrentem, etiam ſi Iudex interroget, ut pro iuſtitia tuta cōſciētia ſententiam ferat, conſulentes etiam, ſecundum leges, & conſcientiam occiſionem, uel mutilationem ſunt irregulares, quia ſunt eius cauſa propinqua, in priori uerò caſu ſunt cauſa remota, & per

ta,& per accidens,concordat Abb.in c.1.de furtis.Differentia inter homicidium licitum,& illicitum quoad irregularitatẽ ex his quæ dicemus, & præcipuè de homicidio caſuali,manifeſta erit.

De occidente,& præbente arma,ob neceſſariam uitæ propriæ defenſionem.

Excipiuntur ab hac regula. Primo illi, qui cũ moderamine inculpatæ tutelæ occidũt,uel mutilãt, ob neceſſariam, & iuſtã uitæ ſuę defenſionẽ,iſti.n.nõ ſunt irregulares,in Cle. 1.de homic.in hac neceſſitate ſunt illi,qui neq; fuga, neq; clamore,neq; ullo alio modo mortẽ, uel mutilationẽ euitare poſſunt,niſi interficiendo,uel mutilando aggreſſorẽ,cũ dicto moderamine,q̃ à gloſ.& Abbate,ſic definitur, ut illa defenſio non excedat fines meræ defenſionis,nec accedat ad uindictam,quod tunc ſeruatur,quando illud dumtaxat fit,quo omiſſo uiolentia repelli non poſſet,unde qui potuit violẽtiã repellere cũ minori, uel leuiori percuſsione,nõ adhibuit moderamen,ſed eſt in culpa,ꝙ vt inquit Abb. tunc eſt uerum,quando ex propoſito exceſſit modũ, ſecus ſi indeliberatè, & accenſus furore iracundiæ, nam de facili tunc quis diſcernere nõ poteſt uerũ à falſo. Et licet quis non teneatur fugere ad vitandum peccatũ ne aggreſſorẽ interficiat, tenetur tamen quoad euitãdã irregularitatẽ,vt dicunt Gloſ. Abb. & Nau.Ex quo ſequitur, quod præbens arma in huiuſmodi neceſſitate cõſtituto,nõ valẽti ſine illis ſe defendere, non eſt irregularis ſi occidat,uel mutilet;at ſi ſine illis poterat periculum illud euadere,eſt irregularis,ſicut & ille occidens,& mutilans.Diximus ob iuſtam defenſionẽ, nã qui occidit ad uitæ ſuæ defenſionem, ut ſe liberet à miniſtris iuſtitiæ,vel etiam ab illis(vt dicunt. S. Ant. & Nauar.) qui eum in furto,vel adulterio depræhenderunt, eſt irregularis,nã contra miniſtros iuſtitiæ iniuſtè ſe defendit, & quoad alios,culpa ſua in illã ad euadendũ neceſſitatẽ ſe iniecit,cũ furtũ,& adulteriũ,ſint uia ad homicidiũ,& probatur, quià cum occidẽs ſæpe excuſetur ab irregularitate, nunquam tamen excuſatur cum homicidium ſequitur ex eo,quod dedit operam rei illicitę, ut patet ext.de homic.volunt.uel caſu.per multa cap.

De ſe defendẽtib' iuſtè, & in iuſtè.

Gloſ. & Abb. in c. ſignificaſti de homic. uolunt. uel caſu.

Moderamen inculpatæ tutelæ quid.

Gloſ. in Clem. 1. de homi.

Abb. in c. olim de reſt.ſpol.

Nau.c.27 nu.211.

S. Ant. 3. p.tit.5.

Nau.c.27. nu.238.

At ſi quis occidat,uel mutilet, ob defenſionem proprij honoris,uel bonorum ſuorum, uel etiam ad ſaluandam uitam patris, & matris ſuæ,& cuiuſcumque alterius,quã aliter ſaluare non poteſt niſi occidendo,uel mutilando inuaſorem,eſt irregularis.Nec obſtat,quod in iſto caſu occidit,uel mutilat ſine peccato, & ꝙ nõ

De defentibus honorẽ, uel bona, uel alios.

eſt excõmunicatus,qui clericũ propter neceſſariã proximi defenſionẽ percutit,nã per d.Cle.non excipitur niſi occidens, & mutilans ob neceſſariam uitæ propriç defenſionẽ, & irregularitas contrahitur etiam ſine peccato, maior autem excommunicatio nõ incurritur ſine peccato mortali,quare non eſt eadem ratio.

De Prælato,de Accuſante,& denunciante.

PRælatus,qui etiam temporalem iuriſdictionẽ habet, iudicẽ ſecularẽ,qui audiat cauſas ſanguinis conſtituat, & cum occurrit caſus ſanguinis, & interrogatur,non reſpondeat Iudici,quod occidat, Sed quod ueritate inuenta, iuſtitiã exequatur,& ſi dubitat quid agendum ſit,peritiores conſulat,& ſic non erit irregularis,etiam ſi iudex reum ſuſpendat.Ne cle.uel Mon.ca. Epiſcopus in 6.

Clericus,uel laicus,qui aliquẽ accuſat,capit,vel indicat,ut in carcerẽ ducatur,ob quæ ſequitur illius mors,uel mutilatio, ſi id facit ſuæ vtilitatis cauſa,& ſimul etiã cũ proteſtatione,quod non intẽdit pœnã ſanguinis,non eſt irregularis,c.Prælatis de homic. in 6.Sed altero deficiente,irregularis efficitur,ut ſi de iniuria, nõ ſibi,ſed alteri illata aliquẽ accuſet,vel teſtificetur, etiam cũ dicta proteſtatione,vel de ſibi illata, ſine proteſtatione, & inde ſequatur pœna ſanguinis. Nec obſtat, quod poſſent etiã cũ merito pro iniuria alteri illata teſtificari,nã irregularitas contrahitur etiã ſine peccato,& cum merito,& ſi ei conceditur in cauſa propria, eſt ne detur pleriſq; occaſio clericos trucidandi,& eorum bona deprędandi,dum uident eos non poſſe accuſare,nec teſtificari.

Ad impeda mala. Poſſunt etiã Prælati cũ opus fuerit, contra pacis, & religionis violatores inuocare brachiũ ſeculare,cũ proteſtatione,quod non ſanguinis effuſionẽ,ſed ſuarũ ouium pacẽ, & fidei puritatẽ intendũt.Imo quilibet priuatus poteſt denũciare iudici mala,quæ ſcit iminere,vt proditiones,homicidia,& alia delicta,cũ proteſtatione,quod hoc ſolũ facit,ut impediantur ne fiant, & non ut aliqua pœna ſanguinis puniantur,& non eſt irregularis, etiã ſi ſic denuncians ſit clericus,dũmodo extra confeſſionẽ id ſciat, ut inqit Nauar. quia licet clericus,qui alium ob alienas iniurias corã iudice, etiã cũ prædicta proteſtatione accuſat ſit irregularis, ſi ſequitur pœna ſanguinis,non tamen incurrit irregularitatẽ, ſi eos cũ prædicta proteſtatione denunciat ad euitanda mala,quæ imminent, præſertim ſi ad id eum conſcientia aſtringat, nam aliud eſt alienas iniurias proſequi,aliud impedire mala ne fiant.

Nau.c.27. nu.213.

Circa

Circa, quę notandum eſt, quod iſta proteſtatio, quod non intẽditur pœna ſanguinis debet expræſsè fieri, & ut inquit Gloſſa in d.cap. Prælatis, clericus de hoc publicã ſcripturã facere deberet, & nõ ſufficit, quod fiat uerbo, aut ſcripto, ſed debet etiã fieri animo, nam ſi uerè ei placet pœna ſanguinis, licet contrariũ expræſsè proteſtetur, in foro conſcientiæ erit irregularis, ut cõtra Fely. inquit Nauarrus ex aliorum etiam ſententia, quos citat. Nec obſtat, quod irregularitas non incurritur per ſolam uolũtatem, aut intentionẽ ſine opere exteriori, 15. q. 1. c. fin. quia in propoſito caſu cum uoluntate concurrit accuſatio, ſeu denũciatio, quam ſubſequitur pœna ſanguinis, & proteſtatio non eſt talis qualẽ ius requirit ad excuſandũ ab irregularitate, ius.n. non requirit proteſtationẽ mendacẽ, & fraudulẽtã, Hoc autẽ ad tollendos ſcrupulos ſic melius declaro, ut nõ ſufficiat quæcumq; cõplacẽtia, & uoluntas pœnæ ad irregularitatẽ, nã accuſatio ad hoc tendit, ut puniantur delicta, & Eccleſia tradẽs curię ſeculari, cũ prędicta proteſtatione, ideo facit, ut delicta nõ maneãt impunita, & ne detur delinquẽdi occaſio, ſed ſatis eſt, quod principalis, & formalis intentio accuſantis, nõ ſit pœna ſãguinis, licet ſit quod iuſtitia locũ ſuum obtineat, & delicta nõ maneant impunita, & ſic proteſtatio nõ eſt mendax & fraudulenta. Illud etiã notãdũ eſt, quod prędicta iuſtè fiant, nam iniuſtè accuſantes, & denunciantes ſi ſequitur mors, vel mutilatio ſunt irregulares.

Proteſtatio qualis

Nau. ibid. nu. 216.

De hortante in bello, & de prębente arma ad bellandum.

CLericus, vel laicus, qui eſt in bello iuſto *a* armatus *b* & milites ad victoriã generaliter hortatur *c* vt animosè, & fortitèr aggrediantur hoſtes, & prælientur, etiam ſi ipſe *d* proprijs manibus, & armis multos percutiat, & vulneret, dummodo non occidat, nec mutilet, extra ineuitabilem caſũ propriæ uitæ defendẽdæ, non eſt irregularis, licet hinc inde multa homicidia ſequantur, quæ ab ipſo non ſint formaliter intenta, ſed uictoria, at ſi mortem *e* intenderet, efficeretur irregularis. Et idem cenſendum eſt de præbentibus arma his, qui eunt ad bellum iuſtum, uel in eo ſunt, ſine ſpeciali intentione, ut occidant, & mutilent, ſed cum generali, ut pugnent, & uincant, iuxta Abbatẽ, & communem in cap. ſententiam ne cler. uel Monach. At ſi quis hæc in bello iniuſto efficiat, uel aliquem iniuſtè accuſet, non obſtante quacumq; proteſtatione, ſi ſequitur mors, uel mutilatio, irregularis efficitur.

a cap. igitur, cum trib. ſeq. 23. q. 8.
b ca continentia extra. de cler. perc.
c c. 3. eod. tit.
d c. penul. de hom. uol. uel caſu. & ibid Abb.
e c. quod in dubijs ext. de pœnis.

Quibus non obſtat ca. quod in dubijs, extra de pœnis, vbi dicitur Sacerdotes, qui in bellis ad prçliandum incitant, eſſe irregulares, Nec Gloſ. in cap. ita quorũdam, extra de Iudæis, quæ inquit irregularem eſſe, qui ad prçliandum dat arma, ſi eis aliquis fuerit interfectus, Nec quod dicit Innocentius communiter approbatus in d. cap. ſententiam. ſ. eum qui baliſtam, aut ſagittas præbet ei quem credit interfecturum ſi interficit eſſe irregularem, quamuis bellum ſit iuſtum, nam hçc intelligenda ſunt de incitante, uel dante arma in bello iniuſto, ut dicit gloſ. in d. cap. quod in dubijs, uel quando fiunt cum ſpeciali intentione, vt interficiant, etiam in bello iuſto.

Tria argumenta contra prædicta cum ſolutionibus, & de Clerico in bello de licentia Papæ pugnante. De Nuncio apoſtolico petente bannito, & de Inquiſitore inſtante, ut comburatur hæreticus.

Nau. c. 27. nu. 216. Contra prædicta Nauarrus facit tria argumenta, quæ etiã fruſtra conatur ſoluere. Primum quia intentio actualis ſiue expreſſa, & uirtualis ſiue tacita, æquiparantur, in l. cum quid. ff. de reb. cred & in cap. quemadmodum, extra de iureiur. Sed qui incitat, aut præbet arma ad præliandum, & uincendum hoſtes, uirtualiter videtur uelle, quod percutiant mutilent, & occidant eos, cum uictoria aliter haberi non poſſit, & qui vult conſequens, velit etiam neceſſarium antecedens. Secundum, quia dupliciter aliquid uelle poſſumus. ſ. in ſe, uel in ſua cauſa, & ad incurrendam irregularitatem, ſufficit uelle homicidium in cauſa, cap. Præsbyterum, & cap. continebatur de homic. ſed prædicta ſunt cauſa homicidiorum. Tertium, qui prædicta facit in bello iniuſto, ſequuto homicidio, eſt irregularis, ea ſola ratione, quia virtualiter videtur id uelle, ergo erit etiam irregularis in bello iuſto. In his ſoluendis, & in aſſignanda ratione huius differentiæ, Nauarrus multum laborauit, & poſt multum ſtudiũ in vigilia S. Matthei Diuino fauore, per ſacra implorato, ſe hãc veram rationem inueniſſe putat. ſ. quod non omne, quod ſufficit ad dandam cauſam propinquam, & habendam intentionem ſufficiẽtem occidendi, quo ad occiſionem iniuſtam, ut incurratur irregularitas, ſufficit ad dandã cauſã propinquã, & habẽdã ſufficiẽtẽ intẽtionẽ occidẽdi, quo ad occiſionẽ iuſtã, ut eadẽ incurratur; & ſic putat ſoluta eſſe argumẽta, Sed quid amplius requiratur, non dicit, unde petit principiũ, & argumenta inſoluta remanent, nam

cum

cum eadem prorſus concurrant reſpectu occiſionis iuſtæ, & iniuſtæ,ſi non ſunt illius cauſa propinqua,nec etiam erunt huius,& ſi ſunt huius,erunt etiam illius,nam quòd occiſio ſit iuſta, non facit, quod illius cauſa propinqua non ſit eius cauſa; & confirmatur, quia deferens iudici iniuriam alteri factam ſine intentione pœnæ ſanguinis,& cum expræſſa huius proteſtatione, Si inde ſequitur homicidium eſt irregularis,ut ipſe dicit,& tamen delatus iuſtè ſuſpenditur, ſecus ſi ſic deferat iniuriam ſibi factam, deferens iniuriam ſibi factam,non erit cauſa,quod ſuſpendatur,& deferens iniuriam alteri factam,cum eadem intentione,& proteſtatione,erit cauſa occiſionis illius?

Aliter igitur reſpondendum eſt,& dicimus, quod iſti non ſunt irregulares,non quia non concurrant in cauſa propinqua homicidij,uel mutilationis,concurrunt enim,vt probant argumenta,ſed quia irregularitas eſt pœna canonica, quæ in ſolis caſibus iure expręſſis contrahitur,& iura prædictos ſic ad homicidium cócurrentes,irregulares non eſſe declarant. imò ſi clericus de licentia Papæ pugnet,etiam ſi manibus proprijs occidat, non eſt irregularis,quia Papa concedendo ei non ſolum,ut interſit bello,ſed etiã vt pugnet,uidetur etiam eum ab irregularitatis pœna eximere, vt ex aliorum etiam ſententia inquit Syluester.Nec eadem ratione erit irregularis nuncius Apoſtolicus,qui de commiſſione Papę petit à Principe bannitum, uel rogatu Principis illum petit à Papa,qui poſtea ſuſpenditur, nam Papa committendo, & concedendo ratione officij eius, cenſetur diſpenſare ab irregularitate. Secus ſi id committeret laico,quia irregularitas non eſt peccatũ, nec repugnat ſtatui eius,Secus etiam ſi committeret cauſam ſanguinis Legato,uel Gubernatori Eccleſiaſtico,quia habent iudices ſeculares pro cauſis criminalibus,at ſi eis cõmitteret, quòd ipſimet ſententiam proferant,tunc cenſeretur eos diſpenſare. Et Papa iubens pulſari campanas contra bãnitos, clerici pulſantes sũt irregulares,ſi aliquis occiditur,uel mutilatur, quia id præcepit laicis,& non clericis, & ſi præciperet ipſimet clericis, & rectoribus Eccleſiarum,vt ipsimet pulſent,uel pulſare faciant, cenſeretur eos diſpenſare,cùm enim teneantur celebrare, & adminiſtrare Sacramenta, & non poſſint ſtatim ad Apoſtolicam Sedem pro diſpenſatione recurrere,non eſt cenſendum, quod Papa id eis iubens,velit eſſe irregulares, ſi ſuum exequantur mandatum;Inquiſitor etiam tradens hæreticum Iudici ſeculari, & inſtans etiam, vt comburatur non eſt irregularis, quia ſolum ei prohibetur ne per ſe sẽtẽtiã exequatur,vt inquit Armilla,& eſt cõmunis sẽtẽtia.

Sylu. V. homicidium 3.§. 8.dicto,6.

Armilla V.Irregularitas §. 24.

Quare autem ſic concurrentes in cauſa propinqua homicidij, cum prędicta moderatione non ſint irregulares, ſicut alij, non eſt ita ad libitum ſtatutum, ut non poſſit etiam dari certa, & uniuerſalis regula, & ratio. Pro quo eſt primo notandum, quod Eccleſia ita inſtituit hoc irregularitatis impedimentum, ut non propterea velit aperire portam delictis, & quod clerici, & ad clericatum aſpirantes, impunè offendantur, dum ob timorem irregularitatis non accuſant, nec ſe defendunt, & propterea conceſſit, quod in aliquibus caſibus, clerici poſsint aliquo modo ſe ingerere in cauſa mortis, ita tamen, vt non ſint illius cauſa propinqua, & per ſe, uel ſi ſunt, non ſint ſaltem in genere moris ratione intentionis, & conſequenter neutro modo illis homicidium imputetur, quod ſi imputatur, quomodocumq; ad homicidium concurrant, ſemper ſunt irregulares. Eſt ſecundo notandum, quod triplex eſt cauſa propinqua homicidij (loquimur autem modo de cauſa propinqua, ſecundum ſubiectam materiam, nam propriè ſola immediata dicitur propinqua, ſed modo illa dicitur propinqua, quæ ſufficit ad imputandum homicidium, & incurrendam irregularitatem, qualis non eſt valde remota, quantumcumque detur opera rei illicitæ, qui enim ædificauit domum ex rapinis non eſt irregularis, ſi quis poſtea ſe ex feneſtra deijciat, & moriatur, uel in ea occidatur.) Prima, quæ immediatè, & per ſe eſt cauſa homicidij, & per ſe ad illud tendit, & omnes, qui ad hanc cauſā concurrunt, ſunt irregulares, non obſtante quacumque proteſtatione, quòd non intendatur pœna ſanguinis, nam proteſtatio eſt contraria facto, ut accuſator, teſtis, notarius, iudex ſatelites, &c. quia totus ille proceſſus tendit ad rei condemnationem, iuſtitia exigente. Excipiuntur tamen duo caſus. Primus, quando quis accuſat pro iniuria ſibi illata. Secundus, quando quis denūciat mala imminentia, ut prouideatur ne fiant, cum dicta proteſtatione in utroque caſu, non quod iſta proteſtatio faciat, uel declaret, quòd uerè non concurrant in cauſa propinqua mortis, nam uerè concurrunt, ſed hoc eſt ex indulgentia Eccleſiæ, ne detur delinquendi occaſio, extra hos caſus prædicta proteſtatio non excuſat ab irregularitate concurrentes in cauſa per ſe, & immediata homicidij, & ratio eſt, quia cum omnes uerè concurrant in cauſa proxima homicidij, extra illos caſus non eſt iſta neceſſitas remittendi ſic proteſtantibus irregularitatem ad obuiandum malis, nam ſi iniuria eſt alteri illata, agat qui illam recepit; adminiſtratio etiam iuſtitiæ eſt quidem neceſſaria, ſancta, & meritoria, ſed non deſunt laici, qui nolunt eſſe clerici, & libenter criminalia officia

ficia aſſumunt,& exercent, & propterea non fuit neceſſarium extra prædictos caſus liberare concurrentes in cauſa criminali ſanguinis ab irregularitate, quæ ſæpe etiam ſine peccato, & cum merito (vt quando adminiſtratur iuſtitia) contrahitur. Secunda cauſa propinqua homicidij, ſed non ita immediata, & per ſe, ſed ſecundaria, eſt quæ immediatè in aliud dirigitur, & tendit, ex quo ſequuntur homicidia, quæ poſſunt non ſequi, ſed quia, ut plurimùm ſequuntur, & præuidentur, propterea non poteſt omninò dici eorum cauſa per accidens, ſed ſecundaria, & concurrere in hac cauſa (dato ſemper, quòd non intendatur formaliter homicidium, licèt quo ad hanc cauſam, & ſequentem non requiratur proteſtatio) aliquando inducit irregularitatem, aliquando non, tunc non inducit, quando datur opera rei licitæ, & concurrens non occidit, nec mutilat (niſi fortè ob neceſſariam propriæ uitæ defenſionem) nec homicidium, ſeu mutilationem formaliter intendit, ut Prælatus habens iuriſdictionem temporalem, qui pro cauſis criminalibus inſtituit iudicem, cui etiam committit causã particularem ſanguinis, & dicit quod iuſtitiam adminiſtret, qui etiam pro pace populi ſui legem inſtituit, cui apponit pœnam ſanguinis, & iuſtum etiam bellum aſſumit, & eadem ratione clerici in iuſto bello hortantes ad fortiter pugnandum pro uictoria, iſti omnes in rei ueritate, & phyſice loquendo, licet immediatè intendãt iuſtitiam, & victoriam, ſunt cauſa per ſe homicidij, licet ſecundaria, quia ſunt cauſa per ſe, cauſæ immediatæ, & quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati, ſed quia non concurrunt in cauſa immediata homicidij, & ad euitanda multa mala eſt neceſſariũ quod Prælati, & clerici iuriſdictionem habentes, prædicta faciãt, & qui non habent temporalem iuriſdictionem pro religione inuocent brachium ſeculare, ſi formaliter non intendunt homicidium, ſeu mutilationem, de indulgentia Eccleſiæ non ſunt irregulares, quæ ratio ceſſat in dantibus operam rei illicitæ, qui omnes ſunt irregulares ſi ſequitur homicidium, uel mutilatio, licet non intendãt homicidium, & ipſi non occidant, vt aſſumentes bellum iniuſtum, & in eo adiuuantes, & hortantes, & tiranni pro criminalibus iudices conſtituentes, & contra iuſtitiam tradentes aliquẽ curiæ ſeculari, nam ſunt uerè cauſa homicidiorum, & homicidia ſequuta, eis imputantur ad culpam. Tertia cauſa propinqua homicidij eſt omninò per accidens, quia non eſt intentum, nec præuiſum, quod ex illa cauſa ſequatur, ſed eſt merè caſuale; & hæc quãdo datur opera rei licitæ, & adhibetur debita diligẽtia, nõ inducit irregularitatẽ, quia homicidiũ nõ imputatur; ſecus quãdo

datur opera rei illicitæ, ſed de homicidio caſuali, modo dicemus.

Argumentorum ſolutio.

Per quæ facilè reſpondetur ad prædicta argumenta. Ad primũ dicitur, quod intentio actualis, & virtualis, in aliquibus ęquiparantur, ſed non omninò, nam quod actualiter intenditur, eſt per ſe uolitum, at quod uirtualiter, ratione connexionis, ſecundario, & per accidens, & ſi poſſet ſeparari, ſæpe nullo modo eſſet volitũ, vnde maximè differunt, & propterea non eſt eadem utriuſq; ratio. Ad ſecundum dicitur, quod velle homicidium virtualiter, in cauſa, ſed non formaliter, quando datur opera rei licitæ ad ſenſum expoſitum, non inducit irregularitatem, ſed tunc inducit quando datur opera rei illicitæ, & hoc probat d. cap. Præsbyterum, & alia multa, vt dicemus. Ad tertium reſpondetur eſſe maximam differentiam, nam in bello iniuſto datur opera rei illicitæ, & homicidia imputantur, in iuſto autem cum detur opera rei licitæ, virtualis voluntas non ſufficit ad inducendam irregularitatem.

De homicidio, ſeu mutilatione caſuali.

Sylu. V. Homicidiũ 2. §. 2. Tab. V. Irregularitas 3. §. 1. Prima regula.

PRo homicidio caſuali tres cum Sylueſtro, & Tabienna ponemus regulas, ex quibus facilè erit ſoluere caſus particulares. Prima eſt, quando aliquis dat operam rei licitæ, & adhibet diligentiam probabilem ex homicidio ſequuto, nullam incurrit irregularitatem, fortuita enim, quæ uiri prudentes communiter non cogitant, ſi eueniant, non ſunt nobis imputanda, ſecus ſi ex negligẽtia, vt reparabat, quis domum, & poſuit ſigna ante eam, & clamauit per tranſeuntibus antequam proijceret tempore congruente, vel incidit arborem, & cecidit in partẽ contra communem extimationem, vel pulſabat campanam, & cecidit, quia non poſſumus præuidere omnes caſus fortuitos, cap. lator, cap. dilectus, cap. 2. ex literis, cap. 1. ſignificaſti, ca. Ioannes, cap. fin. extra de homicid.

Secunda regula.

Secũda regula eſt, quando aliquis dat operam rei licitæ, & fuit in culpa, vel non adhibuit debitam diligentiam, eſt irregularis, Vnde ſecundum Hoſt. præsbyter, qui mittit puerum ad aquandum equum, monens, quod caueat de fluuio, & tamẽ eſt ſubmerſus, eſt irregularis, quia cogitare debebat id periculoſum eſſe puero, ſic etiam Diaconus, qui nõ remouit falcem qua accintus erat, cum ſciret ludi conſuetudinem, quod. ſ. vnus equitat alium, & c. cap. continebatur, & Sacerdos, qui non remouit gladium à corrigia

gia qua diſcipulum uerberabat,&c.ca.ad audientiam eod.tit.debebant enim cogitare periculum.

Tertia regula eſt. Ille, qui dat operam rei illicitæ, dato, quod præter omnẽ eius voluntatem eueniat homicidium, uel mutilatio,& quod adhibuerit omnem diligentiam, eſt nihilominus irregularis,ca.ſuſcepimus,ca.de cætero,ca.tua,ca.ſicut ex literarum extra eod.tit. Vnde clericus ludens cum clerico,aut laico, cuius cultellus quem ad latus habebat caſu decidens ſine eius culpa alium occidit,ſi ludo licito ludebat, per primam regulam, non eſt irregularis,caſus eſt in terminis,ca. lator,ſi ludebat ludo ei illicito eſt irregularis,ca. continebatur eodem tit. & ibid. Abbas. Similiter iocans, aut ſaltans cum muliere prægnante, quæ ob id abortit,ſi ludus fuit licitus,tam ex parte ludi,quia gracilis, & nõ periculoſus mulieri prægnanti, quam ex parte ludentis, quia eſt frater propinquus,aut amicus honeſtus,per primam regulam nõ eſt irregularis, at ſi illicitè ludit, vt amator obſcenus, aut clericus,eſt irregularis, etiã ſi ludus non fuerit ex ſe periculoſus mulieri,ſed caſu ſequutus fuerit aborſus, quia dat operam rei illicitæ per tertiam regulam,Abbas in cap. ſicut eod.tit. Qui dormiendo ſuffocat infantem in eodem lecto illicitè à ſe poſitum,per tertiam regulam eſt irregularis,ſecus ſi licitè fuiſſet poſitus,per primam regulam. Clericus cædens alienam arborem ſi caſu aliquẽ occiderit, etiam adhibita diligentia, quæ ipſum cædentem propriam arborem excuſaret à culpa,eſt irregularis, Pulſans campanam tempore ſibi prohibito, ſi illius tintinnabulum decidens aliquem occiderit,etiam adhibita diligentia, quæ illum excuſaret, ſi tempore debito id faceret,ſecundum Abbatem,Sylu.Tabiennã, & alios eſt irregularis, licet contrarium dicant Sotus, Bart. Medina,& Nauarrus, ea ratione moti, quia culpa non dirigitur in mortem, ſed cum dent operam rei illicitæ, & mors immediatè ſequatur ex opere illicito quod faciunt, ſunt irregulares quia eis competit tertia regula. Et probatur ex ca. Ioannes eod. tit.vbi ponitur idem caſus in pulſante licitè campanam,& determinatur clericum illum non eſſe irregularem, quia dabat operã rei licitæ, ergo à contrario ſenſu,ſi daret operam rei illicitæ eſſet irregularis,& probatur etiam à ſimili,quia Monachus in Chirurgia peritus,eam exercens pietatis cauſa, ſi moritur ille cui medetur ſine ulla prorſus Monaci culpa,quia adhibuit omnem diligentiam,quæ excuſaret laicum, ſed quia infirmus ei non obtemperauit,eſt nihilominus irregularis, quia dat operam rei illicitæ exercens alienum officium ſibi uetitum,quod expræſsè habetur in c.

Tertia regula.

Caſus particulares.

Abb. in c. Ioannes eod.tit. Sylu. V. Homicidium 2.§. 12. Tab. V. Irregularitas 3. §. 19. Sotus. Med. ſuper 1.2 q. 73.ar. 8. Nau.c.27 nu. 237.

tua

tua eod.tit.& tenet Nau.ex ſententia etiam Ioa.And. Abb. Anan. & Fely. Et confirmatur, quia Canones ad iudicandum de irregularitate ex homicidio caſuali,nullo modo intento,neq; præuiſo, & omni etiam diligentia adhibita,ſolum ad hoc reſpiciunt, an dederit operam rei illicitæ,& ſi dedit,licet ſolum peccauerit ratione rei illicitæ cui dedit operam, & homicidium, ut mere caſuale, & præter omnem intentionem non ei imputetur ad peccatum, nihilominus illum irregularem faciunt,& ſi non dedit, illum excuſant,ut patet ex multis cap.extra de homicid. vt cap. dilectus, cap.ex literis,& alijs ſuperius etiam citatis. Vnde facilè reſpondetur ad omnia exempla, quæ ad contrarium probandum adducit Medina, nam adducit multos caſus in quibus iura dicũt non incurri irregularitatem,quos extendit etiam ſi detur opera rei illicitæ, ſed eadem iura, cum pręſupponant illa homicidia nullo modo fuiſſe uoluntaria,dicunt illos non eſſe irregulares, quia dederunt operam rei licitę, ſi ergo iſta eſt cauſa illos excuſans ab irregularitate, conſequẽter ſi dediſſent operam rei illicitę fuiſſent irregulares,ſicut in d. cap. tua dicitur de Monacho ex charitate medente.

Nec opus eſt laborare in aſsignanda ratione ob quam ſit magis cauſa homicidij dans operam rei illicitæ, quam rei licitæ, etiam omni adhibita diligentia, nam ut ſuperius diximus de hortante in bello,irregularitas eſt impedimentum canonicum,& non contrahitur niſi in caſibus in iurè expræſsis,quæ etiã(vt diximus)nõ caſu,ſed optima ratione mouentur,& ad iudicandum de ea, non tam attendendum eſt an id,quod agitur ſit uerè cauſa, vel non ſit cauſa homicidij,& an fiat cum peccato, uel ſine, ſed quid diſponant iura,& regulæ ex iuris diſpoſitione,& non ex natura rei ſunt ſumendæ, cum hoc impedimentum ſit inductum non tam ex natura rei,quam ratione ſignificationis, quatenus pro religione, & non contra religionem militat, ſicut militaret ſi in omnibus caſibus contraheretur,ut diximus, & propterea contrahitur etiam ſine ulla culpa, ob quam etiam rationem non eſt reſpiciendum, quando datur opera rei illicitę,an ſit peccatum mortale, uel ueniale,ad iudicandum de irregularitate.

Declaratio tertiæ regulæ.

Illud tamen addam pro declaratione tertiæ regulæ, quod ſi opus illud illicitum cui datur opera, nullum habet ordinem ad ſubſequentem mortem, & mors ex illo opere nullo modo ſequitur,ſed eſt mere caſualis,adeo quod propter illud opus illicitum nulla requireretur diligentia ad præcauendam mortem, non incurritur irregularitas, vt ſi clericus mittat ad domum illius quã

inhoneſtè amat,& miſſus dum it,fulminis ictu moritur, vel rixās cum alio ob aliam propriam cauſam, & non propter lenocinium occiditur,clericus qui illum miſit non eſt irregularis, nam in ſuperioribus caſibus, & de quibus iura loquuntur, mors aliquo modo ſequitur ex illo opere illicito, tanquam ex cauſa propinqua,vel cauſa cauſæ propinquæ, nam arbor aliena abſciſa,cadens occidit, ſimiliter,& tintinnabulum campanæ indebitè pulſatæ,& non obſeruans præceptum Monaci,moritur propter medicinam ab ipſo datam, quę aliàs ſanitatem attuliſſet; ſimiliter clericus adulter eſt irregularis Si maritus ob id uxorem occidat,quia poterat, & debebat cogitare id euenire poſſe; At nos modò loquimur quando mors ex illo opere illicito nullo modo poteſt præuideri, quia nullam poteſt illius præſtare cauſam: quod etiam probatur ex Abbate in cap.Petrus eod.tit.vbi inquit,quod ſi clericus rixatur cum alio,& interìm ſuperueniunt inimici illius,qui cum clerico rixatur,qui illum inuentum occiderunt,ad iudicandum an ille clericus,qui dabat operam rei illicitæ ſit irregularis, diſtinguendum eſſe, nam ſi illius inimici ſunt amici, uel conſanguinei clerici,eſt irregularis,quia clerici intuitu occiderunt, at ſi non ſunt illius conſanguinei,uel amici, ita quod non occiderint illius intuitu,ſed quia erant eius inimici,& eum vbicumque inueniſſent occidere uolebant,non eſt irregularis, quia homicidium ei nullo modo imputatur,ſed eius reſpectu eſt merè caſuale.

De huius irregularitatis diſpenſatione.

IN irregularitate, quæ oritur ex homicidio voluntario occulto,ſolus Papa diſpenſare poteſt,& in illa quæ oritur ex uolũtario illicito, nunquam, aut raro diſpenſare ſolet. Pro illa etiam, quæ oritur ex homicidio caſuali, dum datur opera rei illicitę,quod non eſt uolitum in ſe,ſed in cauſa,& illa quę oritur ex homicidio ob neceſſariam ſui defenſionem ex eo, quod vt ſe à morte defenderet, inuadentem uolens occidit, uel exceſsit moderamen inculpatę tutelę, ſecundum Concilium Tridentinũ ſeſſ.14.c.7.ad Papam recurrendum eſt,qui cum iure quodammodo diſpenſatio debeatur,illam committit Ordinario loci, aut ex cauſa Metropolitano,ſeu Viciniori Epiſcopo, qui non niſi cauſa cognita, & probatis precibus,& narratis,nec aliter diſpenſare poteſt,Ordinarius igitur, ſeu Metropolitanus, ſecundum Conciliũ ex commiſsione ei facta diſpenſat,& non iurè proprio. Sed quia Concilium ibidem loquitur de homicidio caſuali, uel ob neceſſariam

riam ſui defenſionem notorio, Si hoc homicidium fuerit occultum, Epiſcopus iure proprio diſpenſare poterit, uigore eiuſdem Concilij Tridentini.ſeſſ.24.c.6. de refor. vbi dicitur, Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus,excepta ea,quæ oritur ex homicidio uoluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum diſpẽſare. Et iure antiquo poterat etiam Epiſcopus diſpenſare ſuper hac irregularitate ex homicidio caſuali notorio quoad ordines minores,& quoad beneficium ſimplex,cap. ad audientiam extra eod.tit.& ibidem Abbas,& in cap.2.de cler.pug. in duel. Sed dubium eſt an etiam modò poſſit poſt Concilium Trid. & Nauarrus dicit,quod poteſt,&,ita uidetur dicendum, ſi bene ponderentur verba Concilij, nam diſpenſationem ad minores Ordines, & beneficia ſimplicia,uidetur relinquere Ordinario,cum dicat,quod iure debetur diſpenſatio quo ad maiores ordines, & quæcumq; beneficia,ac dignitates, hoc enim uidetur habere uim ſignificandi,quod in dictis caſibus nunquam ſit à Papa deneganda diſpenſatio ſi preces ueritati nitantur, & ad uidendum an nitantur, diſpenſationem committit Ordinario, unde non ſpecificat etiam ſi curam animarum non habeant, ſicut ibidem fecit de homicidio uoluntario.

Nau. c.27 nu. 240.

De ſecundo delicto, quod in Sacramento Ordinis committitur ex quo contrahitur irregularitas.

Cap. XII.

CVm in his,quæ frequentius accidunt, & aliquam habent difficultatem,quãtum ſatis eſt immoremur,& citemus, parcendum nobis eſt,ſi breuitati ſtudentes, reliqua ſolũ attingimus,ad Summiſtas nos remittentes,ſicut nunc faciemus. Secundum igitur delictum propter quod incurritur irregularitas eſt illud, quod committitur in Sacramento Ordinis, & eſt irregularis. 1 omnis ſciens,aut ſcire debens, ſe eſſe maiori excommunicatione excommunicatum,interdictum,aut ſuſpẽſum,ſaltem ab ordinibus ſuſcipiendis,ſi ordinatur, uel ſuſceptos ordines exercet. & ſi delictum eſt occultum, Epiſcopus vigore Concilij Trid. diſpenſare poterit. 2. qui ordinatur ab Epiſcopo aliqua Eccleſiaſtica cenſura irretito, & denunciato, & cum ignorante denunciationem Epiſcopus diſpenſare poteſt. 3. qui ordinatur ab Epiſcopo,qui ſe ſuo Epiſcopatu, quoad locum,& quo ad dignitatem abdicauit, ſciens aut ſcire debens eius abdicationẽ,

Cõc. Trid ſeſſ.24.c.6

etiam

etiam de ſui Epiſcopi licentia. 4 qui quatuor ordines minores, & ſubdiaconatum, ubi non eſt conſuetudo, uel duos ſacros ordines eodem die ſuſcipit, à qua irregularitate Epiſcopus diſpēſare non poteſt, ſed poterit concedere uſum aliorum prius ſuſceptorum. 5 qui per ſaltum ordinatur, & ſine diſpenſatione prætermiſſum accipere non poteſt, & ſi non uſus eſt accepto, uel per ignorantiam eo uſus eſt, Epiſcopus diſpenſare poteſt. 6 qui vtitur ordine, quem non habet, exercendo aliquem eius actum, dummodo id ſeriò, & ſolēniter faciat, & tanquam eo ordinatus, & non eo modo quo clerici, & laici etiam interdum ex conſuetudine faciunt. Vnde non Sacerdos baptizans ſine ſolennitate, & non ſubdiaconus cantans epiſtolam ſine proprio ſubdiaconi apparatu, non ſunt irregulares, at ſi ille ſolenniter baptizet, & hic cū proprio Subdiaconi apparatu cantet Epiſtolam, & ſi nō Sacerdos audit confeſsionem, & Sacramētaliter abſoluit, ſunt irregulares. Proprium ornamentum Diaconi, uel Subdiaconi, non eſt dalmatica, vnde ſi clericus dalmatica indutus cantet Epiſtolam, & non habeat manipulum, nec porrigat calicem, non eſt irregularis. Sed proprium ornamentum Subdiaconi eſt manipulus, Diaconi ſtola, Sacerdotis planeta. Verùm quoad ſubdiaconum S. Antoninus, inquit in aliquibus locis eſſe conſuetudinem, quod deficiente Subdiacono, clericus cantet epiſtolam etiam cum manipulo, & Nauarrus dicit ex Villad. fratribus mēdicantibus eſſe conſuetudinem eam cantare etiam cum manipulo, & ubi eſt talis conſuetudo clericus illam cum manipulo cantans, non eſt irregularis. Vbi tria notanda ſunt ex eodem etiam S. Ant. Primum, quod hoc ſolum conceditur de clerico cantante epiſtolam, ſecus ſi cantet Euangelium cum ſtola, nam eſſet irregularis. 2 quod clericus cantans Epiſtolam cum manipulo, vbi eſt conſuetudo, non debet porrigere calicem, quia eſt proprius actus Subdiaconi, & porrigens eſt irregularis. 3 vbi non eſt talis conſuetudo, clericus cantans cum manipulo efficitur irregularis. 7 Qui ad ſacrum ordinem promouentur ante legitimam ætatem, uel extra legitima tempora, vel abſque literis dimiſſorijs non ſunt irregulares, ſed ſuſpenſi, sed ſi ante abſolutionem ordinem ſic ſuſceptum exercent, efficiuntur irregulares.

S. Ant. 3. p. tit. 28. ca. 1.
Nau. c. 27. nu. 242.

De

De tertio delicto uiolandi cenſuras, celebrando, ex quo contrahitur irregularitas.

Cap. XIII.

TErtium delictum quo incurritur irre gularitas, eſt Eccleſiaſticarum cenſurarum uiolatio, non quæcumque, ſed quæ fit celebrando diuina, Omnis ergo maiori excommunicatione excommunicatus (nam ſecus de minori, cap. ſi celebrat ext. de Cler. excom.) interdictus, aut ſuſpenſus ſu ſpenſione ſtrictè accepta, ut eſt cenſura, qui ſciens, aut ſcire debēs ſe eſſe Eccleſiaſtica cenſura irretitum, & celebrat diuina officia, faciendo ſolenniter aliquid alicui certo ordini, etiam minori deputatum, tanquam tali ordine ordinatus, eſt irregularis, ſecus ſi alia ratione illas violat, puta colloquendo, iudicādo, eligēdo, &c. & etiam recitando horas canonicas, uel diuina, ſine ſolennitate celebrādo, eo modo quo per conſuetudinem exerceri poſſunt, etiā à non ordinato tali ordine, ut Epiſtolam, aut Euangelium ſine ſolito proprio illorum ordinum apparatu cantare. Quod non intelligitur ſolum de diuinis officijs Miſſæ, ſed etiam de quibuſcumque alijs, unde agens tanquam Sacerdos hebdomedarium in choro ſolenniter, & dicens capitulum, & orationem, ſolēniter etiam benedicens aquam, & ſolenniter baptizans, eſt irregularis, quia iſta ſic ſolemniter non poſſunt fieri ab alio quam à Sacerdote. Similiter etiam eſt irregularis clericus, qui prædicta in loco interdicto exercet extra caſus à iure conceſſos, & ſine moderatione à iure præſcripta, de quibus ſupra, etiam ſi ipſe non ſit interdictus, nec excommunicatus, aut ſuſpenſus.

Gloſ. in Clem. 2. de Priui. Abb. in c. illud de cler. exco.

Per hoc autem, quod quis audit diuina, non eſt irregularis, niſi audiat auctorizando, ut dicunt Gloſſa, & Abbas, & dant exemplū de Prelato, qui cum ſit excommunicatus auctoritate ſua facit aliquem coram ſe celebrare, etiam ſi ille, qui celebrat non ſit excommunicatus, & probant ex cap. illud, extra de cler. excom.

Eſt etiam hoc loco notandum, quod iſta irregularitas contrahitur ob contemptum alicuius cenſuræ Eccleſiaſticæ, vnde qui celebrant ſine illarum contemptu non efficiuntur irregulares, huiuſmodi ſunt non ſolum illi, qui inuincibiliter ignorant ſe teneri aliqua Eccleſiaſtica cenſura, ſed etiam illi, qui ſciunt cenſuram, & probabiliter credunt ſe illa non ligari, hac ratione non eſt ille, qui celebrat poſt appellationem à ſententia qua declaratur eum incidiſſe in excommunicationem pendente appellatione, ut docet

cet Feli. Vbi notandum eſt, quod non loquitur de appellatione à ſententia lata excommunicationis, ſed à ſententia qua declaratur eum incidiſſe in excommunicationem, quæ maximè differũt, nam hæc appellatio legitima ſuſpendit ſententiam declaratoriã, & conſequenter relinquit excommunicationem dubiam ſicut prius erat, at appellatio ab excommunicatione lata, non ſuſpendit illam, nec tollit, & propterea illa non obſtante, ſeruanda eſt, Appellatio tamen præcedens legitima, ſuſpendit iuriſdictionem iudicis, & conſequenter reddit excommunicationem dubiam, & propterea non eſt etiam irregularis ille, qui appellat ante excommunicationem, & fidens appellationi celebrat ea pendente etiam ſi declaretur malè appellaſſe, vt dicunt Gloſſa, & Abbas. Contra penſionarium non ſoluentem penſionem tempore debito, eſt excommunicatio latæ ſententiæ, & tamen ſi pẽſionarius poſt lapsũ terminum non ſolutæ penſionis celebret, antequam ille cui debetur penſio declaret ſe uelle eum eſſe excommunicatum, probabiliter credens, quod illum excuſatum habebit ob impotentiã, uel eius benignitatem, & quod nolit eum eſſe excommunicatum, nõ eſt irregularis, ut tenet Nauarrus. Eadem ratione non ſunt irregulares illi, qui celebrant ex eo, quod credunt aliquam cenſurã non eſſe receptam, uel non eſſe amplius in uſu, ut eſt illa contra locantes bona Eccleſiaſtica ultra triennium. Nec illi etiam, qui celebrant ex eo, quod credunt ſe in illo caſu non teneri ad illius cenſuræ obſeruationem, quia.ſ.ſic reuelarent peccatum ſuum omnino occultum, cum honoris, & uitæ periculo, quod lege naturali euitare tenentur, iſti omnes prædictis probabilibus rationibus celebrantes, non contemnunt Eccleſiaſticam cenſuram, & conſequenter non ſunt irregulares, cum ſecundum communem ſententiam iſta irregularitas ob cenſuræ contemptum contrahatur. At ſi quis ſibi potius blandiens, leui, & uana ratione mouetur ad celebrandum, non propterea effugit irregularitatem, vnde ſi quis poſt latam ſẽtẽtiam excommunicationis, ab ea appellat, & fidens appellationi celebrat, eſt irregularis, nam appellatio nõ ſuſpendit excommunicationem, licet enim appellatio legitima præcedens, ſuſpendat iuriſdictionem iudicis, & conſequẽter reddat dubiam excommunicationem poſt eam latam, nõ tamen ſuſpendit, nec tollit excommunicationem latam ante appellationẽ, ca. Paſtoralis. §. verum ext. de Appell. Nauarrus dicit Rotam à Felino citatam non iudicaſſe irregularem illum, qui celebrauit poſt intimationem executorialium antequam declararetur, quatenus iudicauit validam collationem beneficij factam ab Epiſcopo ex-

com-

Felinus in c. Rudolphus de reſcrip. prope finem. Gloſ. in c. ſolet. de ſent. exco. in 6. Abb. in c. Paſtoralis §. uerum de Appel.

Nau. c. 23 nu. 104.

Nau. c. 23

communicato, eò quod non paruerit executorialibus ante declarationem. Sed pace tanti uiri, iſte eſt irregularis, ſi non habuit iuſtam cauſam non parendi executorialibus, ut ex eadem deciſione Rotæ deducitur, ibi enim non eſt ſermo de celebratione, nec de irregularitate, ſed de collatione beneficij facta ab Epiſcopo excommunicato per literas executoriales à Rota emanatas, quæ ſunt maximè diuerſa, & determinatur, quod collatio ualuit, ſi nõ dum erat declaratus, nam licet executoriales excommunicẽt ex tunc, tamen in omnibus intelligitur conditio ſi non paruerit, quod autem non paruerit ſine iuſta cauſa, non prius cõſtat, quam fuerit lata declaratoria, ad quam Rota præmittit quatuor citationes, quo non comparente, declarat eum incurriſſe cenſuras, ac ſi apertè dicat (inquit Fel.) eum prius non habendum pro excõmunicato, ſed pro tolerato, & ideo licet geſta per ipſum iure priuato nõ ualeant, vt acceptatio beneficij, contractus, electio, & huiuſmodi, tamen ualent geſta iure publici officij, in quibus ante declarationem excuſatur communis opinio, non habens eum pro excommunicato. hæc Fel. ante declarationem igitur, ſi sine ratione eum excuſante non obediuit, ſed obedire contempſit, cum fuerit excommunicatio latę ſententiæ, eſt excommunicatus, ſed toleratus, ſi excommunicatus autẽ celebret motus ex hoc, quod cum non ſit declaratus, nec notorius, nec alij teneantur eum uitare, & per eum geſta iure publici officij valeant, credit quod poſſit celebrare, eſt ignorantia craſſa, nam per ea, quæ fauore iuris publici conceduntur excommunicato tolerato, nullo modo ſubleuatur ipſe excommunicatus, vt diximus in præcedẽti libro. c. 13. & conſequenter ſi celebrat eſt irregularis, nam etiam occultus excommunicatus celebrans, eſt irregularis. Et ſi dicatur, quod iſti mouentur ad celebrandum ex eo, quod credunt ſe id facere poſſe, & conſequenter non contemnunt excommunicationem. Reſpondetur, quod cum agant contra ſententiam excommunicationis, & conſequenter contra præceptum Eccleſiæ, tenentur prius uidere an illa ratio, qua putant ſe excuſari, ſit ſaltem probabilis, & de hoc certificari, quod autem appellatio lata poſt ſentẽtiam excommunicationis, ab ipſa ſententia excommunicationis, non ſuſpendat illam, & quod excommunicatus occultus antequam declaretur excommunicatus, uel efficiatur notorius debeat abſtinere à diuinis, ſunt adeo clara, ut eorum ignorantia, non ſit niſi craſſa, & maximè in Sacerdote, qui hęc ſcire tenetur.

2 Eſt autem hoc loco repetendum, quod loquimur de ſuſpenſione propriè dicta, ut eſt cenſura Eccleſiaſtica, Vnde, qui non ſunt

ſuſpenſi per cenſuram Eccleſiaſticam, nec per excommunicationem, ſeu interdictum, ſed à canone eo ipſo ſolum, quod ſunt irregulares, ut bigami, illegitimi, corpore uitiati, ordinati à non ſuo Epiſcopo, infecti notorio crimine depoſitione digno, dæmoniaci, ſi ordinentur, & ordinati celebrent, ut inquit Sylu. non efficiũtur denuo irregulares, & ſi illa irregularitas in qua ſunt, eſt talis quod Epiſcopus poſsit diſpenſare, poterit etiam diſpenſare ſi ſic irregulares celebrarunt, quia nullam violant cenſuram, irregularitas enim non eſt cenſura, & irregulares dicuntur ſuſpenſi largo modo. Violantes etiam ceſſationem à diuinis, & pollutionem Eccleſiæ, nõ ſunt irregulares, cũ non ſint cẽſuræ, ut diximus, c.4. Sylu.V. Irregularitas q. 27.

Diſpenſare in hac irregularitate, quæ contrahitur ob uiolationem Eccleſiaſticę cenſuræ pertinet ad ſolum Romanum Pontificẽ, ſicut & in cæteris quãdo non dicitur, quod poſsit Epiſcopus.

De quarto delicto ob quod incurritur irregularitas. ſ. de iteratione Sacramentorum imprimentium Characterem. Cap. XIIII.

Ratione reiterationis Sacramentorum imprimentium characterem, eſt irregularis, qui bis aliquem baptizar, Confirmat, aut Ordinat, ſimiliter etiam & ille, qui eſt bis baptizatus, uel confirmatus, aut ordinatus, niſi probabilis ignorantia facti excuſet. Sacerdos autem, qui baptizatum ab obſtetrice ſub conditione baptizat, licet male faciat, non tamen eſt irregularis, cum verè non rebaptizet, iuxta conditionem appoſitam.

De irregularitate, quæ oritur ex delicto notorio, & quod dicatur notorium. Cap. XV.

Vltimum delictum propter quod incurritur irregularitas, eſt crimẽ notorium enorme, & depoſitione dignũ. duas ergo conditiones debet habere crimen ad hoc, quod inducat irregularitatem. Prima debet eſſe enorme, & dignum depoſitione, Et ut notat Abbas ad iudicandum, quæ peccata ſint digna depoſitione non eſt attendendũ ad canones antiquos, quia illi propter quodcumq; peccatũ mortale de facili imponebant pœnã depoſitionis, quod etiam habetur in c. Fraternitatis, d.34. vbi dicitur Aetas noſtri temporis, quia non ſolum merita, ſed etiã corpora defecerũt, cenſurã antiquorũ canonũ nõ patitur manere; at modo de miſericordia iuris depoſitionis pœna nõ inducitur pp quodcũq; peccatũ mortale, ſed pp Abb. in c. At ſi clerici de Iudicijs.

peccatum graue, & enorme, ut adulterium, & maiora illo, & concubinatus diù continuatus. 2 debet eſſe notorium, & nõ quomodocumq; non enim ſatis eſt, quod poſſit probari, nec etiam, quod quis extraiudicialiter illud confeſſus fuerit, ſed uno ex tribus modis, vel quia eſt confeſsũ à parte in iudicio, vel quia ſuper eo lata eſt ſententia, quæ tranſiuit in rem iudicatam, uel quia eſt adeo manifeſtum, ut nulla tergiuerſatione celari poſſit, vt ſi quis concubinam ita publicè teneat ac maritus uxorem, & publicè filios ex ea ſuſceptos, alit ſic enim non poteſt excuſari, quod ſit ancilla matris, aut ſororis. Leo x. publicos concubinarios ſic deſcribit. Publici autem intelligendi ſunt, non ſolum hi quorum concubinatus per ſententiam, aut confeſſionem in iure factam, ſeu per rei euidentiam, quæ nulla poſſit tergiuerſatione celari, notorius eſt, ſed etiam qui mulierem de incontinentia ſuſpectam, & diffamatam tenent, & per ſuum ſuperiorem admoniti, ipſam cũ effectu non dimittunt. Nauarrus peccatum notorium ſic deſcribit, ut ſit illud, quod euidenter ſcit maior pars populi, vicinorũ, aut collegij, modo in eo ſint ſaltem decem, & ita ſcientia paucioꝝum quam ſex, non facit rem notoriam, neque ſex, quando illi nõ ſunt maior pars illius congregationis reſpectu cuius illud dicitur notorium. Concurrentibus his duabus circunſtãtijs cõtrahitur irregularitas, quæ non tollitur etiam per pœnitentiam, & uitæ emendationem, ſed indiget diſpenſatione, non ſolum, ut quis poſſit promoueri ad maiorem ordinem, ſed etiam ut poſſit miniſtrare in ſuſceptis. At ſi altera conditio deſit, ut ſi crimen nõ eſt enorme, ſed leue, licet ſit notorium, uel ſi eſt enorme, ſed nõ eſt notorium, eſt quoad Deum ſuſpenſus, & non debet miniſtrare, nec aſcendere ad maiores ordines, licet in foro contentioſo nõ poſſit ad id compelli, ſed hæc ſuſpenſio, & hoc impedimentum tollitur per pœnitentiam, & vitæ emendationem, hæc omnia probantur ex cap. fin. extra de temp. ordin. per quod manifeſtè probatur falſam eſſe ſententiam illorum, qui dicunt crimina enormia occulta inducere irregularitatem, & indigere etiam poſt pœnitentiam diſpenſatione, nam hæreſis mentalis, deſperatio, & odium Dei ſunt peccata enormiſſima, quorum tamen nullum inducit irregularitatem, & Greg. 9. in d. c. fi. declarauit nulla crimina occulta præter homicidiũ facere aliquem irregularẽ, & per c. is qui de ſent. exco. in 6. nullum crimen quantumuis graue inducit irregularitatem, niſi illud de quo à iure ſpecialiter ſtatuitur, ut habeat hunc effectum, ut eſt homicidium, quare ſi homicidiũ occultum inducit irregularitatem, non eſt quia ſit crimen enorme,

Notoriũ quot modis dicatur.

Leo x. in Bulla de concordatis cũ Rege Francorũ in cõc. Later. ſeſſ. 11.

Nau. c. 25. nu. 73.

me,ſed quia eſt in iure expreſsum,& ratione potius ſignificatio nis,& ideo pertinet ad aliam ſpeciem irregularitatis, de qua ſuperius. Sed poſſet dubitari an ſodomia occulta per nouum ius extrau. Pij V. inducat irregularitatem. Ad quod reſpondetur cũ Nauarro, quod non, ſed inducit depoſitionem ipſo iure quoad clericos,& non quæcumq; ſed ex continuato vſu exercita, & cũ depoſitio nõ ſit cenſura,ſed pœna, ſodomita celebrans non efficitur irregularis, quia non violat eccleſiaſticam cenſuram, an autem dicta bulla ſit recepta in foro interiori, ſicut eſt recepta in foro exteriori, ut inquit Nau. eſt quæſtio facti,ad quam non reſpondet iuriſconſultus. Nau.c.27. nu. 149.

Eſt vlterius notandum; quod hæc crimina enormia notoria ex facti euidentia, quæ nulla tergiuerſatione excuſari poſſunt, inducunt ipſo facto irregularitatẽ, nec requiritur neceſſatio, quod aliquod præcedat monitorium, at ſi aliqua poſſunt tergiuerſatione excuſari, debet præcedere monitorium, ſic tenet & probat Abbas, concordans ſententias, quæ contrariæ uidentur. Abb. in c. veſtra de Cohab. cler. & mul.

Quoad diſpenſationem autem ab hac irregularitate, dicendum eſt, quod ſi hæc irregularitas oritur ex adulterijs, & ex alijs criminibus, quæ ſint minora, Epiſcopus poſt peractam pœnitentiam diſpenſare poteſt, at ſi oritur ex criminibus maioribus ſolus Papa diſpenſat, niſi ubi apparet Epiſcopis permiſſum, & patet ex ca. At ſi clerici. §. de adulterijs extra de Iudicijs. Sed dubitatur an Epiſcopus poſſit diſpenſare poſt condemnationem,& ſententiam per eum latam, nam condemnatus efficitur infamis, & Epiſcopus non reſtituit famæ, per communem opinionem traditam in ca. cum te extra de ſẽnt.& re iud. Reſpondetur cum Abbate, quod licèt ſit irrogata infamia, & Epiſcopus non poſſit directe aliquem reſtituere famę, nihilominus Epiſcopus poteſt in adulterio,& in minoribus diſpenſare, quia tunc reſtitutio famæ uenit per quandam conſequentiam in eo, quod reſtituit contra ſententiam ſuam in caſu ſibi conceſſo. Abb. de Iudicijs in c. At ſi clerici. §. de adulterijs.

Eſt autem hoc loco notandum, quod Epiſcopus poteſt diſpenſare etiam ſi ſic irregularis celebrauit, quia non uiolauit Eccleſiaſticam cenſuram, ut hac ratione reſeruetur Papæ, irregularitas enim, ut diximus non eſt cenſura. At ſi crimen illud notorium, habet etiam annexam ſuſpenſionem propriè dictam, ſicut habet notorius clericorum concubinatus, tunc ſi notorius concubinarius celebret efficitur irregularis,& eſt duplici ratione irregularis,& ratione notorietatis delicti,& ratione uiolationis cẽſuræ,& ſolus Papa ratione poſterioris irregularitatis diſpenſat,

Verùm ſi dicamus cum Bartholomeo Medina ſuſpenſionem illam à iure ipſo facto inflictam contra clericos notoriè concubinarios non eſſe amplius in vſu propter rationem lib. præced. c. 8. aſſignatam, adhuc notoriè concubinarius erit irregularis, ratione notorietatis delicti, Sed celebrans, non efficietur noua ratione irregularis, & Epiſcopus diſpenſare poterit. Hæc quoad primam partem, ad IESV CHRISTI laudem, & honorem, & Glorioſę ſemperq; Virginis Matris Mariæ, & Beatæ Mariæ Magdalenæ, & omnium Sanctorum.

Amen.

DE OFFICIO SACERDOTIS

CHRISTO SVMMO SACERDOTI ET EIVS IN TERRIS VICARIO.

Auctore

COSMO PHILIARCO PISTORIENSI CANONICO ET THEOLOGO FLORENTINO.

SECVNDA PARS.

De Secundo Sacerdotis munere, quod circa Sacramentorum adminiſtrationem verſatur.

SECVNDVM Sacerdotis munus circa Sacramentorum adminiſtrationem verſatur, & quamuis hoc non pertineat ad omnes Sacerdotes, ſed ad illos qui habent curam Animarum, & quædam ad ſolum Epiſcopum, neceſſarium tamen eſt, ut hoc ſecundo loco de illis tractemus, cum ad Sacerdotes pertineant, & hic noſter tractatus non ſit reſtringendns ad ea, quæ omnibus Sacerdotibus ſunt communia. Et primo agemus de Sacramentis in communi, Secundo de ſingulis in particulari, Tertio de caſibus conſcientiæ, quos ad Præcepta Decalogi redu-

cemus. Seruabimus autem ordinem doctrinæ potius, quam naturæ, iuxta quem illa, quæ longiorem tractatum exigunt, etiam ſi præmittenda eſſent, poſteriori loco explicabimus.

LIBER PRIMVS.

De Sacramentis in communi, de Baptiſmo, Confirmatione, Extrema Vnctione, Ordine, & Euchariſtia.

De varia, & propria Sacramenti ſignificatione, quis poſſit Sacramenta inſtituere, & quid ſit Sacramentum. Cap. I.

Eſt nomē analogū.

NON accipitur in præſenti Sacramenti nomen in ſua generali ſignificatione, eſt enim analogum, & dicitur à Sacro, & ſignificat illa omnia, quæ ad rem ſacram habent aliquam habitudinem, uel quia in ſe habent ſanctitatem, vel quia illam efficiunt, uel quia illi dicantur, uel quia illam ſignificāt, hæc enim omnia, ſi uim analogiæ attendamus, poſſunt dici Sacramenta, non tamen dicuntur, ſed in triplici ſolùm ſignificatione ſolet communiter Sacramenti nomē vſurpari, Primo, vt idem ſignificet, quod ſacrum ſecretum, ſeu myſterium in quo latet ſanctitas, quę ſignificatio eſt fræquens in ſacra ſcriptura. 2 accipitur à legiſtis, & etiam canoniſtis pro iuramento, quia fit per rem ſacram. 3 pro eo, quod ſignificat, & repræſentat rem ſacram, formaliter nos ſanctificantem. ſ. gratiā, ſecundum diuerſos effectus quos in nobis cauſat, & ſimul etiam eius cauſam efficientem. ſ. Chriſtum nos ſua gratia ſanctificantem, & in hac ſignificatione accipitur modo Sacramentum.

Gratia dupliciter ſignificatur

Sed ut Sacramenti eſſentiam intelligamus, notādum eſt, quod non omnia, quæ gratiam nos formaliter ſanctificantem, & Chriſtum etiam ſignificant, dicuntur Sacramenta, pro ut de illis modo loquimur, nam hæc dupliciter poſſunt ſignificari. Primo aliquibus ſignis à Deo inſtitutis, & nobis datis, ut per eorum appli

ca-

cationem eſſent peccatorum noſtrorum medicinæ, & ſimul etiā eſſent ceremoniæ, & religionis cultus, quibus colamus Deum, & iſta ſolum ſunt Sacramenta, quæ ſunt ſigna practica, ideſt rei ſacræ, ut nos ſanctificat. 2 poſſunt ſignificari aliquibus ſignis diuinitus quidem factis, ſed non in Eccleſia permanentibus per illorum reiterationem, ut ſimul ſint peccatorum medicinæ, & ceremoniæ, quibus colamus Deum, ſed uel, ut tūc eſſent ſigna quādo facta fuerunt, vt tranſitus Iſrael per mare rubrum, exaltatio ſerpentis in deſerto, eductio aquæ de petra, manna, columba, & ignis, quæ apparuerunt in baptiſmo, & aliquorum pœnitentia, vel ſi ſunt permanentia, ſunt ſolum, ut rememoratiua, & non ut tanquam peccatorum medicinæ, & religionis ceremoniç applicentur, & ſuſcipiantur, ſicut ſunt cruces, & Chriſti imagines; uel ſi ſunt ceremoniæ quibus colimus Deum, non ſunt tales, vt ſint etiam, & principaliter inſtitutę, ut medicinæ contra morbum peccati, quales fuerunt in ueteri lege multę ceremonię, & ſunt etiam multæ in noua, ut benedictiones, conſecrationes, quæ licet ſecundum vim analogiæ poſſent dici Sacramenta, non tamen dicuntur, nec poſſunt dici eo modo quo de illis in præſenti loquimur.

Sacramentum ſic acceptum, pro ſigno rei ſacræ nos ſanctificantis, nobis pro medicina contra morbum peccati dato, adhuc ſubdiuitur, nam ſi iſta ſigna, ita ſignificant rem ſacram nos formaliter ſanctificantem, ut ſint etiam illius cauſa, ſunt ſacramenta nouæ legis, ſi autem ſiſtunt in ſolo genere ſigni, & non efficiunt, quod ſignificant, ſunt Sacramenta veteris legis. *Sacramenta in duplici differentia.*

Ex quo ſequitur, quod Sacramenta à ſolo Deo inſtitui, & mutari poſſunt, licet enim Eccleſia poſſit inſtituere multa ſigna rerū ſacrarum, ut patet in ceremonijs, & benedictionibus ab ea inſtitutis, non tamen poteſt inſtituere talia ſigna gratiæ, quę ipſam inſtrumentaliter conferant, quia gratiam, & gloriam dabit Dominus. Et licet Eccleſia inſtituere poſſit aliqua ſigna gratiæ ſacramentis receptę, ut patet in ueſte alba, quam dat baptizatis, non tamen propterea potuiſſet ſinagoga inſtituere Sacramenta ad illum ſtatum pertinentia, quæ erant ſolum ſigna; nam illa Sacramenta erant ſigna gratiæ dandę in noua lege, & expræſſiua Sacramentorum, & myſteriorum nouæ legis, & conſequenter ad eum ſolum pertinebat inſtituere illa Sacramenta, qui futura cognoſcit, & diſponit, & uocat ea, quę non ſunt, tanquam ea, quę ſunt. *Solus Deus poteſt illa inſtituere.*

Varię aſſignantur definitiones Sacramenti S. Aug. ſic definit. Sacramētum eſt inuiſibilis gratię, uiſibilis forma ita ut eius ima- *Sacramentum quid.*

 ginem

ginem gerat,& cauſa exiſtat. Hugo ſic definit, eſt materiale ſiue ſenſibile elementum foris propoſitum, ex inſtitutione diuina ſignificans, & ex ſanctificatione ſpiritualem gratiam continens. Scotus quoque ſic definit, Sacramentum eſt ſignum ſenſibile,gratiam Dei,vel gratuitum effectum ex inſtitutione efficaciter ſignificans, ad ſalutem uiatoris ordinatum, Addit uel gratuitum effectũ propter Euchariſtiam,quæ ſemper ſignificat gratuitum Dei effectum,ideſt Chriſtum Ieſum in ea realiter contentum,& eius ſacratiſſimam paſſionem, ſed gratiam non ſignificat, nec tribuit niſi cum ſumitur.

Verùm omnes iſtæ definitiones competunt ſolum ſacramentis nouę legis,& aliqui dixerunt hæc ſolum eſſe uerè, & propriè Sacramenta,ut Sacramentum dicatur à ſacrãdo actiuè, ſicut medicamentum à medicando,& ornamentum abornando.Sed hoc eſt falſum, nam Sacramentum habet duplicem habitudinem ad gratiam ſanctificantem,ſigni.ſ.& cauſæ, quia illam ſignificat, & illius etiam eſt cauſa, ſed proprium genus ſacramenti eſt, quod ſit ſignum gratiæ,quod autem ſit etiam illius cauſa, non eſt de ratione Sacramenti in communi, ſed de ſpecifica ratione Sacramenti nouæ legis,& probatur primò,quia ſacramenta ueteris legis fuerunt verè,& propriè Sacramẽta,licèt imperfecta. 2 quia non poſſumus ſaluare eſſe ſeptem Sacramenta Eccleſiæ niſi dicendo proprium genus Sacramenti eſſe ſignificare, & ab vnitate ſigni ſumi vnitatem Sacramenti,nam ſunt ſeptem ordines,& quilibet habet propriam materiam,& formam, & confert gratiam, ſed ratione vnius ſignificationis ad quam integrandam omnes referuntur,non ſunt ſeptem Sacramenta,ſed vnum tantum, ſimiliter, & Sacramentum Euchariſtiæ, licet ſit ſub diuerſis ſpeciebus,tamen ratione unius ſignificationis nõ ſunt duo, ſed unum tantum Sacramentum. Sacramentum igitur in communi ſic ab Auguſt.definitur,Sacramentum eſt ſignum rei ſacrę, ideſt gratię hominem ſanctificantis.

Sacramentum eſt in genere ſigni.

Sacramenti in communi definitio.

Cum nunquam Deus denegauerit ſuam gratiam,quomodo ſit proprium Sacramentorum nouæ legis conferre gratiam. Cap. II.

VT autem intelligamus quomodo ſit proprium Sacramentorum nouæ legis conferre gratiam, cum nemini vnquam Deus illam denegauerit. Eſt primo notandum,quod gratia gratis datur, aliàs enim gratia non

eſſet

eſſet gratia, dicente Apoſt. Si gratia iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia, unde prima gratia non cadit ſub merito. Eſt ſecundo notandum, quod gratia eſt à Deo, ut à cauſa principali, & à Chriſti humanitate, ſeu paſſione, ut à cauſa inſtrumentali coniuncta, Io. 1. Gratia & ueritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt, & de plenitudine eius omnes accepimus. Rom. 11.

Eſt tertio notandum, quod uirtus paſſionis Chriſti dupliciter nobis applicatur, primo per Fidem, quæ de ipſo eſt 2 per Sacramenta, per Fidem sẽper applicata fuit, & applicatur, & in lege naturę, & in lege ſcripta, & nobis, qui ſumus in lege gratię, quia credẽtes in Chriſtum, uel implicite, ſicut in lege naturæ per hoc quod credebant Deum eſſe remuneratorem bonorum operum; vel explicite in Chriſtum uenturum, ut in lege ſcripta quibus reuelatus fuit, uel adhuc magis explicite in Chriſtum, qui iam uenit, & conſumauit omnia, quomodo nos credimus: uirtute huius fidei non ponentes obicem, toto corde ad Deum conuertebantur, & conuertuntur per ueram ſuorum peccatorum contritionem, quę eis virtute illius fidei remittebãtur, & dabatur gratia, cuius virtute benè operantes illius augumẽtum merebãtur, & ita per actum fidei gratia dabatur, & datur ſolum contritis, & toto corde ad Deum conuerſis, quę eſt vltima diſpoſitio fidei ad cauſandam gratiam; nec vllum vnquam opus quantumcumque ex genere ſuo bonum fuit, neç eſt (non loquimur modo de Sacramentis) quod ex ſe conferat gratiam, licet fiat in fide, & corde attrito, dicente Apoſtolo: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum, & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Et ſi gratia per actum fidei datur contritis, & toto corde ad Deum conuerſis, non eſt quatenus contritio eſt à nobis, ſed quatenus eſt à Deo, ſua gratia nos præueniente, ſine qua non poſſumus conteri, & toto corde ad Deum conuerti, & propterea ita Deus dicit nobis, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos,* propter noſtram cooperationem, ut nos uiciſſim dicamus illi *Conuerte nos Domine, & conuertemur.* ſecluſis igitur Sacramentis, gratia nunquam data fuit, nec datur uirtute alicuius operis operati, ſed gratis credentibus, & non ponentibus obicem, ſemper data fuit, & datur contritio, & cum contritione gratia, & cum gratia benè poſtea operantes, nouam acquirunt, & merentur gratiam, non ex opere operato, ſed ex merito operantis, virtute gratiæ.

Virtus paſſionis Chriſti nobis applicatur, primo per fidem.

Secundo applicatur virtus paſsionis Chriſti per Sacramenta,

quæ

Secundo per Sacramenta.

quæ ſunt inſtrumenta ipſius paſſionis, & habent uim conferendi gratiam, & hæc Sacramentorum virtus in hoc apparet, quod dāt primam gratiam illis, qui per proprium actum fidei illam conſequi non poſſunt, quales ſunt pueri, qui nullum habent actum fidei, & etiam attriti, qui non ſunt ſufficienter diſpoſiti, ut per proprium actum fidei eis applicetur uirtus paſſionis Chriſti ad gratiam, & remiſſionem peccatorum; & habentibus gratiam, illam ui propria præter meritum operantis augent. quam Sacramentorum vim, & efficaciam explicarunt theologi, & etiam Cōcilium Tridentinum, dicentes, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, hanc vim habent Sacramenta nouæ legis, & eſt illis propria, Sacramenta autem legis naturæ, & legis ſcriptæ illam non habuerunt, Sed ut erant Sacramenta, illa opera aliàs indifferentia, eleuabantur ad genus bonorum operum, & non ſolum habebant efficaciam aliorum bonorum operum, ut prodeſſent exiſtentibus in gratia ad meritum, ſed ut Sacramenta legis, propriam etiam adhuc habebant uirtutem, ut mundarent à corporali immunditia à lege inducta, quæ erat quædam irregularitas, quæ tollebat idoneitatem ad cultum diuinum, ſed à ſpirituali immunditia, quę eſt immunditia culpæ, non mundabant, debebat enim ſuperbus homo prius humiliari, & cognoſcere, quod ſalus non erat à natura, nec à lege, ſed à Deo per Chriſtum Ieſum, & propterea licet per fidem Chriſti uenturi Deus illis ſēper dederit gratiam, vt diximus, quia nullum unquam deſerit, non erat tamen danda lex, quæ iuſtificare, & ſaluare poſſet, ob quam cauſam Sacramenta legis dicuntur egena, & infirma: quando ergo dicitur eſſe proprium noſtrorum Sacramentorum conferre gratiam, non eſt ſenſus, quod per ſola Sacramenta Deus conferat gratiam, ſed quod Deus noſtris Sacramentis hanc uirtutem dedit, quod ex opere operato conferant gratiam, dent primam gratiam non habentibus, & habentibus illam augeant, quā alijs operibus quantumcumque ex genere ſuo bonis (Martirio excepto) non dedit.

Sacramentorum antiquæ, & nouæ legis differentia.

Quòd Circuncifio contulerit gratiam eo modo quo noſtra Sacramenta ex opere operato. Cap. III.

VErùm ex priuilegio hanc eandem vim conferendi gratiam ex opere operato, habuit Circuncifio, & illud Sacramentum legis naturæ, quod erat pro paruulis in remiſſionem peccati originalis, & ratio neceſſitatis, & diffe

differentiæ ab alijs Sacramentis eſt, quia ita Deus humiliauit hominum ſuperbiam, non dando legem, quæ iuſtificare poſſet, vt nemini unquam defuerit, & ſicut ſubuenit adultis per propriũ actum fidei, quo toto corde conuertebantur in Deum, ita ſubueniendum erat paruulis de externo remedio, cum non eſſent capaces alicuius proprij actus, quo eis remitteretur peccatum originale, & daretur gratia, & hoc Sacramentum dabat primam gratiam, non ex opere operantis, quia etiam ſi circuncidens fuiſſet in peccato mortali, uel infidelis, dabatur gratia, nec ex diſpoſitione ſuſcipientis, quia nullius diſpoſitionis erat capax, ſed ex opere operato, quam primam gratiam etiam dabat adulto attrito, & quando circuncidebatur cõtritus, ui ſua, dabat nouam gratiam, ergo Circuncifio eodem modo conferebat gratiam, quo & noſtra Sacramenta, nam (ut diximus) in hoc conſiſtit virtus noſtrorum Sacramentorum, Et hæc eſt ſanctorum doctrina, qui illam Baptiſmo æquipararunt, & eãdem uim ei tribuerunt, Vnde S. Greg. inquit. Quod apud nos valet aqua baptiſmi, hoc egit apud ueteres, uel pro paruulis ſola fides, uel pro maioribus virtus ſacrificij, vel pro his, qui ex Abrahę ſtirpe prodierunt, myſterium circuncifionis. S. Auguſt. Ex quo (inquit) inſtituta eſt circuncifio in populo Dei, quę erat tunc ſignaculum iuſtitię fidei, ad purgationem ualebat magnis, & paruis, originalis ueteriſque peccati, ſicut Baptiſmus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo inſtitutus eſt. Beda Idem (inquit) ſalutiferæ curationis auxilium circuncifio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod Baptiſmus agere reuelatæ gratiæ tempore conſueuit, excepto quod regni cœleſtis ianuam nondum intrare poterant, tamen in ſinu Abrahæ poſt mortem requie beata conſolati, ſupernæ pacis ingreſſum, ſpe felici expectabant, quos citat Magiſter 4. ſ. diſt. 1. & ex illis infert, quod Deus per circuncifionem remittebat peccatum originale, & actuale paruulis, & magnis, ſicut nunc per Baptiſmum, Et ibidem S. Thom. inquit Conueniens eſt, quod peccatum, quod ex alio contrahitur, per alium tollatur, & ideo in quolibet ſtatu poſt peccatum, fuit aliquod remedium per quod originale peccatum ex uirtute paſſionis Chriſti tolleretur, & iterum quia non poterat puer natus antequam haberet uſum liberi arbitrij, ſe ad gratiam præparare, ne omnino ſine remedio relinqueretur, oportuit aliquod remedium dari, quod ex ipſo opere operato peccatum aboleret, & tale remedium fuit Circuncifio, & ideo ab omnibus conceditur, quod peccatum auferebat ſicut ſignificabat ablationem, & in

S. Gregor.

S. Auguſt.

Venerabilis Beda.

Magiſter ſententiarum.

S. Thom.

hoc cum Sacramentis nouæ legis quodammodo conueniebat, quia efficiebat, quod figurabat. Hæc S. Thom. licet in ſumma aliter ſenſerit.

Cõtraria ſententia. Thomiſtæ aliam S. Thomæ ſequuntur ſententiam, quam tenuit in Summa, quod Circuncifio nõ conferebat gratiam ex opere operato, & Turris Cremata conatur concordare dicta S. Tho. ut ſibi non contradicat, dicens dupliciter poſſe intelligi aliquod Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, Primo, quod ipſum Sacramentum habeat ex opere operato aliquam uirtutẽ effectiuam gratiæ, & hoc modo nulla Sacramenta ueteris legis, nec ipſa circunciſio poterat conferre gratiam. 2. quod præter illud opus, nullum aliud opus requiratur per ſe ex parte iuſtificandi, licet fortè per accidens requiratur, ut remouens prohibens, & hoc modo circunciſio dicebatur conferre gratiam ex opere operato, & ita (inquit) intelligendus eſt S. Tho. in 4. ſ.

Tur. Cre. de Conſ. d. 4. in ca. ex quo q 6.

Impugnatio. Verùm iſta diſtinctio eſt quædam fuga, nam iuxta hanc diſtinctionem ſunt ſententię de modo quo noſtra Sacramenta conferunt gratiam, ut dicemus capitulo ſequenti, & quocumque modo dicatur circunciſionem ex opere operato cõtuliſſe gratiam; certum eſt, quod in hoc non conueniebat cum aliquo Sacramento legis, ſed cum noſtris Sacramentis. Quod etiam contulerit gratiam primo modo, probatur eadem ratione, qua ipſi probant noſtra Sacramenta ſic conferre gratiam, quia. ſ. iuxta ſecundum modum, gratia fuiſſet data à Deo ad præſentiam circunciſionis, & non per circunciſionem, at Sancti citati, & ipſemet S. Tho. dicunt, quod Circunciſio efficiebat, quod figurabat, auferebat peccatum, ſicut ſignificabat, & illi tribuunt virtutem cõferendi gratiam, ſicut Baptiſmo. Probatur etiam, quia dicunt, quod in circunciſione dabatur gratia uirtute fidei Chriſti, quæ in ea profitebatur, ſed hoc eodem modo in noſtris Sacramentis cõfertur gratia, quia diuina inſtitutione, ſunt quædam proteſtationes fidei Chriſti, uirtute cuius eis nobis applicatur efficacia paſſionis illius, & ob hanc cauſam dicuntur habere uim conferendi gratiam, cum ergo circunciſio ex diuina inſtitutione eſſet quædam proteſtatio fidei Chriſti uenturi, & uirtute illius fidei ſic proteſtatæ applicaretur efficacia paſſionis Chriſti; dicendum eſt circunciſionem habuiſſe vim conferendi gratiam, eo modo quo noſtra Sacramenta, nam Sacramenta non habent hanc vim, ut materialiter conſiderantur, ſed ut ſunt proteſtationes fidei, & inſtrumenta paſſionis Chriſti, & hæc ſententia eſt Alex. 4. p. q. 4. Scoti, Rich. Bonauent. Gab. Dur. & aliorum in 4. ſ. qui dicunt nullam

fuiſſe differentiam inter Sacramenta nouæ legis, & circuncisionem, quo ad modum conferendi gratiam.

Sed ex ſolutionibus contrariorum argumentorum, magis apparebit veritas, quorum primum eſt ratio S. Thom. ob quam aſſerit Sacramenta ueteris legis non habuiſſe uirtutem conferendi gratiam, nam Sacramenta habent efficaciam à paſſione Christi, cum autem paſſio Chriſti ſit prior tempore Sacramentis noſtris, & poſterior Sacramentis ueteris legis, non coniungebatur Sacramentis antiquis, ut cauſa actiua per illa operans, ſicut coniungitur noſtris, licet enim id quod poſterius eſt tempore, poſſit mouere antequam ſit, quatenus in actu animæ præcedit, non tamen poteſt mouere ſecundum vſum rerum exteriorum, cum cauſa efficiens non poſſit eſſe poſterior ſuo effectu, ſicut cauſa finalis. Reſpondetur, quod iſta ratio differentiæ Sacramentorũ deſumpta ex natura cauſarum, eſt bona, ſed non concludit, ut uidetur, quod non potuerit aliter fieri, ſicut & factum eſt in circũcisione, nam paſsio Chriſti, non eſt reſtringenda intra limites cauſarum creatarum, potuit enim eſſe, & fuit cauſa efficiens, antequam eſſet in rerum natura, quod cœteris alijs omnibus cauſis efficientibus repugnat, cum enim Chriſtus ſit uerus filius Dei incarnatus, & eius paſſio fuerit infinitę uirtutis, & inſtrumentum Diuinitatis, non ſolum cœpit habere rationem cauſæ efficiẽtis, & efficienter mouere, & cauſare, quando fuit facta, ſed etiam antequam eſſet, & antequam filius incarnaretur, quia ſecundum diuinam diſpoſitionem, hæc ordinata erant ab ęterno in perſona filij, & filius, vt incarnatus, & mortuus ſuo tempore, ante incarnationem effectiuè operabatur & propterea Apoc. 13. *Chriſtus dicitur agnus occiſus ab origine mundi*, & Heb. 13. *Ieſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula*, & Iudæ 1. *Ieſus populum de terra Egipti ſaluauit ſecundo eos, qui non crediderunt perdidit, Angelos uerò, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, &c.* Et probatur, quia Chriſtus ſua humanitate, & paſſione, vt inſtrumento coniuncto Diuinitatis, eſt cauſa efficiens remiſſionis peccatorum, gratię, & iuſtificationis noſtrę, ut etiam docet S. Tho. & non ſolum effectiuè expulit peccatum, cauſauit gratiam, & iuſtificauit, poſt incarnationem, & paſſionem, ſed etiam à principio mundi, eo modo quo nunc, licet antè non aperuerit portam paradiſi, Rom. 3. *Iuſtificati gratis, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit, &c. vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans, &c.* Io. 1. *Gratia, & ueritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, non ſolum gratia data tempore nouę legis, ſed abſolutè, omnis gratia, per Ieſum Chriſtum facta eſt. Ergo paſſio Chriſti

Argumenta contrariæ ſententiæ cũ ſolutionibus.

Primum argumentum.

Solutio.

ante quam eſſet exhibita, non ſolum mouebat ut finis per apprehenſionem, ſed etiam, ut inſtrumentum coniunctum Diuinitatis efficienter operabatur, & erat cauſa efficiens realis qualitatis. ſ. gratiæ, & quod fuerit cauſa efficiens gratiæ, & iuſtificationis, nō habuit Chriſtus de nouo tempore paſsionis, ſeu incarnationis, ſed á principio mundi, & ſic etiam per Circuncifionem efficienter operabatur, quod ſi eodem modo non operabatur per Sacramenta legis, non erat quaſi repugnaret ipſi paſſioni efficienter operari antequam ſit, ſicut repugnat cæteris alijs omnibus cauſis efficientibus, ſed quia non conueniebat illi ſtatui, non enim erat eis danda lex, quę iuſtificare poſſet, Quod igitur paſsio Chriſti fuerit cauſa efficiens antequam eſſet, manifeſtè patet ex dictis, ſed difficilè á nobis intelligitur, quia habemus maximā, quod id, quod non eſt, non poteſt operari, & etiam quia non habemus huius exempla. Verùm ſi rem benè perpendamus, inueniemus huic diuino myſterio, illam maximam non contrariari, & ſi non dantur, poſſe tamen facilè intelligi exempla, nam quod ſimpliciter non eſt, non poteſt operari, at Chriſtus licet non ſemper fuerit, ut homo, ſemper tamen fuit, vt filius Dei, & illa perſona hominis Chriſti, ſemper fuit, & actiones ſunt ſuppoſitorum, & ſi inſtetur, quod meruit & operatus eſt noſtram ſalutem, vt homo, & tamen non ſemper fuit homo; reſpondetur, quod non meruit, vt purus homo, ſed ut Deus, & homo, & ratione æterni, & diuini ſuppoſiti, quod fecit vt homo, fuit vera cauſa efficiēs á principio mundi, antequam eſſet homo: & quod non habeamus exēpla, prouenit ex incertitudine uitæ, & ex ignorantia futurorū, facile tamen poſſumus, quid ſimile intelligere; ponamus, quod ſit quidam Rex, qui habeat filium, & eorum ſit idem uelle, & eadē regni adminiſtratio, qui uolunt omnes cuiuſdam ciuitatis, tanquam rebelles paulatim ſuſpendio interire, id iuſtitia exigente; filius non vult uiolari iuſtitiam, ſed ut eis mereatur ueniam, ſtatuit ducere in uxorem unam ex filiabus eorum, & cum eis tanquam vnus ex illis habitare, & conuenit cum patre, vt hoc eis ſignificetur, & qui approbant hoc futurum matrimonium, & eius filium recipere uolunt, non ſuſpendātur, ſed in regis gratiam recipiantur; licet in carcere, non tamen, vt inimici, aduentum filij expectare debeant, iſte ut ſponſus effectiuè ſaluaret antequam eſſet ſponſus. Si priuatus certò ſciret ſe poſt decem annos futurum Pontificem, & qui ſint futuri ſuperſtites, poſſet nunc pro tūc deputare miniſtros, & adminiſtratores, qui ſuo tempore, abſq; alia deputatione, ſeu confirmatione ſuum officium adminiſtrēt,

& ta-

& tamen iſta non faceret, ut priuatus, ſed ut Papa, non tunc exiſtens, ſed futurus, hoc quod facilè intelligimus, ſed tanquam nobis impoſſibile omittimus, ſuit filio Dei poſſibile, & antequã carnem aſſumeret, ut homo gratiam contulit, peccata remiſit, & circuncíſionem fecit inſtrumentum ſuæ futurę paſsionis, ad dandum effectiuè gratiam ex opere operato.

Secundum argumentum eſt, quia Apoſt. dicit Circunciſionẽ fuiſſe ſignaculum iuſtitiæ fidei, quia iuſtitia, ſeu gratia iuſtificans quę dabatur antiquis, erat à fide Chriſti uenturi, & Circunciſio erat ſignum illius iuſtitiæ, ergo non erat à Circunciſione. Reſpondetur, quoad hoc fuiſſe eandem rationem circunciſionis, & noſtrorum Sacramẽtorum, nam ſicut iuſtitia antiquorum dicebatur iuſtitia fidei, ita & noſtra, Rom. 5. *Iuſtificati ex fide*; & ſicut Circunciſio erat ſignũ fidei Chriſti, ita etiam ſunt noſtra Sacramenta, licet differenter, nam Circunciſio erat ſignum prognoſticum, noſtra autem Sacramenta ſunt ſigna rememoratiua; ſicut noſtra Sacramenta, ſunt ſigna ſanctificationis, ita etiam erat Circunciſio, quæ erat ſignũ remiſſionis peccati originalis, quod non remittitur ſine gratia; & ſicut noſtra Sacramenta ſunt inſtrumenta paſsionis Chriſti, quia illis mediantibus applicatur uirtus paſsionis Chriſti, ita etiam fuit Sacramentũ Circunciſionis, quia ea applicabatur fides Chriſti ad remiſsionem peccati originalis, & infuſionem gratiæ, nam idem eſt dicere, quod gratia detur per fidem Chriſti, & per uirtutem paſsionis eius, Rom. 3. *quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius*. Ratio autem ob quam noſtra Sacramenta non ita dicuntur Sacramenta, & ſigna fidei, ſicut circunciſio, ſed ſigna gratiæ, & inſtrumenta paſſionis Chriſti, non eſt quaſi non ſint etiam Sacramenta fidei, uel Circunciſio non fuerit etiam ſignum gratiæ, & inſtrumentum paſsionis Chriſti, ſed quia ſic conuenientius loquimur, ſecundum proprium ſtatum, nam ante Chriſti aduentum pro quo tempore data fuit Circunciſio, fides erat de Chriſto uenturo, modo fides eſt de Chriſto qui iam uenit, & omnia de ipſo prędicta, & præfigurata, per ſuam paſsionem adimpleuit, & propterea, ſecundum præcedentem ſtatum, qui erat fidei, iuſtitia, quę dabatur contritis, uel per circunciſionem pueris, & adultis etiam attritis, tribuitur fidei; ſecundum uero præſentem ſtatum, iuſtitia, quæ datur contritis, uel per Sacramenta etiam attritis, tribuitur virtuti paſsionis Chriſti, quia captiuandus eſt intellectus in obſequium Chriſti, non tam ut credatur ueniſſe, quã præcipuè, vt credatur virtus paſsionis eius ad ſaluandum nos, tan-

Secundũ argumentum.

Solutio.

tanquam veri filij Dei. Noſter etiam ſtatus eſt ſtatus gratiæ, nō ſic autem fuit ſtatus antiquorum, quia nō fuit illis data lex, quæ iuſtificare poſſet, & propterea Circuncifio, licet non eſſet etiam Sacramentum legis, & ex priuilegio daret gratiam, quia tamen erat pro ſtatu, primo, naturæ, poſtea legis, à quibus non erat gratia, non ita dicitur Sacramentum gratiæ, ſicut noſtra ſimpliciter & abſolutè dicuntur, quia ſtatus noſter, eſt ſtatus gratiæ, & conferre gratiam, non eſt priuilegium vnius Sacramenti, ſed eſt commune omnibus noſtris Sacramentis.

Tertium argumentum. Tertium argumentum eſt, ſi Circuncifio ideo conferebat gratiam, quia erat ſignum fidei Chriſti uenturi, idem dicendum erit de alijs Sacramentis ueteris legis, vel aſſignanda eſt ratio, quare cum omnia Sacramenta fuerint quædam fidei proteſtationes, ſola Circuncifio habuerit hoc priuilegium. Solutio. Ex his, quæ diximus patet huius argumenti ſolutio, nam Circuncifio non habuit hanc virtutem vi ſignificationis, ſed ex diuina inſtitutione, quia eſt Sacramentum paruulorum, nam ſicut virtus paſsionis Chriſti ad iuſtificandum, applicabatur adultis contritis per eorum actum fidei, qui ſaltem virtualiter in eorum ad Deum conuerſione includebatur, ita etiam cum paruuli, non eſſent capaces illius proprij actus, ne eſſent extra ſtatum ſalutis, Deus illis prouidit de opere externo, quo non ex diſpoſitione ſuſcipientis, vel miniſtrantis, ſed ex opere operato applicaretur uirtus paſſionis Chriſti ad ſanandum eos, ut inſtrumento agni occiſi ab origine mundi, Et hæc diuina inſtitutio habetur. Gen. 17. *Anima cuius præputij caro circunciſa non fuerit, peribit de populo ſuo, eo quod pactū meum irritum fecit*, quæ comminatio non eſt ſimpliciter comminatio præcepti, ſicut & eadem fuit de Sabbato, Agno paſchali, & alijs multis, ſed eſt etiam inſtitutio Sacramenti, & declaratio uirtutis illius, quia filij hæbreorum circuncidendi erant octauo die, quo tempore non erant capaces præcepti, & ſi non circuncidebantur non erat eorum culpa, ut propterea eſſent puniendi in hac vita, uel in alia propter eorum actuale peccatum tanquam transgreſſores præcepti.

Quartum argumentum. Quartum argumentum, quia Rom. 3. dicitur. *Ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro coram illo*, & Concilium Florentinum, hanc conſtituit differentiam inter Sacramenta nouæ legis, & antiquę legis, quod noſtra continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt, illa autem non cauſabant gratiam, ſed eã ſolum per paſsionem Chriſti dandam eſſe figurabant, ſed Circuncifio eſt opus, & Sacramentum ueteris legis, ergo non iuſtificabat.

Re-

Reſpondetur, quod licet Circuncifio quoad ritum eſſet opus legis, quoad ſubſtantiam tamen fuit ante legem, & non fuit opus, nec Sacramentum legis, cum fuerit data Abrahę, opera autem, Sacrificia, & Sacramenta legis, erant inſtituta ad ſatisfaciendum pro peccatis actualibus, quæ homo ex ſe perpetrauit, & ideo non oportebat, quod peccatum tolleretur per Sacrificia, & Sacramenta legis, ſicut erat neceſſarium peccatum originale tolli per Circunciſionem, nam adulti poterant cõteri, & habere fidem formatam, cuius pueri non erant capaces, quæ ſolutio eſt S. Thom. in 4. ſ. Concilium etiam Florentinum non loquitur de Circunciſione, ſed de Sacramentis legis, quæ (vt diximus) non conferebant gratiam. Solutio.

Cum gratia creetur quomodo Sacramenta ſint illius cauſa.
Cap. IIII.

DE modo quo Sacramenta conferunt gratiam, duæ ſunt præcipuæ ſententiæ. Prima eſt Scoti, quod Sacramenta ſunt ſigna gratiæ, ſed propriè non ſunt illius cauſa etiam inſtrumentalis, ſed datur à Deo Sacramentis aſſiſtente, & probat primo, quia gratia creatur, & nulla creatura poteſt, etiam inſtrumentaliter creare. Secundo, quia neceſſitas eorum, quæ ſunt ad finem, ſumitur ab ipſo fine, finis autem Sacramentorum eſt gratia, quæ ſufficienter habetur per ſolam aſſiſtentiam diuinam ſine vlla Sacramentorum actione reſpectu gratiæ, ergo non eſt ponenda in eis aliqua cauſalitas gratiæ, non enim eſt inducenda pluralitas ſine neceſſitate. Sed cum Sancti aſſerant Sacramenta cauſare gratiam, dicit quod ea ratione dicuntur cauſa gratię, quia eorum ſuſceptio eſt diſpoſitio neceſſitans ad gratiam eis ſignificatam, quæ non per aliquã eorum actionem, ſed à ſolo Deo eis aſſiſtente datur, non neceſſitate abſoluta, ſed ordinaria, niſi ponatur obex, quia ſtatuit dare gratiam Sacramentis ſignificatam, omnibus illa dignè ſuſcipientibus, & de hoc certificauit Eccleſiam, ad quod duo adducit exempla, nam ſicut meritum dicitur cauſa præmij, & motus termini, & verè dicimur per meritum acquirere premium, & per motum terminum, licet illa non efficiant, & verè non ſint eorum cauſa, ita etiam Sacramenta quamuis verè non ſint cauſa gratiæ, dicuntur nihilominus eius cauſa, quia illam efficaciter ſignificant, & Deus in eorum collatione, niſi ponatur obex certò, & infallibiliter dat, quemadmodum etiam, & uerbo Eliſei Prima ſententia.

dicitur Naaman curatum fuiſſe à lepra, cauſa tamen effectiua non fuit in verbo Eliſei, nec in aqua Iordanis, ſed diuina virtus eis aſſiſtens.

Secunda ſententia tenenda.

Altera ſententia eſt S. Thom. quod Sacramenta ſint uerè, & propriè cauſa inſtrumentalis gratiæ, & profectò ita dicendũ videtur, nam Sancti, & Concilia non ſolum volunt ea dici cauſam gratiæ, quia illam certò ſignificant, & Deus ad eorum ſuſceptionem illam infallibiliter dat, ſed etiã quia illam efficiunt, & ita Sãcti dicunt, quòd Sacramenta ſunt cauſa effectiua gratiæ, quòd efficiunt, quod figurant, quod ita imaginem gerunt gratiæ, ut eius cauſa exiſtant. Et Concilium Florentinum dicit Sacramenta noſtra differre à Sacramentis antiquę legis, quia continent gratiã, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt, & Concilium Tridentinum anathematizat omnes, qui dicunt Sacramenta noſtra non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicẽ non conferre, quaſi ſigna tantũ externa ſint accepta per fidem gratiæ, aut gratiam per ea non conferri ex opere operato. Dicimus ergo, quod Sacramenta ſunt verè, & propriè cauſa gratię, non quidem principalis, ſed inſtrumentalis, nã cauſa principalis eſt ſolus Deus, cum gratia ſit quædam diuinæ naturæ participata ſimilitudo, & quamuis Deus illam per ſe ſine cauſis ſecundis conferre poſſit, vtitur tamen duplici inſtrumento, Chriſti .ſ. humanitate, vt inſtrumento coniuncto, & Sacramentis vt inſtrumento ſeparato, in quibus eſt quædam virtus ad cauſandam gratiã, quæ à Chriſti diuinitate per eius humanitatem in Sacramenta deriuatur.

Verùm hæc ſententia aliquas habet difficultates, quæ iuxta priorẽ ſententiã nullæ ſunt, ad quas breuiter reſpondebimus, &

Prima difficultas.

Prima eſt, quia in inſtrumẽto præter propriã formã, & proprias eius qualitates, eſt aliqua virtus ei à principali agente impręſſa ad opera artis efficienda, ergo ſi Sacramenta ſunt inſtrumenta gratiæ, debet in illis eſſe uirtus; ſeu qualitas diuinitus impreſſa illius cauſatiua, ſed nulla poteſt eſſe, nam hęc uirtus, uel eſt ſpiritualis, vt vult Capreolus, & ſic non poterit eſſe in ſubiecto materiali, uel eſt corporalis, vt vult Petrus de Palude, & ſic non poterit producere effectũ ſpiritualem.

Solutio.

Reſpondetur, quod in Sacramẽtis nulla eſt qualitas, nec materialis, nec ſpiritualis eis ſuperaddita, ut benè probat Scotus, & falſum eſt, quod in inſtrumentis coniunctis, ſit qualitas impræſſa ab agente, ſicut eſt in inſtrumentis ſeparatis, vt in ſagitta, quę ad Scopum dirigitur, ſed eorũ virtus eſt paſſiuus vſus, ſeu motus quo ab agente mouetur iuxta

Inſtrumẽtorum virtus quæ.

pro-

propriā eorum virtutem, & operationē, & nō qualitas eis ſuperaddita; ut ſerra, quæ ex ſe eſt apta ad ſecandū cum ſit ferrea, dentata, & acuta, à quocumq; moueatur ſecabit, ut autem ſecādo ſit inſtrumentū ad conſtituendam ſedem, à fabro lignario moueri debet, & motus quo ab eo mouetur, eſt in ſerra inſtrumentalis virtus ſedis conſtitutiua, ſimiliter chordæ citharæ à quocumq; moueantur ſonum reddunt, ſed ut concentum ſonū reddant, debent moueri à citharista; Sicut.n.in inſtrumento eſt potentia ad motū, formæ naturali, ſeu artificiali proportionatū, & ad cooperandū arti, ita etiā mouetur motu ſimplici à quocumq; potente illud ſine arte mouere, quo fit effectus inſtrumēto proportionatus, & mouetur etiam motu artificioſo, qui non eſt alius omnino motus, ſed pręcedens modificatus, & redactus ad formā artis, vſu artificis, quo fit effectus inſtrumēto longè perfectior, qui eſt proportionatus arti, & inſtrumēti virtus ad illum effectū producendum, eſt eius vſus, ipſe.n.vſus, eſt quidā ingreſſus artis in inſtrumentū, & quædam inſtrumenti āctuatio; & quāuis multa inſtrumenta cōcurrant ad vnū effectū, illorū tamen motus particulares, ſunt vnus motus totalis, & per conſequens vna eſt vis principalis agentis, in diuerſis inſtrumentis inſtrumentaliter in eis exiſtens, ideſt fluens, & in completa in eſſe naturæ, virtus ergo effectiua inſtrumenti, non eſt qualitas ei ſuperaddita, ſed eius paſſiuus vſus ab artifice, & ſic nō inducitur nouū ens, nec noua pluralitas. Intellecta natura, & uirtute inſtrumēti, facile intelligetur quomodo Sacramēta ſint inſtrumēta gratiæ, & licet Sacramenta reſpectu humanitatis Chriſti, quæ cū natura Diuina eſt unita in perſona Verbi, dicantur inſtrumenta ſeparata, ſunt tamen inſtrumenta coniuncta Diuinitatis, non in vritate perſonæ, ſicut Chriſti humanitas, ſed quia Deus eſt vbiq; & illis utitur, ut inſtrumētis, & Sacramētorū virtus ad cauſandā gratiā, nō eſt aliqua qualitas naturalis, uel gratuita illis ſuperaddita, ſed eorū paſſiuus vſus, ſeu motus, quo à principali agente mouentur, hoc.n.ipſo, quod Deus illis vtitur inſtrumentaliter ad dandā gratiā, eleuantur in ordinē cauſæ inſtrumētalis, & habent vim illam efficiendi, quemadmodum etiam, & de cæteris inſtrumentis diximus.

Sacramenta quomodo ſint inſtrumenta gratiæ.

Sed cōceſſo, quod hæc ſit inſtrumentorū uirtus, eorum. ſ. vſus & motus à principali agente, adhuc ſecūdo dubitatur, quia licet inſtrumentū, vt ab artifice mouetur, producat effectū longè præſtantiorē, tamē actio inſtrumēti eſt in illo ſubiecto in quod agit, ad formā artificialem introducendam, iuxta propriam formam artificialē, uel naturalē, quæ cōcurrit ut cauſa, ut ad ſenſū patet,

Secunda difficultas

nam ignis liquefacit, malleus extendit, ſerra ſcindit, At Sacramẽta nullam habent actionem in animã eorum naturali proprietati cõuenientem, nec aliqua in illis apparet naturalis, vel artificialis qualitas, vel proprietas, quæ aliquomodo ſit cauſatiua gratiæ, nam Sacramenta ſunt materialia, & anima in qua infunditur gratia eſt ſpiritus, quomodo ergo poſsũt in eam agere, & effectũ ſpiritualẽ producere? Reſpondetur, quod etiã in Sacramẽtis ad ſenſum patet virtus cauſatiua gratiæ, ſuppoſito quod fuerint à Chriſto Domino inſtituta, de quo dubitare nõ licet, nã verborũ forma, & eſſentia, eſt eorũ ſignificatio, formę autem Sacramentorum ſignificãt gratiã, uel quatenus ſignificãt remiſſionem peccatorũ, quę fit per gratiã, uel quatenus deputant ad aliquod miniſteriũ, & Deus miniſtros idoneos, & dignos facit, & iſtæ formæ ſunt uerba Dei, à Chriſto domino inſtituta, ad efficiendũ id quod ſignificant, ergo uirtute ſignificationis eorum, efficiunt gratiam, quia illam ſignificant, ut ab eis effectam, Dei enim uerba ſunt operatiua, & efficiunt, quod ſignificant, pſ.67. *Dabit voci ſuæ, uocem virtutis*, pſ.32. & 148. *Dixit, & facta ſunt, mandauit, & creata ſunt.* Et formæ Sacramentorum, ita ſignificant eis dari gratiam, ut ſimul etiam connotent materiam, eam proportionaliter reprę ſentantem, vt illius cauſam, & conſequenter gratia ui uerborum Dei, eſt à forma, & à materia, niſi ergo uelimus dicere uerba Dei in efficacia, & falſa eſſe (quod abſit) neceſſario dicendum eſt Sacramenta habere illam vim, quam etiam ad ſenſum ſignificant.

Solutio. Virtus Sacramẽtorum etiã ad ſenſum patet.

Ad id autem, quod obijcitur, quomodo poſsint verbum, & elementum, quę ſunt materialia agere in animã, & cauſare gratiam. Reſpondetur, quod naturaliter hoc nõn poſſunt, ſed id efficiũt virtute diuina, quia ad id aſsũpta, & inſtituta à Chriſto fuerunt, ut Chriſti uerba expræſsè ſignificant, & ad hoc facilius intelligendum, aliquibus exemplis poſſumus manuduci, ignis inferni, eſt materialis, & tamen quia eſt inſtrumentum Diuinæ iuſtitiæ, agit in animas, & dæmones, qui ſunt ſpiritus. phantaſma eſt materiale, & tamen uirtute intellectus agentis, agit in intellectum poſsibilem, qui per hoc, quod phantaſmata recipit, cognoſcit ſingularia, & qui negant intellectum cognoſcere ſingularia, ne cogantur fateri phantaſmata, quę ſunt materialia agere in intellectũ, nõ propterea effugiunt difficultatem, nã etiã vniuerſale dicit materiã, homo.n. in vniuerſali dicit carnẽ, oſſa, caput, vẽtrẽ, hæc.n. oĩa cõueniũt homini, ut homo eſt, in vniuerſali conſideratus, & repræsẽtãtur in ſpecie vniuerſali, quæ cõſequẽter eſt materia-

Quod materiale agat in immateriale virtute immateriali.

terialis,& agit in intellectum,& in eo recipitur, In uoce etiã ſenſibili,quatenus à mẽtis cõceptu procedit,præter ſignificationẽ, eſt quędã ſpiritualis uirtus,ad auditoris intellectũ illuminãdũ, & ad producendũ in eo habitum ſcientiæ; & quod materiale uirtute agẽtis immaterialis,poſſit agere in immateriale,docet etiã Ariſtot. 3. de Anima text. 14. vbi dicit, quod agens, & patiens in paſſione corruptiua conueniunt in materia, at in paſſione perfectiua, qualis eſt cognitio, non eſt neceſſaria communis materia, ſed quædam proportio, ſecundum quam vnum eſt in potentia, imperfectum, & perfectibile, & alterum eſt actus, & perficiens.

Et ſi dicatur, quod iſtæ res ſenſibiles Sacramentorum, & anima non ſe habent tanquam agens, & patiens; Reſpondetur, quod conſideratæ, ſecundum ſuum eſſe naturale, non poſſunt agere in animam, at conſideratæ, ut ſunt aſſumptæ à Deo, ut inſtrumenta gratiæ, proportionantur animæ, & ſe habent ad illam tanquam agentia, nam ſignificant gratiam per modum cauſæ efficientis qua anima ſanctificatur, quæ ſignificatio (ut diximus) eſt efficax. Et ſi adhuc dicatur, quod inſtrumenta debent ſuis qualitatibus attingere ſubiectum in quod agunt, & quod Sacramenta non attingunt animam, nam ablutio,& vnctio fiunt in corpore, & formæ Sacramentorum ſubmiſsè prolatæ nullam poſſunt in intellectu recipientis imprimere ſpeciem. Reſpondetur id neceſſarium eſſe in inſtrumentis naturalibus, & humanis, at in inſtrumentis Dei, qui eſt infinitæ virtutis, non eſt neceſſarium, quod ſecundum eorum naturalem proprietatem,attingant ſubiectum in quod agunt, quia nõ ſunt inſtrumenta Dei ſecundum eorum naturalem proprietatem, ſed nihilominus attingunt ſubiectum in quod agunt, ea ratione qua ſunt inſtrumenta, ſecundum ſcilicet diuinam ordinationem, & ſignificationem, quæ eſt eorum virtus, per hoc, quod illa ſignificatio, & ordinatio, ad ipſum pertinet, & hoc modo verba Chriſti, *Lazare veni foras, Vade filius tuus uiuit*, verè fuerunt cauſa reſurrectionis Lazari, & ſanitatis filij reguli, non per hoc, quod ſonus verborum ad illos peruenerit, ſed quia eorum ſignificatio ad ipſos pertinebat.

Obiectio. Solutio. Obiectio. Solutio. Quomodo Sacramenta attingant animam.

Tertia difficultas eſt, quia gratia creatur, & creare conuenit ſoli Deo, & non poteſt conuenire creaturæ, nec etiam inſtrumentaliter. Reſpondetur concedendo creaturæ nullomodo cõuenire,aut tribui poſſe,ut creet,uel ſit creationis inſtrumẽtũ, nã cum effectus creationis ſit eſſe ſimpliciter, & per ſe primo

Tertia difficultas. Solutio. Creare ſoli Deo cõuenit.

productum ex nihilo, nulla eius præcedente potentia, ad deũ primam,& uniuerſaliſsimam cauſam,tanquam proprius,& uniuerſaliſsimus effectus pertinebit, qua parte etiam nullum præſupponit ſubiectum, omnino inſtrumentum à creatione excluditur,eatenus enim adhibetur inſtrumentum, vt ſubiectum ſua prçuia operatione diſponat, excluditur etiam ex eo, quod ad creandum requiritur potentia infinita,nam licet id, quod creatur ſit finitum, deducitur tamen ex nihilo, quod infinitè diſtat ab ente. At gratia licet communiter dicatur creari,quia à nullo agente naturali,ſed à deo producitur,propriè tamen nõ creatur. Primo,quia non eſt per ſe ſubſiſtens, & illis propriè conuenit fieri,& creari,quibus conuenit eſſe,qualia ſunt ſubſiſtentia. 2. quia præſupponit ſubiectum diſpoſitum in quo recipiatur. 3. quia ad eam habemus naturalem potentiam, licet ſupernaturaliter habeatur,quod patet ex Aug. 1.de Prædeſt.Sanctorũ,c.1. vbi inquit,poſſe habere fidem, & charitatẽ, naturç eſt hominis, habere antem; gratia eſt fidelium, & patet etiam,quia Deus ad actus gratiæ,charitatis,& cæterarum virtutum infuſarum, non ſe habet ſicut cauſa totalis,ſed ſicut cauſa adiuuans Rom.8. *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram*, 2. Cor.3. *Sufficientia noſtra ex Deo eſt*,& earum actus,ſunt actus uitç à nobis eliciti, eadem autem eſt ratio gratiæ,& charitatis, fidei,& cæterarum uirtutum,quas Deus ſeruis ſuis infundit; Sed quia iſta potentia non poteſt deduci ad actum ab agente naturali, propterea uirtutes iſtæ non ſunt naturales,ſed ſupernaturales, quia à deo ſupernaturali agẽte producuntur;quare in gratiç productione, ceſſant omnes rationes quibus à creatione remouetur inſtrumentum, cum gratia prærequirat ſubiectum, cui adhiberi poteſt inſtrumentum, & non ſit ens per ſe ſubſiſtens,nec omnino ſit ex nihilo,cum prçceſſerit eius naturalis potentia,ſi non ut ex ſubiecto deducatur, ſaltem ut in eo recipiatur, & propterea poteſt eſſe inſtrumẽtum productiuum gratiæ, ſed non illius eductiuum de potentia animæ,cum non deducatur ex eius potentia, per quæ patet ſolutio prædicti argumenti ſatis difficilis,& non ſatis ab alijs ſoluti, patet etiam ex prædictis ſolutio aliorum argumentorum Scoti, nã licet gratia poſſet haberi eo modo quo exponit Scotus, illo tamen non ſaluantur Conciliorum & Sanctorum dicta, nec noſtrorum Sacramentorum dignitas,& eius exempla de merito & motu,nobis potius ſuffragantur, nam licet præmium ſit à prçmiante,& non à merente,ſimiliter & terminus,non ſit à motu, ſunt tamen aliquomodo eorum cauſa,nam merito debetur præmium, & motus eſt via ad terminum.

Gratia propriè non creatur.

De Charactere, quid ſit, & quod eius ſubiectum, & quod ſit indelebilis, & quod pro Sacramentis non imprimentibus characterem, non ſit ponendus ornatus.
Capit. V.

ALius proprius Sacramentorum effectus, eſt character indelebilis in anima, quem tria tantum Sacramenta imprimunt, Baptiſmus. ſ. Confirmatio, & Ordo, & eſt quoddã ſpirituale ſignum in genere qualitatis, quo anima perficitur reſpectu eorum, quę ſunt diuini cultus, vt illa recipi, vel alijs tradi poſſint; & formaliter eſt potentia, nam cum ex Ariſt. tria ſint in anima, potentia, habitus, & paſſio, character nõ eſt paſſio, nam character eſt indelebilis, & paſſio cito tranſit, nec eſt habitus, quia nullus habitus poteſt ad benè, vel malè ſe habere, hoc enim eſt ſolius potentiæ, at character ad utrumque ſe habet quare formaliter eſt quædam ſpiritualis potentia, id enim per quod aliquis, non tanquam ex commiſſione, uel ad perfectius operandum, ſed ſimpliciter, & per ſe, poteſt aliquid agere, vel recipere, formaliter eſt potentia, ſed character eſt huiuſmodi, nã ſubtracto charactere baptiſmi, reliqua omnia Sacramenta uanè recipiuntur, & ſubtracto charactere ordinis, conſecratio & abſolutio nullius ſunt efficaciæ, & ſolo charactere poſito, omnia quę cum debita intentione fiunt, etiam charitate, ſcientia, & alijs virtutibus ſemotis, firma ſunt, & rata, eſt ergo character ſupernaturalis potentia, & in tribus tantum Sacramentis imprimitur, in Baptiſmo, ut alia Sacramenta recipi poſsint, in Ordine, ut Sacramenta alijs tradi poſsint, & in Confirmatione, quo fideles Chriſti milites ad ſpiritualem pugnam contra infideles deputantur. Quid ſit.

Cum autem character ſit potentia ad actus ordinata, eius immediatum ſubiectum non poteſt eſſe eſſentia animæ, ſed eius potentia, & non quæcumque, ſed intellectus, qui eſt principium dirigens, & applicans, nam licet proximum principium diuini cultus ſit religionis uirtus, quæ est in uoluntate, & character ſit potentia ad ea, quæ ſunt diuini cultus, non ob id character eſt in voluntate, nam fides & character inter principia religionis computantur, & reſpiciunt cultum diuinum ſecundum id quod eſt, & propterea ſubiectantur in intellectu, religio uero illum reſpicit ſecundum rationem boni, ut homo benè, & cum debitis circunſtantijs ad actus religionis ſe habeat cum ſit uirtus moralis, & propterea in uoluntate ponitur. Quod ei⁹ ſubiectũ.

Eſt indelebilis,& vnde hoc habeat.

Hinc ſequitur characterem eſſe indelebilem,nõ ex eo ſimpliciter,quod eſt in ſubiecto incorruptibili, nam gratia, quæ eſt in eſſentia animæ,& virtutes,quæ ſunt in intellectu, vel in voluntate,amittuntur,quia ſunt quædam formæ in anima,habentes eſſe completum, forma autem completa eſt in ſubiecto, ſecundum conditionem ſubiecti, & animæ conditio quamdiu eſt in hac vita,eſt ut ſit mutabilis,ſecundum liberum arbitrium, conſequēs igitur eſt,quod gratia,& uirtutes ſint in anima mutabiliter, Sed quod character ſit indelebilis, ſuppoſita incorruptibilitate ſubiecti, prouenit ex hoc quod eſt quædam participatio Sacerdotij Chriſti in fidelibus eius; Chriſtus enim habet plenam ſpiritualis Sacerdotij poteſtatem, quam commuuicat fidelibus ſuis per characteris impreſſionem reſpectu Sacramentorum, & eorum, quæ pertinent ad diuinum cultum, ſed Chriſti Sacerdotium eſt æternum pſ. *Tu es Sacerdos in æternum*, ergo illius participata poteſtas debet eſſe æterna, vnde videmus etiam in rebus materialibus,& corruptibilibus,quod conſecratio Eccleſiæ, vel Altaris,ſemper manet,niſi Eccleſia, nel Altare deſtruantur; prouenit etiam ex natura ipſius characteris, quia character non eſt forma completa in anima, ſed eſt quædam uirtus inſtrumentalis Sacerdotij Chriſti, uirtus autem inſtrumentalis magis attenditur ſecundum conditionem principalis agentis, & ideo licet anima,ſecundum liberum arbitrium ſit mutabilis,& gratiam, & virtutes eam perficientes amittere poſſit, character tamen indelebiliter eſt ei impręſſus,quia non tam recipitur,ſecundum conditionem ſubiecti, quam ſecundum conditionem principalis agentis; quod ergo character ſit indelebilis non eſt propter ſui perfectionem,nam gratia,& charitas ſunt perfectiores, & tamen amittuntur, ſed propter perfectionem Sacerdotij Chriſti à quo deriuatur,ſicut quædam inſtrumentalis virtus.

Ornatum quare aliqui affirmauerint. & quod non ſit ponendus.

Quo ad Sacramenta non imprimentia characterem,aliqui poſuerunt ornatum in anima proprium illorum Sacramentorum effectum, & huius opinionis origo, hæc fuit, quia Innocentius 3.(& habetur in cap. cum Marthæ ext.de Celeb.Miſſ.) explicans myſterium Sanctiſsimi Euchariſtiæ Sacramenti, tria in eo diſtinguit,ſcilicet Sacramentum & non res,res & Sacramẽtum, & res & non Sacramentum,nam cum Sacramentum ſit in genere ſigni, id quod tantum ſignificat,& non ſignificatur, dicitur Sacramentum & non res,ſeu Sacramentum tantum, qualis eſt res ſenſibilis,vt ablutio, vnctio, ſpecies panis,& vini; id quod ſignificatur, & non ſignificat aliquid aliud,dicitur res, & non Sacramentum,

vel

vel res Sacramenti,& eſt gratia;id quod ſignificat,& ſignificatur, dicitur res,& Sacramentum,res quatenus ſignificatur, & Sacramentum quatenus ſignificat, & hoc in Sacramento Euchariſtiæ eſt Corpus Chriſti,quod ſignificatur ſpeciebus panis, & ſignificat gratiam; Et licet Innocentius loquatur ſolum de Euchariſtia, tamen Doctores dicunt characterem in Sacramentis illum imprimentibus,eſſe rem & Sacramentum,quia Sacramentis cau ſatur,& ſignificatur,& etiam ſignificat gratiam,& id ad quod ho mines eo deputantur. S. Tho. in 4. dixit Sacramentum, & rem ſimul, reperiri etiam in alijs Sacramentis, & eſſe quendam animæ ornatum,ſed in ſumma illum nõ poſuit,& multi etiam Thomiſtarum illum negant, tamen Petrus de Palude illum conatur defendere,ſed fruſtra,& dicit hunc ornatũ ideo poni, ut ſit res, & Sacramentum ſimul, & diſpoſitio ad gratiam, ſicut eſt character in Sacramentis illum imprimentibus,nam gratia non datur niſi ſufficienter diſpoſito, ſed quia contriti ſunt ſufficienter diſpoſiti,dixit hunc ornatum non dari contritis,ſed attritis, & nõ manere cum gratia,cum ſit ad eam diſpoſitio, Sed conſiderans, quod iſte ornatus;eſt effectus Sacramenti, uidebatur abſurdum quod non detur contritis,cum non ponant obicem, in eadẽ quęſtione ſtatim palinodiam cantans,& ſibi contradicens, dixit dari etiam contritis,& manere cum gratia,immo ſubiungit eſſe effectum omnium Sacramentorum, quare hic ornatus, ſine ullo fundamento,& ſine vlla neceſſitate ponitur, & multas affert difficultates, quã ergo facilitate affirmatur, eadem negatur,& dicimus rem, & Sacramentum ſimul,non reperiri in omnibus Sacramentis,& characterem non ideo imprimi, ut ſit diſpoſitio ad gratiam,ut ob id cogamur in alijs Sacramentis ponere ornatum ſed quia (vt diximus) eſt quædam ſpiritualis potentia ad ea, quæ ſunt diuini cultus, & quia hæc non æquè bene fiunt ſine gratia,remotè & indirectè diſponit ad gratiam,quatenus diuina lar gitas recipientibus characterem,largitur gratiam,per quam dignè impleant ea ad quæ deputantur;Et Sacramenta non tribuũt aliquam virtutem,ſeu qualitatem,vt diſpoſitionem ad gratiam, ſed immediatè conferunt gratiam,non ſolum contritis, ſed etiã attritis,& Baptiſmus illam etiam confert pueris,nam licet pueri non ſint capaces alicuius propriæ diſpoſitionis, & attritio non ſit ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, ſine Sacramentis, nihilominus eis Sacramenta,vi propria, ex opere operato, gratiam conferunt.

S.Th.4.ſ.

Petr. de Pal.4.d.14 q.1. art.2. & 3.

Quot ſint Sacramenta, & quæ in illis omnibus neceſſario, & eſſentialiter requirantur, & quomodo inter ſe differant. Cap. VI.

SI Sacramenta ea ſola ratione inſtituta eſſent, ut gratiã virtute alicuius operis operati conſequeremur, non opus fuiſſet multiplicare Sacramenta, ſed quia Deus, cuius perfecta ſunt opera, ita Sacramentis gratiam confert, ut ſpiritualem uitam perficiat, & pro diuerſitate etiam ſpiritualium infirmitatum, proprias medicinas adhibeat, qui ſunt duo præcipui effectus gratiæ, nos. ſ. Deo vnire, & ſanare, propterea ſecundũ vtramq; rationem, ſeptem fuerunt à Chriſto Domino inſtituta Sacramenta, Baptiſmus. ſ. &c. nam licet Euchariſtia ſit ſub diuerſis ſpeciebus, & plures ſint ordines, tamen ratione unius ſignificationis, & relationis ad unum, non ſunt plura Sacramenta, cum Sacramentum ſit in genere ſigni, quorum neceſsitas, ordo, & ſufficientia ſumitur, primo ex eo, quod hominem in vita ſpirituali perficiunt, per ſimilitudinem ad vitam corporalem, nam primo Baptiſmo regeneramur in filios Dei. 2 Confirmatione ad perfectum ſtatum, & robur ſpirituale Chriſtianæ vitæ perducimur. 3 Euchariſtia nutrimur. 4 Pœnitentia ad ſanitatem reſtituimur. 5 eſt Extrema unctio, quæ infirmitatis Ideſt peccatorum reliquias remouet, & hominem ad finalem gloriam paratũ reddit. In ordine ad communitatem, perficimur 6 Ordine quo dantur multitudinis gubernatores. 7 Matrimonio, quo ſubuenitur naturali defectui mortalitatis, ut ſit etiam in Eccleſia carnalis propagatio, ſed ſanctificata, & Deo dicata. Sumitur 2 ex eo, quod ſunt remedia, & medicinę contra peccata, nam Baptiſmus eſt contra carentiam vitæ ſpiritualis, Confirmatio contra animi infirmitatem, Euchariſtia contra procliuitatem ad peccãdum, Pœnitentia contra peccatum actuale poſt Baptiſmum commiſſum, Extrema vnctio contra peccatorum reliquias, Ordo cõtra diſſolutionem multitudinis, Matrimonium contra concupiſcentiam perſonalem.

Quare ſint ſeptẽ.

Quatuor neceſſariò, & eſſentialiter (vt habetur ex Concilio Floren.) in quolibet Sacramento requiruntur. ſ. res à Deo determinatæ, tanquam materia, verba etiam determinata, tanquam forma, & Miniſter cum intentione faciendi id quod facit Eccleſia, quorum ſi uel vnum deſit, non conficitur Sacramentum.

Eſſentialiter requiſita. Cõc. Flor.

Præcipuæ Sacramentorum differentiæ ſunt ſex. Prima, quia

tria,

tria.ſ.Baptiſmus,Confirmatio, & Ordo, imprimunt characterē, & non reliqua,ex qua ſequitur ſecunda;nam ratione indelebilis characteris,quem exprimunt,iſta tria reiterari non poſſunt. Tertia eſt,quia Euchariſtia, & matrimonium non ſolum ſunt Sacramenta,ſed Euchariſtia eſt etiam Sacrificium, & matrimonium, eſt etiam naturalis contractus, ob quam cauſam Eccleſia circa Sacramētum matrimonij poteſt aliquid præcipere, quod ſit etiā de neceſſitate Sacramenti;quatenus Sacramentum hoc, eſt quidam contractus,perſonas ad contrahendum habiles, inhabiles reddendo, & è contra;quod in alijs Sacramentis efficere non poteſt, ſed ea, quę circa reliqua ſtatuit, vel innouat, ſunt ſolum neceſſaria neceſſitate præcepti,ita ut ſi omittantur,non ob id annulletur Sacramentum. Quarta eſt,quia in Sacramentis Baptiſmi,Confirmationis,& Matrimonij contrahitur cognatio,uel affinitas dirimens Matrimonium. Quinta eſt ratione neceſſitatis: nam tria ſunt ſimpliciter ad ſalutem neceſſaria.ſ.Baptiſmus, Poenitentia, ſuppoſito peccato mortali poſt Baptiſmum: at ſi non adeſt illa miniſtrantium copia,ſufficiet contritio cum propoſito illa ſuſcipiendi,& Sacramentum ordinis,quod in Eccleſia neceſſarium eſt,ſed non ſingulis. reliqua non ſunt ſimpliciter neceſſaria,ſed de bene eſſe,& ſine illis ſaluari poſſumus,dummodo non adſit eorum contemptus,Sacramentum tamen Euchariſtiæ propter illa uerba Chriſti. *Niſi manducaueritis carnem, &c.* annumerandum etiam eſt inter Sacramenta ſimpliciter neceſſaria, reſpectu adultorum,cum ſumi poteſt; nam reſpectu puerorum, intelligitur de ſpirituali manducatione,dum ſuſcipiunt Baptiſmum. Sexta eſt ratione gratiæ, in cuius collationē omnia conueniunt; nam gratiæ,quæ eis datur, pro eorum diuerſitate, diuerſi attribuuntur effectus,gratiā enim baptiſmi, renaſcimur;confirmationis,roboramur;Euchariſtiæ nutrimur, pęnitentiæ ſpiritualiter,extremæ unctionis etiam corporaliter prout expedit animæ,ſanamur,ordinis, Eccleſia gubernatur, & ſpiritualiter multiplicatur, matrimonij verò, corporaliter augetur.

In quibus differant.

DE

De Sacramento Baptiſmi.

Quid ſit Baptiſmus, De ſupplendis exorciſmis, & de Baptiſmo in nomine Trinitatis, Genitoris, Geniti, & Proceden tis, vel Chriſti. Cap. VII.

BAptiſmus eſt ablutio Corporis exterior, ſub præſcripta forma verborum, cum debita intentione, Eius materia eſt aqua naturalis, Forma eſt, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ego, tamen & Amen, non ſũt de eſſentia, & Sacramẽtũ nõ eſt aqua, nec uerba, ſed utriuſq; vſus, ideſt ablutio cum prolatione verborum. Non poteſt reiterari, etiam ſub conditione, quando ſciri poteſt an fuerit collatus, At quando omni diligentia adhibita ſciri non poteſt, ut de infantulo expoſito, baptizandus eſt cum conditione iuxta communem ſententiã, quia ſic non reiteratur baptiſmus, dato quod eſſet baptizatus, ſicut reiteraretur ſi baptizaretur ſimpliciter, & ſine conditione. Non defuit, qui diceret non eſſe exorcizandos illos, qui fuerunt baptizati domi, quando ducuntur ad Eccleſiã, ut ſuppleantur omiſſa, nam dęmon virtute baptiſmi domi collati fuit expulſus. Sed ad pauca reſpicientes facilè determinãt. Communis vſus eſt in contrarium, & ſequendus, nec vlla fit Sacramento iniuria, nam cum baptiſmus conferat gratiam, dæmonem expellit ab anima, ſed expulſus ab anima poteſt eſſe in corpore, ut uidemus in obſeſſis à dæmone, qui ſunt contriti, confitentur, & ſumunt Euchariſtię Sacramentum, & licet ſint in gratia adhuc tamen dæmon eſt in eorum corporibus, & rectè ei imperando dicitur, ut recedat, & det locum Spiritui Sancto, non enim Anima ſolum, ſed etiam Corpus iuxta Apoſtolum debet eſſe templum Spiritus Sancti, & quod dæmon expulſus ab Anima vi Sacramentorum, non expellatur eadem vi, etiam à Corpore, non eſt ex eorum imbecillitate, ſed quia Deus ad diuerſos effectus diuerſa inſtituit media, & ut ſic etiam oſtendat exorciſmorum vim, & non eſſe omittendos propter Sacramentorum vſum, humana enim ſuperbia dum maiora tractat facile minora contemnit. Et ut inquit Sylu. experientia docuit multos, qui non fuerunt in baptiſmo exorcizati, fuiſſe poſtea in adulta ætate à dęmone obſeſſos, & fuiſſe etiam liberatos per hoc, quod exorciſmi omiſſi, fuerunt ſuppleti.

De ſupplẽdis exorciſmis.

Sylu. de ſtrig. lib. 2 c. 12.

Circa

Circa formam dubium eſt, an teneat Sacramentum ſi alijs nominibus inuocetur Trinitas, ut ſi dicatur Ego te baptizo, in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab utroque, uel in nomine Trinitatis, uel in nomine Chriſti, in quo denotatur Pater ungens Filius unctus, & Spiritus ſanctus quo unctus eſt, Et cōmunis ſētentia eſt, quod niſi conferatur ſub forma à Chriſto expreſſa. ſ. In nomine Patris, &c. non teneat Sacramentum. Caietanus tamen à communi ſententia recedens, exiſtimat baptiſmum his tribus modis collatum eſſe verum Sacramentum, cuius ratio eſt quia his tribus modis inuocatur, & exprimitur Trinitas, primo quidem explicitè, reliquis uerò implicitè, nam Chriſtus quando inſtituit formam baptiſmi, non arctauit uirtutem formæ ad illa uerba, In nomine Patris, &c. ſed ad Sāctiſsimæ Trinitatis inuocationem, tanquam cauſæ principalis Baptiſmi, & gratiæ, quæ in eo datur; quibuſcumque ergo uerbis ſignificetur Trinitas, Sacramētum tenet, & maximè ſi in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab utroque conferatur, cum ita expræſsè his nominibus confiteamur Trinitatem, ſicut & illis; & genitor, & genitus æquè ſignificent primam, & ſecundam perſonam, ſicut Pater, & Filius, licet ratio formalis ſit diuerſa, nullum enim ex his nominibus formaliter ſignificat perſonas, nam pater ſignificat ſolam paternitatem in concreto, ideſt formaliter ſignificat paternitatem, materialiter uerò ſignificat perſonam habentem paternitatem, & genitor ſignificat generationem actiuè in concreto, ideſt formaliter ſignificat actum generandi, materialiter vero perſonam, quæ generat, concretum autem utrobique eſt perſona Patris, de Trinitate loquendo, quæ realiter, & formaliter ex parte rei, identificatur relationi paternitatis, & generationi actiuæ. Et non eſt habenda ratio formalis ſignificati, ſed materialis, puta perſonæ, quæ utroque nomine ſignificatur: & confirmat, quia ſatis eſt, quod nomina ex accomodatione vſus idem ſignificent, vnde ſi nobilis aſſuetus ſemper loqui de ſe in plurali, dicat nos baptizamus te, &c. uel ſi ignarus dicat ego te baptizo in nomine patria, filio, & ſpiritu ſancto baptiſmus tenet. De baptiſmo etiā in nomine Trinitatis, & in nomine Chriſti habetur determinatio Niccolai Papæ in cap. à quodam Iudæo de conſ. diſt. 4. qui ad cōſulta bulgarorum reſpondens inquit, qui in nomine Sanctæ Trinitatis, uel tantum in nomine Chriſti (quod in actibus Apoſtolorum legitur) baptizati ſunt, (unum quippe idemque eſt, ut S. Ambroſius exponit) rebaptizari non debent.

De mutatione formæ.

Caietani ſententia.

Fateor argumenta Caietani aliquam difficultatem, & probabili-

Contraria ſententia eſt tenēda

bilitatem præſeferre, ſed quia formæ Sacramentorum ſunt inſtitutæ,& determinatæ à Chriſto Domino, & ab illis dependet Sacramentorum uirtus,ad iudicãdum de Sacramẽtorũ formis, nõ tam inſiſtendum eſt rationibus,quam teſtimonijs ſacris, iuxta Sacrorum Doctorum expoſitionẽ. cum igitur Chriſtus hanc præſcripſerit baptiſmi formam,& communis Sanctorum, & Doctorum ſententia ſit,quod baptiſmus,qui non eſt collatus in nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sancti, non teneat, ab hac communi ſententia nullo modo recedendum eſſe putamus,quæ etiã videtur Eccleſiæ determinatione confirmata,nam Pelagius in cap. ſi reuera de conſec.diſt.4.inquit, quod qui aliter, quam in nomine Trinitatis, explicitè.ſ.iuxta formam Euangelicam, baptizati ſunt,ſi ad fidem catholicam ueniunt, ſine vllo dubitationis ambiguo in Sanctæ Trinitatis nomine baptizari debent, & idem Pelagius in capit. multi ead.diſt. inquit,multi ſunt,qui in nomine ſolummodo Chriſti, una etiam merſione ſe aſſerunt baptizare, & ſubdit hoc eſſe contra Chriſti præceptum, qui diſcipulis ſuis dixit baptizate in nomine Patris, &c. quod Chriſti præceptum intelligendum eſt de forma, & non de trina immerſione. & Zacharias in capit. In ſynodo ead. diſt. refert in Anglorum Synodo determinatum fuiſſe, quod baptiſmus in nomine Trinitatis conferri debet, & ſi uel una non exprimatur perſona, nullus eſt baptiſmus,& hoc certo tenendum eſſe dicit, quia nullus poteſt eſſe perfectus Chriſtianus,niſi in nomine Patris, & Filij,& Spiritus ſancti fuerit baptizatus. Et huius etiã rationẽ reddere poſſumus,nã ſicut ablutio nõ ſolum aqua naturali, ſed etiã artificiali fieri poteſt,quia tamẽ naturalis eſt cõmunior, & magis propria, ipſa ſola eſt inſtituta materia baptiſmi, ita etiam licet multis modis poſſit inuocari Trinitas, illa tamen ſola nomina Chriſtus in baptiſmo aſſumi uoluit,quibus communius, & magis propriè perſonæ nominari conſueuerunt, & iſta ſunt, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quæ ſunt nomina propria perſonarum,& non ex accommodatione vſus,ſicut genitor, genitus, & procedens, nam perſonę non conſtituuntur per actus notionales,qui ſignificantur nominibus genitoris,geniti,& procedentis ab vtroque,ſed per relationes Patris, Filij, & Spirationis paſſiuę, quam importat Spiritus Sanctus, & perſona relatione conſtituitur,& formaliter eſt ipſa relatio ſubſiſtens, prima perſona Patris conſtituitur paternitate,& eſt paternitas ſubſiſtens, quare propriè vocatur pater,& magis propriè,quã apud nos Petrus & Paulus ſuis proprijs nominibus nominantur, Similiter, &

Filius

Filius, & Spiritus Sanctus, in quo deceptus eſt Caietanus, qui exiſtimauit hæc nomina ſignificare perſonas ex accommodatione vſus, ſicut genitor, genitus, & procedens ab utroque, quod eſt falſum, nam pater, & filius, licet ſint nomina communia, tamen vt dicuntur in diuinis, ſunt nomina propria perſonarum, & non ex accommodatione uſus, cum perſonæ formaliter ſint ipſæ relationes eis propriæ, ſubſiſtẽtes ſignificatę, at genitor, genitus, &c. ſignificant perſonas ex accommodatione vſus, non ſolum, quia ſunt communia, ſed etiam, vt dicuntur in diuinis, quia formaliter ſignificant actus notionales, & perſonę non conſtituuntur actibus notionalibus, ſed relationibus, & propterea propriè, & formaliter, non ſignificant perſonas, ſicut Pater, &c.

Vt autẽ reſpõdeamus argumẽtis Caietani, notandũ eſt, quod variatio uocũ dupliciter fieri poteſt, primo, quoad voces ſolũ, & nõ quoad principalia ſignificata, & hæc non obeſt Sacramẽto, cũ enim verba Sacramẽtorũ habeãt efficaciã ex eo, quod ſignificãt, manẽte eadẽ vocũ ſignificatione, eſt eadẽ Sacramẽtorũ uirtus, & ita quacumq; lingua proferatur forma, ſiue hæbraica, ſiue gręca, ſiue latina, ſiue alia materna, Sacramẽtũ tenet. 2 poteſt fieri variatio vocũ, & ſignificatorũ ſimul, & hoc dupliciter, primo ſecundũ totalẽ, vel principalẽ earum ſignificationem, ut ſi dicatur ego te baptizo in nomine Trinitatis, quia nomen Trinitatis nõ ſignificat perſonas diuinas, ſed numerũ perſonarũ, ſimiliter etiã ſi dicatur in nomine genitoris, geniti, & procedẽtis, nam licet ſignificẽt perſonas, nõ tamẽ illas ſignificãt principaliter, & ſecundũ earũ formalẽ, & cõſtitutiuã rationẽ, ſed quatenus ſignificãt earum actus notionales, & cũ ſic variãtur verba formæ, ſecundũ eorum principale ſignificatũ, nõ tenet Sacramẽtũ, nam uirtus Sacramẽti data eſt uerbis principaliter ſignificãtibus ea, quæ ſunt de integritate Sacramenti, & ſecundum earum principalem ſignificationem. 2 poteſt fieri uariatio uocum, & ſignificatorum, ſed nõ quo ad principalem ſignificationẽ, ut ſi Prælatus aſſuetus loqui in plurali dicat, nos baptizamus te. & ſi ignarus ex imperitia linguæ, dicat ego te baptizo in nomine Patri, & Filio, & Spiritus ſancto, & Sacramentum tenet. Sed quo ad baptiſmum in nomine Chriſti, in primitiua Eccleſia ex diuina diſpenſatione ſic conferebatur, vt Chriſti nomen, quod iudæis, & gentibus, odioſum erat, honorabile redderetur, dũ ad eius inuocationem Spiritus ſanctus in Baptiſmo viſibiliter dabatur, ceſſante autem cauſa ceſſauit diſpenſatio, & ita nũc baptiſmus in nomine Chriſti non teneret, vt determinauit Pelagius in d. cap. multi

Solutio argumentorum Caietani.

Quod

Quod autem dixit Niccolaus in d.cap. à quodam iudeo, intelligendum eſt pro tempore primitiuæ Eccleſiæ; & poteſt etiam dici, quod reſponderit non determinando, ſed quid ſenſerit tanquam doctor particularis, innixus vſui Apoſtolorum, & auctoritati S. Ambroſij, qui cum reddat rationem diſpenſationis factæ in primitiua Eccleſia, quia. ſ. etiam in nomine Chriſti intelligitur tota Trinitas, exiſtimauit S. Ambroſium approbaſſe pro omni tẽpore baptiſmum in nomine Chriſti.

De Miniſtro Baptiſmi, Qui debeant baptizari, An paruuli infidelium ſint baptizandi inuitis parentibus, Et quid ſi de facto baptizentur.
Cap. VIII.

Qui baptizare poſſint.

QVo ad illos, qui baptizare poſſunt, Ex officio ſolus Sacerdos baptizare debet, & baptizare cum ſolennitate ad eum ſolum pertinet, Sed quia hoc Sacramentum eſt omnibus neceſſarium, ob id in caſu neceſſitatis, ſine ſolennitate, omnes, etiam mulieres, imo & infideles (dummodo habeant intentionem faciendi id, quod facit Eccleſia, & vtantur debita forma, licet ipſi credant Eccleſiam nihil efficere) baptizare poſſunt: pręſente tamen Sacerdote, clericus non debet baptizare, nec laicus præſente Clerico, nec mulier pręſente uiro, & in neceſſitate ſine ſolennitatibus, & cæremonijs debitis baptizatus, rebaptizari non debet, nec etiam ſub conditione, ſed ad Eccleſiam ducetur, ut ſuppleantur omiſſa, & nullo modo reiteranda erũt ablutio, & forma: at ſi dubitaretur de aliquo an ſit baptizatus, ut in filio expoſito, hoc ſolo caſu non ſimpliciter, ſed ſub conditione (ut diximus) baptiſmus conferri poterit, ſic enim dato, quod fuerit baptizatus, non rebaptizatur, cum iuxta conditionem non baptizetur.

Qui baptizandi.

Illi autem ſoli baptizandi ſunt, qui aliàs baptizati non fuerũt, non ſunt autem baptizandi adulti ſanæ mentis, ſi nolint, uel ſi nõ apparent ſufficienter diſpoſiti, ſed in hoc casu Sacramentum teneret, imprimeretur character, & recedente fictione daretur gratia, ſecus in priori, ob defectum intentionis ſuſcipientis. nec etiã ſunt baptizandi amentes, qui aliquãdo ſanæ mentis fuerunt, niſi habuerint voluntatem ſuſcipiendi baptiſmum, amẽtes autem à natiuitate, qui nulla habent lucida interualla baptizari poſſunt, ſicut, & pueri baptizantur in fide Eccleſiæ.

De paruulis infidelium.

Paruuli tamen infidelium ante vſum rationis inuitis parentibus ba-

bus baptizandi non ſunt, ſi ſub eorum cura exiſtunt, cum.n. ſint ſecūdum ius naturale ſub cura parentum, quamdiu ipſi ſibi prouidere non poſſunt, eſſet contra iuſtitiam, illos inuitis parētibus baptizare, nō ſecus (quod tamen nō eſt omnino ſimile) ac ſiquis habens uſum rationis, baptizaretur inuitus; nā licet homo ſit ma gis Dei, quā patris, & ſui ipſius, tamē ordinatur ad Deum per rationē per quam Deum cognoſcere poteſt, & pueri ante vſum rationis ordinantur in Deum per rationem parentum, quorum curæ naturaliter ſubiacēt, & ſecundum eorum diſpoſitionem ſunt circa ipſos diuina agenda; at ſi baptizarētur verè eſſent baptizati, quia Eccleſia pro illis conſenſum præſtat, cum careant uſu rationis, quem non ſic præſtat pro adultis, qui ſunt capaces proprij conſenſus, & propterea non eſt omnino eadem ratio de pueris baptizatis inuitis parentibus, & de adultis contradicentibus.

De hoc tamen eſt inter Doctores controuerſia, nam Petrus de Palude dicit pueros inuitis parentibus baptizatos, non eſſe verè baptizatos. Archid. ex S. Thom. inquit Baptiſmum tenere, Syluest. dicit ſe hoc apud S. Thom. non inueniſſe. Caiet. & Sotus dicunt non eſſe quidem baptizandos, ſed baptiſmum tenere, & hanc etiam eſſe ſententiam S. Thom. quatenus dicit ideo non eſſe baptizandos, quia de facili ad infidelitatem redirent. Cum hæc ſcriberem accidit caſus, nam mulier hebræa vidua, concepit ex hæbreo, & ad occultandum peccatum, peperit in domo cuiuſdam mulieris Chriſtianæ, quæ puerum ad hoſpitale innocentum miſit, vbi fuit baptizatus, quod cum parentes reſciuiſſent, ſumma inſtantia, etiam in iudicio ſibi reddi petierunt, non tamen obtinuerunt. Sed cum multa ſint, quæ non poſſunt licitè fieri, facta tamen tenent, hoc eſt unum ex illis, & dicimus Baptiſmum tenere donec aliter ab Eccleſia declaretur. Et huius ſolutio, ex ſolutione alterius difficultatis dependet, cum enim requiratur baptizandi intentio, & conſenſus, dubium eſt; an pro illis, qui non ſunt capaces proprij conſenſus, & intentionis, ſuppleant, & conſentiant parentes, an Eccleſia, & an baptizentur in fide parentum, uel Eccleſiæ: Si conſentiunt parentes, illis contradicentibus non erit baptiſmus, ſi Eccleſia, baptiſmus tenebit, quia cum Eccleſia non declarauerit ſe aliquibus denegare conſenſum, tenendum eſt, quod illum præbeat pro omnibus pueris, qui baptizantur, in fauorem Sacramenti, & ſalutis animarum. Quod autem Eccleſia pro illis conſenſum præbeat, docet S. Thom. 3. p. q. 68. art. 8. vbi dicit, quod regeneratio ſpiritualis, quæ

fit per baptiſmum, eſt quodammodo ſimilis natiuitati carnali, quantum ad hoc, quod ſicut pueri in maternis vteris conſtituti, non per ſe ipſos nutrimentum accipiunt, ſed ex nutrimento matris ſuſtentantur, ita etiam pueri nondum habentes vſum rationis, quaſi in vtero matris Eccleſiæ conſtituti, non per ſe ipſos, ſed per actum Eccleſiæ ſalutem ſuſcipiunt, & probat etiam ex S. Auguſt. de pecca. mer. & rem. vbi dicit, Mater Eccleſia os maternum paruulis præbet, ut Sacris myſterijs imbuantur, quia nondum poſſunt corde proprio credere ad iuſtitiam, Et ad Bonifacium inquit, Offeruntur paruuli ad percipiendam ſpiritualem gratiam, non tam ab eis quorum geſtantur manibus, quam ab vniuerſa ſocietate ſanctorum, atque fidelium. Et probatur etiam primo, quia Eccleſia dat compatres, qui baptizandorum nomine reſpondeant, & promittant, & illos in fide inſtruant, inter quos etiam ſpiritualem cognationem inducit, nec obſtat, quod illos etiam dat adultis, qui per ſeipſos reſpondent, & conſentiunt, nam cum ſint capaces proprij conſenſus, illum requirit, & dat eis compatres, ut inſtruantur, pueris autem, & amentibus, ut etiam eius nomine conſentiant. Secundo, hoc euidentius patet in baptiſmo derelictorum, & expoſitorum quorum parentes ignorantur. Tertiò, dato, quod baptizetur infantulus inuitis parentibus, & poſtea parentes ad fidem conuertantur, peto an ille puer ſit poſtea rebaptizandus, certè negabitur, ergo baptiſmus tenuit. Poſſet quidem Eccleſia declararé, quod non intendit præbere conſenſum puerorum nomine quando parentes ſunt infideles, niſi conſenſerint, ſed quouſque contrarium declaret, tenendum eſt illos eſſe baptizatos. Et ſi obijciatur, quod intentio Eccleſiæ ſatis patet ex hoc, quod nemini iniuriam facere intendit, & ut diximus contra iuſtitiam eſt illos inuitis parentibus baptizare. Reſpondetur, quod cum hic videatur aliqua iniuſtitia, propterea Eccleſia illos non baptizat, & etiam propter periculum, ne poſtea parentum nequitia, deficiant à fide, quæ etiam eſt potiſsima cauſa, nam filij ita ſunt ſub cura parentum, quod Eccleſia poſſet contra illos agere, & eos ab illis tollere, quando abutuntur iure ſuo, ſed ſuauiter diſponens, conſiderat non tam, quid poſſit, quam quid expediat: Sed quia dato, quod aliquis de facto baptizetur, irrogaretur iniuria baptiſmo, ſi traderetur parentibus tamquam non baptizatus, propterea ita illos non baptizat, quod in fauorem Sacramenti quando de facto baptizantur, pro illis conſenſum præbeat,

idque

idque eo magis, quia occulto Dei iudicio credendum eſt id fieri, &c. poteſt etiam dari caſus in quo id magis expediat, ut eſt caſus propoſitus, qui nunc Florentię accidit, nam credo mulierem illam benè feciſſe, mittendo infantulum occultè ad Hoſpitale Innocentum, probabiliter enim credere poterat, quod illa hæbrea, ſicut in eius domo peperit, ut ſuum occultaret peccatum, ita etiam ob eandem cauſam infantulum eſſet occiſura. Et Sot.d.5.q.1.art.10. in fine, dicit, quod ſi Chriſtianus inueniret infantulum iam iam moriturum de quo nulla ſit ſpes ſalutis, poſſet illum baptizare, non ſolum clanculo, ſed etiam parentibus præſentibus, niſi ſic obſtarent, ut ſine ſcandalo id fieri non poſſit, quia nulla irrogatur fidei iniuria, cum nulla timeatur apoſtaſia, nulla etiam ſit iniuria parentibus, quia illum ſtatim ſunt per mortem amiſuri, & infantulo magnum beneficium confertur. Si autem de facto paruuli infidelium inuitis parentibus baptizarentur, eſſent tradendi, etiam inuitis parentibus, Chriſtianorum cuſtodiæ, & cogendi ſemper Chriſtianè viuere.

Illi autem, qui non ſunt ſub cura parentum, quales ſunt derelicti, uel capti in bello, baptizari poſſunt, quod ſi habent vſum rationis, quantum ad ea, quę ſunt iuris naturalis, & diuini, ſunt ſuæ poteſtatis, & ideo inuitis parentibus baptiſmum ſuſcipere poſſunt, & ad ſuſcipiendum induci.

Cum etiam de neceſſitate baptiſmi, ſit quod corpus abluatur, pueri in uteris maternis exiſtentes baptizari non poſſunt, ſed expectandus eſt totalis eorum egreſſus ex utero, at ſi aliqua pars pueri apparet, & timetur mors, illa, quęcumque ſit, ablui poteſt cum debita forma, & erit uerus baptiſmus. *De exiſtēte in utero.*

De effectibus Baptiſmi. Cap. IX.

PEr baptiſmum tolluntur omnia peccata, tam originale, quam actualia, & omnis pœna pro illis debita, ita ut nulla ſit pro illis iniungenda ſatisfactio; gratia, & uirtutes infunduntur; cum enim per baptiſmum incorporemur paſſioni, & morti Christi, iuxta illud Rom. 6. Si mortui ſumus cum Chriſto, &c. paſſio Chriſti omni baptizato ap- *Effectus Baptiſmi.*

plicatur ad remedium, ac ſi ipse baptizatus, paſſus, & mortuus eſſet, ob quam causam per baptismum debet etiam totius pęnæ reatus dimitti, quod etiam exigit natura ipſius baptiſmi, cum enim ſit Sacramentum regenerationis, uetus homo in eo totaliter extingui debet, & nouus indui, quæ rationes non militant in alijs Sacramentis, quare qui cum baptiſmali gratia moriuntur, ſtatim ad cœlum euolant, ob quam cauſam dicitur, baptiſmum aperire ianuam cœli.

De pœnalitatibus. Huius autem uitæ pœnalitates, baptiſmus non tollit, ſimiliter nec corruptionem naturæ, ſed illas ad exercitium, & meritum relinquit, ut ſic etiam magis conformemur Chriſto, cuius membra per baptiſmum efficimur, qui licet fuerit plenus grátia, & uirtute, ab inſtanti ſuæ conceptionis, habuit tamen corpus paſſibile, & poſt paſſionem, & mortem, illud ad uitam glorioſam reſuſcitauit, & ita baptiſmus huius uitæ pœnalitates tollet á iuſtis in generali reſurrectione, in qua complebitur, & perficietur noſtra regeneratio. Nec ob id ſequitur falſum eſſe, quod dicitur Baptiſmum ſtatim tollere omne peccatum, & omnem pœnam peccati, nam concupiſcentia, fomes, & pœnalites, in ſe non ſolum non ſunt peccata, ſed nec etiam propriè pœna peccati, nam ſunt naturales, & ſequuntur ex principiis naturæ quatenus ſenſibiles ſumus, & ex contrarijs conſtamus, ſed in ſtatu innocentiæ, dono iuſtitiæ originalis, ſenſus ſubdebantur rationi, & elementorum ex quibus conſtat corpus humanum, debita ſeruabatur proportio, & temperies, at per peccatum amiſſo freno iuſtitiæ originalis, ſenſus, & elementa ſuum tenuerunt curſum; ſenſibilis concupiſcentia contra rationem inſurrexit (quæ non eſt peccatum, imo poteſt eſſe occaſio meriti, quatenus uoluntas ei reſiſtit, ſed peccatum eſt ei contra rationem conſentire) & elementa mutua actione ad corruptionem diſponunt, & illam tandem inducunt, quorum, peccatum non fuit cauſa per ſe, ſed tanquam remouens prohibens, quatenus, ſcilicet fuit cauſa amiſſionis iuſtitiæ originalis. Et S. Anſel. de conceptu virginali, & peccato originali, cap. 5. dat exemplum de indomita fera, quæ ruptis vinculis diſcurrendo ſęuit, & naui quæ ſi gubernator dimiſſo gubernaculo eam dimiſerit, uentis, & motibus maris uagatur, & inuehitur in quælibet pericula: fera indomita multa damna vi ſua efficere poteſt, & nauis in mari, natura ſua, ventis, & undis uagatur, ſed uinculis, & anchora reti-

retinentur,& illa ſoluens, damnorum quæ ex fera, & ventis ſequuntur,eſt cauſa,non per ſe,ſed quia remouit prohibens; Quatenus tamen concupiſcentia eſt aliquo modo effectus peccati vocatur ab Apoſtolo peccatum,eo modo quo litera dicitur manus ſcribentis. Et ſi baptiſmus dicitur diminuere concupiſcentiam, & fomitem, non eſt, quia illum in ſe diminuat, nam baptizati eandem concupiſcentiam ſentiunt, quam & non baptizati, imo etiam multi maiorem, ratione complexionis, cum ſit naturalis, ſed dicitur diminuere quatenus dat gratiam ad ei reſiſtendum, & etiam quatenus reprimit vires dæmonum,nam licet concupiſcentia ſit naturalis, dæmonum tamen tentationibus etiam excitatur, & augetur, & quo magis augentur vires vnius inimici, eo magis dicuntur minui vires alterius,ex quibus patet, quod per baptiſmum fit plena peccati remiſſio quo ad culpam, & pœnam, etiam ſi modo non tollantur fomes,concupiſcentia, & pœnalitates, quæ tamen cum ſint aliquo modo effectus peccati, tollentur à iuſtis (vt diximus) uirtute baptiſmi in generali reſurrectione, in qua perficietur noſtra regeneratio.

Hos autem effectus non ſuſcipiunt illi, qui ſine debita diſpoſitione in peccato mortali,ad baptiſmum accedunt,verum ſi baptizari intendunt,recipiunt characterem, virtute cuius receden te fictione illos ſuſcipiunt, non quaſi opera noſtra mortua reuiuiſcant, ſed quia Baptiſmus in mortali ſuſceptus, eſt opus Dei, & non eſt omnino mortuum; ut eſt opus hominis, ipſa indigna ſuſceptio, non ſolum eſt opus mortuum, ſed mortiferum, at vt eſt opus Dei, cum reiterari non poſſit,noluit Deus eſſe omnino mortuum, ſed quod ratione characteris, quem imprimit, recedente fictione conferat gratiam,quod non eſt cõmune omnibus Sacramentis:Sotus putat hoc eſſe proprium Baptiſmi, ſed credo,quod omnibus, & ſolis Sacramentis imprimentibus charactere conueniat,ratione ipſius characteris,nõ quaſi ſit diſpoſitio ad gratiam, vt ob id in alijs Sacramẽtis ſit ponẽdus ornatus, tanquam diſpoſitio ad gratiam, ut diximus, cap. 5. ſed quia illa Sacramenta deputant homines ad aliquod miniſterium peragẽdum,uel ſuſcipiendum,& character eſt poteſtas,Deus autẽ ſuos miniſtros idoneos facit,non ſolum ut poſſint, ſed etiam, ut benè poſſint id ad quod deputantur, & propterea Sacramenta illa, ſi non conferunt gratiam quando recipiuntur, illam conferunt recedente fictione, ratione characteris, & miniſterij ad quod deputant.Nec ob id eſt opus, quod amiſſa gratia recepta

Tacitę difficultatis ſolutio.

Sot.4.ſ. d. 6.q.1.art. 8.

Quibus Sacramentis conueniat.

Solutio taciti argumenti.

buſdam factum,ſed ſecundum legem, quam in Euangelio habemus, *Niſi quis renatus fuerit, &c.* dicimus etiam, quod illi quos conſtat in utero ſanctificatos fuiſſe,ut Hieremias,& Ioannes Baptiſta,non propterea fuerunt ſanctificati,quia non potuit eis applicari Sacramentum,uel quia aliquibus uerbis, & ſignis fuit eis applicata fides,loco Sacramenti, uel propter meritum parẽtum, ſed propter diuinam prouidentiam, quia tales paruulos ad aliquod egregium commune bonum ordinauit.

Contra hanc Caietani ſententiam Sotus multa facit argumenta,& præcipua ſunt. Primum,quia aſſerere,quod ſit aliud ordinarium remedium diuinitus inſtitutum, eſt manifeſta hæreſis, cum Chriſtus tanquam certiſſimam legem dixerit, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritu ſancto,non poteſt introire in regnum cœlorum. Qui crediderit,& baptizatus fuerit ſaluus erit,qui vero non crediderit condemnabitur.* & ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis,& renouationis,* & ad Epheſ.5. *mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ.* In lege naturæ ſola fides ſufficiebat aliquo actu applicata paruulis,ſimiliter & in lege ſcripta pro fœminis, & etiam pro maſculis ante octauum diem, pro quibus poſt ſeptimum diem,erat Circuncifio, quæ omnia remedia applicandæ fidei per euangelicam legem ceſſarunt, & abolita ſunt, & eorum loco ſucceſſit baptiſmus,re,vel uoto ſuſceptus, ſine quo nullus ſaluus eſſe poteſt, iuxta Chriſti uerbum. ex quo contra Caietanum ſic arguitur,illa conſignatio, ſeu benedictio, uel commendatio pueri,quo modo prodeſt puero?uel quaſi applicatio fidei, inſtar Sacramenti, ſicut in lege naturæ, & hoc non,tum quia illa remedia applicandę fidei, iam ceſſarunt, & eorum loco eſt ſolus baptiſmus,tum etiam quia ponere hoc,tanquam regulare,& vniuerſale remedium,quod ſemper ſufficiat, eſt ponere quantũ ad effectum gratiæ,aliud genus Sacramenti; nec etiam poteſt aſſeri tanquam priuilegium Dei, quia nullibi habetur,ſed benè habetur lex in contrarium, *Niſi quis renatus fuerit,&c.* Vel illi prodeſt tanquam baptiſmus flaminis,& hoc non, nam baptiſmus flaminis non eſt niſi conuerſio hominis per fidem,charitate operãte,quæ quidem in paruulis eſſe nõ poteſt; Nec poteſt dici, quod parentum, ſeu offerentium oblatio, & oratio eis mereatur gratiam, nam nemo poteſt mereri alteri primam gratiam de congruo,niſi ipſe ſit in gratia,& licet ſit in gratia,non poteſt illam alteri mereri, niſi merendo illi bonum motum liberi arbitrij, qui tamen in paruulis eſſe non poteſt. Secundum argumentũ,quia nuſquam apud Auguſt.& Sanctos Patres, reperitur baptiſmi vi-

Sot.4.d.5. q.vni.ar.2 & 11.

ſtetur, quod ſi daretur caſus in quo non poſſet haberi aqua, Inſtantia.
puer ille Chriſtianorum, eſſet deterioris cōditionis pnero olim
hæbreorum, Reſpondetur, quod cum ſimus in tot, & tantis, me- Solutio.
lioris cōditionis, nō eſt inconueniens ſi in uno particulari, & po-
tius imaginario caſu, ſimus deterioris conditionis, & ſi daretur
etiam caſus, id non eſſet attribuendum deteriori conditioni,
ſed diuino iudicio, ſicut & de illo, qui moritur dum ad baptizan
dum fertur, dicit Aug. iudicia Dei abyſſus multa.

Secundum argumentum eſt pro pueris, qui in uentre moriun Secūdum
tur, quia rationabile eſt, quod diuina miſericordia prouiderit ho argumētū
mini in quolibet ſtatu de aliquo remedio ſalutis, ille autē ſtatus
puerorum in utero morientium, non habet aliud remediū, niſi il
lum modum applicandæ fidei, ergo illo modo ſaluantur. Reſpon Solutio.
det Sotus pueros in uentre nō facere ſtatū, quia nōdū prodierūt
in lucē, ſed ſunt materno ſuppoſito colligati, cuius nutrimento
aluntur, & propterea in nulla unquam lege pro illis fuit aliquod
remediū, nam in lege naturæ, & ſcripta, non poterat illis applica-
ri fides, remediū ergo, quod pro illis eſt, eſt pro tēpore quo pro-
deunt in lucem, & qui in uentre moriuntur, non poſſunt de Deo
cōqueri, quia illos nō occidit niſi per cauſas naturales, quas cur
ſum ſuū agere ſinit, & ſi dānantur, propter originale peccatū, me
ritò damnantur, & ſi prȩter cauſas naturales, quæratur quare ali
qui naſcantur, & alij non, reſpondetur ſicut & Apoſtolus de Ia-
cob, & Eſau. Arguit etiam Caietanus, quia ſi mulier prægnans
pro Chriſto occidatur infantulus in utero occiſus inter marti- Inſtantia.
res computabitur, ergo poterit etiam ei applicari fides, & uo-
tum parentum. Sed negatur conſequentia, quia in priori caſu Solutio.
non ſaluatur per mortem, uel actum matris, ſed per mortem
propriam, quia pro Chriſto occiditur, licet ad occiſionē matris.

De Sacramento Confirmationis.

Quid ſit Confirmatio, an balſamum ſit de eius eſſentia, & an poſſit ſimplici Sacerdoti, & non Sacerdoti illius adminiſtratio committi. Cap. XI.

Confirmatio eſt Sacramentum, quo baptizati, in fronte, Quid ſit.
ab Epiſcopo, ſancto chriſmate, ſub certa uerborum
forma, ad robur ſpiritualis vitæ conſignantur, cuius
forma eſt, Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te Forma.

chriſmate

Materia. chriſmate ſalutis. Materia (vt in forma denotatur) eſt Chriſma, ex oleo oliuarum, & balſamo confectum, & per Epiſcopum conſecratum, quo ſigno crucis baptizati, tanquam Chriſti milites ſignantur in fronte, ne timore, & uerecundia (quorum ſignum eſt in fronte) à libera Chriſti cõfeſſione retrahantur, ſed pro eo viriliter pugnent, qui eſt proprius huius Sacramenti effectus. Effectus.

Sed ut bene notat Caietanus, non eodem modo neceſſaria sũt oleum, & balſamum, nam oleum eſt neceſſarium neceſſitate Sacramenti, balſamum uerò neceſſitate pręcepti, ſed non neceſſitate Sacramenti, quemadmodum aqua in cõſecratione ſanguinis, nam cum balſamum in ſola Siria terra paganorum, & difficiliter inueniatur, adeò quòd mercatores, vt plurimum, nos decipiunt, vendentes non balſamum pro balſamo, non videtur, quod Deus voluerit materiam adeo arduam, eſſe materiam huius Sacramẽti, cum continuo etiam ſcrupulo, propter mercatorum fraudes. Et probatur ex cap. 1. Paſtoralis de Sacr. non iteran. vbi habetur, quod quidam per errorem fuit confirmatus oleo benedicto, ſine balſamo, & quæſitum eſt, an eſſet iterandum Sacramentum, & Innoc. tertius reſpondet nihil eſſe iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat omiſſum, ſi autem balſamum eſſet de eſſentia Sacramenti, reiteranda eſſet forma, & adhibendũ eſſet oleum. Nec obſtant uerba formæ, nam chriſmatis nomen, vt, inquit Iſidorus, lib. 6. etymo. ſignificat unctionem, quæ ſolo oleo effici poteſt. Balſamũ non eſt de eſſentia.

Cum Confirmatio ſit quaſi vltima conſummatio, & perfectio Baptiſmi, Spiritus Sancti plenitudinem pręſtans, eius miniſter eſt Epiſcopus, qui ſummã in Eccleſia poteſtatem obtinet; Papa tamen de plenitudine poteſtatis concedere poteſt ſimplici Sacerdoti, quod confirmet, pro vt conceſſit S. Greg. & habetur in c. peruenit, diſt. 95. Sed cum de hoc nulla eſſet Eccleſiæ determinatio, & Papa in his, quæ ſunt facti, & quæ facit, ut perſona particularis errare poſſit, non defuerunt qui dicerent Papam id non poſſe, & S. Gregorium erraſſe, moti hac præcipua ratione, quia ſi diuina ordinatione ſolus Epiſcopus eſt miniſter huius Sacramenti, Papa non poteſt illud committere ſimplici Sacerdoti: Si autẽ etiam ſimplex Sacerdos eſt miniſter, licet confirmando contra prohibitionem Papæ malè faciat, Sacramentum tamen tenebit. Sed dicimus cum Alex. S. Tho. Rich. Palud. Marſ. & Soto, Epiſcopum ita eſſe miniſtrum Confirmationis, quod etiam Simplex Sacerdos, de ſola Papæ commiſſione, hoc Sacramentum adminiſtrare poteſt, Et Concilium Floren. quod poſtea ſuperuenit, hoc innuit,

Miniſter eſt Epiſcopus. Papa poteſt committere ſimpliciSacerdoti. Argumentum in cõtrarium.

innuit, dum dicit, ordinarium miniſtrum eſſe Epiſcopum, & refert Apoſtolicam Sedem aliquando commiſiſſe adminiſtrationem huius Sacramenti ſimplici Sacerdoti. Et pro ſolutione eorum, quæ in contrarium obijciuntur, & huius veritatis elucidatione, notandum eſt, quod cum quatuor reperiantur in quolibet Sacramento, materia. ſ. forma, miniſter, & illud recipiens, materia, & forma tanquam partes intrinſicæ, & eſſentiales, à Chriſto in particulari, ita determinatæ fuerunt, ut nullo modo mutari poſſint, at miniſter, & recipiens, licet ad Sacramentorum integritatem pertineant, ſunt tamen extra eorum eſſentiam, & ſine ulla Sacramentorum mutatione, poteſt in aliquibus eorum, aliqua variatio ab Eccleſia fieri, dixi in aliquibus, quia tam miniſter, quam recipiens, in aliquibus Sacramentis, à Chriſto totaliter, & ſimpliciter determinantur, diuina enim ordinatione, ſolus Sacerdos conficere, abſoluere, & ungere poteſt, & ſolus etiam infirmus extremam unctionem ſuſcipere debet, ſolus maſculus poteſt ſuſcipere ordines, & ſoli baptizati poſſunt ſuſcipere alia Sacramenta, & in his non poteſt Papa aliquid innouare, cum ſimpliciter ſint de iure diuino; in aliquibus autem non determinantur à Deo ſimpliciter, ſed conditionaliter, ſuppoſita. ſ. ordinatione Eccleſiæ, vt in Matrimonio, & in minoribus ordinibus, in quibus poteſt Papa aliquam mutationem facere, facit enim perſonas habiles, & inhabiles ad contrahendum Matrimonium, & aliquando concedit Abbatibus, Presbyteris Cardinalibus, & ſimplicibus etiam Sacerdotibus, quod conferant minores ordines, & Sacramentum confirmationis adminiſtrent, qui ſi ſine expraeſſa Papæ conceſſione id attentauerint, Sacramentum non tenet, quia diuina ordinatione minorum ordinum, & Confirmationis ordinarius miniſter, eſt Epiſcopus, ſimplex autem Sacerdos, nõ niſi ex conceſſione Eccleſiæ, ſine qua nullo modo eſt eorum miniſter. Vnde ea, quæ ex officio ordinatione diuina conueniunt Epiſcopo, vt proprio eorum miniſtro, ſunt in duplici differentia, quędam ſimpliciter, & abſolutè ipſi ſoli conueniunt, vt alteri cõmitti non poſſint, ſicut conferre maiores ordines, quædam propriè, & ex officio ei conueniunt, niſi alteri à Papa concedantur, vt confirmare, & dare ordines minores, quæ ſimplici Sacerdoti, & ſoli Sacerdoti concedere poteſt, quorum ratio eſt, quia cum Epiſcopatus non addat aliquid ſupra Sacerdotium, per relationem ad Corpus Chriſti uerum, ſed ſolũ per relationem ad Corpus myſticum, Papa per hoc quod eſt Epiſcopus ſummus, non habet plenitudinem poteſtatis per relationem ad Corpus Chriſti uerum

Solutio argumenti.

Epiſcopis dupliciter aliqua ex officio cõueniunt.

ſti uerum,ſed ad myſticum, & propterea cum Sacri ordines habeant actum ſupra Corpus Chriſti uerum,uel eius materiã,Chriſtus ſimpliciter inſtituit maiorum ordinum miniſtrum eſſe Epiſcopum, vnde non poteſt Papa committere Sacerdoti nõ Epiſcopo,ut ad illos promoueat, Ordines autem minores nullum habent actum ſupra Corpus Chriſti uerum, ſed habent quoſdam actus ſecundarios, & preparatorios in ordine ad miniſtros quibus ſeruiunt,& in ordine ad eos,qui diuinis interſunt, & conſequenter reſpiciunt Corpus myſticum,quod etiam reſpicit Confirmatio,& propterea reſpectu eorum Papa habet plenitudinem poteſtatis,& licet eorum proprius miniſter ſit Epiſcopus,tamen poteſt committere ſimplici Sacerdoti,ut confirmet, & minores ordines conferat, nam Chriſtus ita inſtituit Epiſcopum eorum miniſtrum, ut ſuo etiam Vicario dederit facultatem concedendi ſimplici Sacerdoti eorum adminiſtrationem,quæ non conuenit Sacerdoti,eo quod Sacerdos eſt,ſed ex ſola Papæ conceſsione,ſine qua ſi illa adminiſtrare attentauerit, nihil efficit, & hoc diuina ordinatione.

Non poteſt committere non Sacerdoti.

Hanc facultatem,non poteſt dare Papa non Sacerdoti, etiam diacono, non defectu poteſtatis eius, ſed quia ipſi non habent perfectam poteſtatem ſuper Chriſti Corpus uerum,& propterea non ſunt capaces perfectæ poteſtatis, actionis cauſatiuæ gratiæ ſuper Corpus myſticum, ad quam pertinet confirmare, & ordinare,cum enim Sacramentalis gratia, deſcendat in Corpus Chriſti myſticum à capite omnis operatio in Corpus myſticum, per quam datur gratia,dependet à poteſtate Sacramẽtali,ſupra corpus Chriſti uerum,ſcilicet conſecrandi.

Obiectio cum ſolutione.

Nec obſtat, quod non Sacerdos poteſt baptizare, & ita conferre Sacramentum gratiæ, quia hoc eſt ex ordinatione Chriſti, propter baptiſmi neceſsitatem,ſicut etiam,& in matrimonio Dei ordinatione, nullus eſt deputatus certus miniſter, ita ut ſine illo contractio ſit nulla, ſed hoc reliquit ordinationi Eccleſiæ, cum ita ſit Sacramentum, ut ſit etiã contractus naturalis,non.n.habet Papa poteſtatem excellentiæ in Sacramentis, ut poſsit ad libitum miniſtros mutare.

De Sacramento extremæ Vnctionis.

Quid ſit extrema vnctio, quæ materia, quæ forma, quis miniſter, quibus ſit danda, & quibus in partibus ungendi ſint infirmi, & quoties.

Cap. XII.

VT prius nos expediamus ab illis Sacramētis de quibus pauca ſunt dicenda mutato ordine, nunc de Extrema vnctione agemus. Eſt autem extrema vnctio Sacramentum, quo infirmi in periculo mortis exiſtentes, à Sacerdote oleo Sancto, cum certa uerborum Chriſti forma unguntur, ut gratia, quæ eo datur, felicius ex hoc mundo demigrent, & corpora etiam, ſi ita expedit, ſanitati reſtituantur. Quare nõ ſeruetur ordo.

Materia eſt oleum oliuarum, ab Epiſcopo benedictum. forma eſt, Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, parcat tibi Deus, quicquid per uiſum, auditum, &c. deliquiſti: Eſt autem huius Sacramenti forma per modum deprecationis, non quaſi dubius ſit eius effectus, ſed quia infirmus eſt à ſe deſtitutus, & aliorum precatione eget, & tranſit ad aliud ſorum, cui per hoc Sacramentum commendatur. Miniſter eſt ſolus Sacerdos. Quare forma ſit deprecatiua.

Hoc Sacramentum dandum eſt ſolis infirmis, & ſænibus in periculo mortis exiſtentibus, & cum huius Sacramenti effectus ſit peccatorum remiſſio, & Sanitas, non eſt dandum pueris, nec perpetuo amentibus, quia ſine ullo peccato ſunt, nec etiam impœnitentibus, quia ſunt incapaces ueniæ, nec damnatis ad mortē, quia non moriuntur ex infirmitate, at ſi eſſent infirmi ad mortē ex ea morituri, poſſet eis dari Sacramētum cum eis etiam detur Euchariſtiæ Sacramentum: Nec etiam eſt dandum ingredientibus bellum, vel mare, quia non ſunt in periculo mortis ex infirmitate. Baptizatis in articulo mortis, ut dicunt Palud. S. Ant. & alij dandum eſt, quia licet per baptiſmum ſit remiſſa omnis culpa, & pœna, remanet tamen pugna contra hoſtem, nec eſt mendacium in forma, quia & ſi poſt baptiſmum non deliquerint, remāſit tamen in eis debiliras mentis, quæ non tollitur omnino per baptiſmum, deleta omni culpa, & pœna. Amentibus autem, qui habent lucida interualla, ſi fuerint bonæ vitæ, dari debet, dummodo nullum adſit huius Sacramenti, ob eorum inſaniam irre- Quibus non ſit dā dum.

uerentiæ periculum.

Quod ſit dandum vulneratis & ſubmerſis ſtatim morituris

Sed dubium eſt an ſit dandum ita vulneratis, uel ſubmerſis, vt ob eam cauſam ſtatim, uel paulo poſt moriantur, quod dubiũ communiter non mouetur à Doctoribus, & licet Bartholomeus ab Angelo, in examine confeſſariorum ſequutus ſententiam Nicolai de Ploue, teneat, quod non ſit illis dandum, & hanc ſententiam tribuat Petro de Palu. S. Ant. Ric. Soto Ang. Tab. Arm. Nau. & alijs, nullus tamen iſtorum loquitur de vulneratis, & ſubmerſis, ſed de ſanis euntibus ad bellum, ingrediẽtibus mare, & decapitandis; qui ſunt in periculo mortis, ſed non ex infirmate, quibus certum eſt non eſſe dandum, ſed nos loquimur de vulneratis, & ſubmerſis, ſtatim morituris de quibus Doctores non loquuntur. Sed hoc dubium mouit Niccolaus de Ploue in ſuo tractatu Sacerdotali, & reſpondet ex ſententia etiam Doctorum ſui temporis Vniuerſitatis, in qua erat, non eſſe dãdum, quia nõ ſunt infirmi, nec ex defectu naturæ, ſed ex euentu fortunę moriuntur, & hoc eſt Sacramentum infirmorum, ſubiungit tamen quod ſi ex vulneribus inflictis, in infirmitatem inciderint, ex qua eſſet periculum mortis, dandum illis erit. Et nos in noſtro, manuali, cum de hoc alij Doctores nihil decernẽt, & uideãtur loqui de infirmitate naturali, iuxta horum ſententiam locuti ſumus, & noluimus propriam incontrarium ſententiam ſcribere, quod utinam feciſſemus. Modò igitur dicimus, hoc Sacramentum illis dandum eſſe, nam vulnerati, & ſubmerſi, qui ex flumine extrahuntur, paulo poſt morituri, licet moriantur ex euentu fortunæ, nihilominus ſunt verè infirmi, & ex illo accidenti, alteratur humorum temperies, ex qua alteratione conſequitur mors, & ſemper mortem præcedit febris, ſi non diuturna ſaltem ferè momentanea, ut in ſubitanea morte, nam febris nihil aliud eſt, niſi alteratio debitæ humorum proportionis. Et confirmatur ex Ric. 4. ſ. d. 23. qui dicit, quod hoc Sacramentum conferri non debet niſi conſtitutis in periculo mortis, proueniente ex receſſu à debita proportione humorum, qui eſt infirmitas, uel infirmitatis proxima cauſa, uel ex conſumptione radicalis humidi, & caloris naturalis defectu, quis autem negabit in vulneratis, & ex flumine extractis, ſtatim morituris eſſe receſſum à debita proportione humorum? Et peto ab illis an iſti ſint ſani? certè non dicent eſſe ſanos, ſed infirmos, & ad mortem, qua ergo ratione eis denegabitur hoc Sacramentum? Et cum iſti poſſint eſſe ſolum attriti, & conſequenter virtute Sacramenti ſaluari, alienum à Chriſtiana pietate videtur eis denegare Sacramẽtum extremæ

Vn-

Vnctionis, præſertim, quia, ut plurimum confiteri, & Sacratiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere non poſſunt, quibus Chriſtus hoc Sacramento ſubuenit.

Vnguntur autem infirmi in oculis, in auribus, in naribus, ore, manibus, pedibus, & renibus quia in his ſunt radices ſpiritualis morbi, mulieribus tamen propter honeſtatem non unguntur renes, cæcis autem, & mutilatis vnguntur loca proxima illis, quæ deſunt. Quæ partes ungendæ.

In eodem autem mortis periculo non eſt reiteranda extrema vnctio, licet ſit iterabilis in diuerſis infirmationibus, & etiam in eadem ſi poſt mortis periculum infirmus conualuerit, & iterum poſtea in mortis periculum inciderit. Quoties dandum.

De Sacramento Ordinis.

Quid, & quotuplex ſit Ordo, An prima tonſura, & Epiſcopatus ſint Ordines, quæ ſit materia, & forma cuiuſque Ordinis, & quis ſit eorum miniſter, quod etiam ſit cuiuſque Ordinis officium, & qui ſint Ordinandi.

Cap. XIII.

ORdo eſt ſignaculum, ſiue ſignum quoddam, per quod ſpiritualis poteſtas traditur ordinato, & eſt uerè, & propriè Sacramentum, conferens gratiam. Sunt autem ſeptem ordines, ſiue ordinis gradus, quorum quatuor ſunt minores, ſ. Oſtiarius, Lector, Exorciſta, & Acolythus, & tres maiores. ſ. Subdiaconus, Diaconus, & Sacerdos, non tamen ſunt plura Sacramenta, licet eorum ſint diuerſæ materiæ, & formę, & quilibet ordo det gratiam, & Characterem imprimat: ſed eſt unum Sacramentum, quia omnes ordinantur ad vnum. ſ. Euchariſtiæ Sacramentum, quod eſt Sacramentorum Sacramẽtum, & penès relationem, & ordinem ad Euchariſtiam, ſumitur diſtinctio ordinum. nam poteſtas ordinis, vel eſt conſecratiua Euchariſtiæ, & ſic eſt ordo Sacerdotum, uel eſt ordinata ad aliquod eius miniſterium, hoc autem miniſterium, uel eſt ad ipsã Euchariſtiam, uel eſt ad illam ſuſcipientes. ſi eſt ad ipſam, ſunt tres miniſtrorum ordines, qui cooperantur Sacerdotibus, quidam enim Euchariſtiam à Sacerdote conſecratam diſpenſant, qui ſunt Diaconi; quidam nimirum ſubdiaconi, Euchariſtiæ materiam

Quid ſit.

Quotuplex.

Ratio diſtinctionis

teriam in vaſis ſacris præparant, alij vero preſentant materiam Sacramenti, qui dicuntur Acolythi, Miniſterium verò in ordine ad preparationem recipientium, non poteſt eſſe, niſi ſuper immundos, qui enim ſunt mundi, ſunt ad percipienda Sacramenta idonei. Triplex autem eſt immundorum genus, quidam enim ſunt omnino infideles, nolentes credere, qui à Sacramentorum viſione, & cætu fidelium ſunt penitus arcẽdi, & hoc ad Oſtiarios pertinet: quidam ſunt, qui credere uolunt, ſed non dum ſunt inſtructi, ut cathecumini, ad quorum inſtructionem eſt ordo Lectorum: alij tandem ſunt fideles, & inſtructi, ſed habent impedimentum ex poteſtate diaboli, vt Energumeni, & ad hoc miniſterium eſt ordo Exorciſtarum. Quamuis autem quilibet ordo ſit ſacer, cum ſit Sacramentum, nihilominus diuiduntur in ſacros, & non ſacros ratione materię, circa quam operantur, & ſic tres sũt ordines ſacri. ſ. Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus, quia ſuos actus habent circa corpus, & ſanguinem cõſecratum, vel circa uaſa ſacra, ob quam cauſam eis continentia indicitur, & ut quotidie recitent horas canonicas, imponitur.

De prima tonſura, & Epiſcopatu.

Prima autem tõſura nõ eſt ordo, ſed diſpoſitio, & præambulũ ad ordines: ea enim homines ad diuinum cultum deputantur, vt diuinis laudibus vacent, qui etiã clerici dicuntur, & licet ſint in altiori ſtatu, quã laici, non tamẽ habent altioris poteſtatis gradum. Quoad Epiſcopatum autem pertinet, notandum eſt, quod ordo dupliciter accipitur: primò, ut eſt Sacramentum, & ſic epiſcopatus non eſt ordo diſtinctus à Sacerdotio, ſic enim omnes ordines ad Euchariſtię Sacramentum ordinantur, reſpectu cuius Epiſcopus non habet aliam poteſtatem, quam illam Sacerdotis, accipitur ſecundo, ut eſt quoddam officium reſpectu quarundam actionum Sacrarum, & ſic cum Epiſcopus habeat poteſtatẽ in omnibus actibus hierarchicis reſpectu corporis myſtici, quã non habet Sacerdos, Epiſcopatus erit ordo, quia ordo eſt diſparitas gradus in ſpiritualibus diſpenſandis.

Materia.

Materia, ut inquit Conc. Flor. eſt illud per cuius traditionem confertur ordo, ſicut præsbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem, Diaconatus, per libri Euãgeliorum dationem, Subdiaconatus per calicis uacui, cum patena vacua ſuperpoſita, traditionem, & ſimiliter de alijs per rerum adminiſteria ſua pertinentium aſſignationem.

Forma.

Forma ſunt illa verba, quæ in traditione inſtrumentorum dicuntur, ut Forma Sacerdotij eſt, Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia pro viuis, & mortuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & ſic

& ſic de aliorum ordinum formis, pro ut in pontificali latè continetur. Miniſter huius Sacramenti eſt Epiſcopus, ſed Papa poteſt concedere ſimplici Sacerdoti, quod conferat ordines minores, vt diximus in cap. 11. de Confirmatione. Miniſter

Vniuſcuiuſque ordinis officium eſt. Primo Oſtiarij introducere fideles in Eccleſiam, & prohibere infideles, & etiam excommunicatos ab Eccleſia, & ob id ei dantur Claues Eccleſiæ, ut poſſit Oſtia claudere, & aperire, ad eum etiam ſecundario pertinet ſigna aperitionis facere, ut pulſare campanas, & etiam cuſtodire, ne aliquid extra Eccleſiam aſportetur. Officium lectoris eſt legere in Eccleſia uetus, & nouum teſtamentum, & quæ in lectionario ſcripta ſunt. Officium exorciſtæ eſt exorcizare, ſiue adiurare ſpiritus immundos ſuper fideles ab ipſis impeditos. Officium Acolithi eſt ponere uinum, & aquam in urceolis, tam pro Euchariſtia, quam etiam pro ablutione manuum, & præparare, & accendere luminaria, & illa deferre, & præſertim cum dicitur Euangelium, & offertur Sacrificium. Officium ſubdiaconi eſt præparare materiam Sacramenti in Sanctis uaſis, uinum miniſtrare celebranti, lauare corporalia, Epiſtolam legere, & quantum ſufficit de oblationibus conſecrandis ſuper altare ponere. Officium diaconi eſt Epiſcopis, & præsbyteris miniſtrare in Euchariſtiæ Sacramento, corporales eſtendere, Sacramentum in uaſis ſacris portare, ſed non poteſt tangere; in neceſſitate tamen poteſt, abſente Sacerdote, infirmos communicare: ad eum etiam pertinet Euangelium legere, prædicare, ordinandos, & baptizandos offerre, & pauperum curam gerere. Officium Sacerdotis eſt Chriſti corpus, & Sanguinem conficere, & ſi eſt curatus, alia Sacramenta diſpenſare, quæ ſunt diſpoſitiones ad ſuſceptionem Corporis CHRISTI ſicut baptizare, abſoluere, matrimonio ſponſum, & ſponſam coniungere, & etiam infirmos vngere, & alia facere, quæ ſunt ex parte totius Eccleſiæ, in cuius perſona facit, ut orationes dicere, & benedicere: eius etiam eſt prędicare, & plebem ſuam doctrina, & exemplo inſtruere. Officium Epiſcopi eſt confirmare, clericos ordinare, & ordines conferre, prædicare, virgines benedicere, baſilicas dicare, ordinatos deponere, ſynodum celebrare, chriſma conficere, ueſtes, & uaſa ſacra conſecrare. Cuiuſque officium.

Vt aliquis ordinetur requiruntur in eo debitus ſexus: nam mulier ordinari non poteſt, nec etiam hermofroditus, uel mon- Qui ordinandi.

R ſtruo-

ſtruoſus ordinari debet. Aetas legitima, ad primam tonſuram, & tres primos ordines minores eſt annus ſeptimus: ad Acolytatum duodecimus; ad ſubdiaconatum uigeſimus ſecundus; ad diaconatum uigeſimus tertius; & ad Sacerdotium vigeſimus quintus, & ſufficit attigiſſe. Morum honeſtas, quia infames, irregulares, ſuſpenſi, interdicti, & excommunicati, & in his ſimilibus implicati, ordinari non debent; & bonarum literarum inſtructio; ut probati, ac examinati idonei reperiantur, & comprobentur.

An Papa poſsit ſolo verbo ordinare dicendo eſto Sacerdos. Cap. XIIII.

Ang. l. ij. C. crim. ſacril. Felin. de conſt. c. p. ver. fallit.

OCcurrit hoc loco dubium. An Papa poſſit ſolo uerbo facere Sacerdotem, dicendo, Eſto Sacerdos. Aliqui Canoniſtæ, ut Angel. de Peruſio, Fel. Dec. & Rebuf. dicunt eum poſſe, & quod maius eſt inter Theologos Franc. à Vict. tenet, quod etiam Epiſcopus ſolis verbis conſecret Sacerdotes, & alios miniſtros, nam niſi dicit non eſſe neceſſarium de iure diuino, quod tradatur calix presbytero, quia in ſcriptura non habetur, quod fiebat per manuũ impoſitionem. 1. ad Tim. 4. & 5. & impoſitio manuum non requiritur, cap. presbyter de ſacr. non inter. & propterea concludit, quod Epiſcopus forſam ſolis verbis conſecrat Sacerdotes, & alios miniſtros; ſed quia uidet communem ſententiam in contrarium, non id certò affirmat. Sed contra Franc. à Vict. indubitatè tenendum est cum communi, in hoc Sacramento materiam requiri de iure diuino, & conſecrationem Miniſtrorum non fieri ſolis verbis, ſed eſſentialiter requiri etiam materiam. Dubium autem, quod est inter Theologos, & Canoniſtas, eſt ſolum de Papa, an ſit ita alligatus materię huius Sacramenti, quod non poſſit de plenitudine poteſtatis ſolo verbo conferre ordines, Theologi contra Canoniſtas dicerent eum non poſſe, quia in illa ordinatione nulla eſſet materia, quæ tamen eſſentialiter requiritur in omnibus Sacramentis ex diuina inſtitutione, ut etiam determinatum eſt in Conc. Flor. Et auctoritas Papæ non eſt ſupra ius diuinum, & ſicut non poteſt facere Sacramentum, quia nec conferre rem Sacramenti, ita etiam non poteſt mutare materias, & formas Sacramentorum. Ego quidem, ut Theologus ita Theologorum ſententiam ſequor,

Dec. ibid. lect. 1. n. 50 Rebuf. in praxi beneſ. tit. de cler. ad Sacr. Ord. male promo. gl. 1. nu. 11. Hier. Gig. de penſio. q. 8. Frãc. Vict. de Sacr. Ord. q. 5.

quor, vt contrariam non damnem, & non erit inutile conſiderare rationes quibus fortè Canoniſtæ mouentur, quas etiam ſoluam, nam id obiter, & ſine probatione dicunt, loquentes de plenitudine poteſtatis Papæ, & duas ego adducam rationes, quarum prima ſumitur ex modo cognoſcendi auctoritatem Papæ. Palud. hanc regulam aſſignat, ſuppoſito, quod Eccleſia non errat; in his, quibus Eccleſia diſpenſatiuè utitur, tenendum eſt à Chriſto vltimatam determinationem, Eccleſiæ eſſe commiſſam, in quibus verò non dum attentauit tenendum eſt à Chriſto determinationem eſſe factam. Si Papa ſolo verbo aliquando creauit Sacerdotem, erit noua ratio iuxta hanc regulam Paludani, ſed quia neſcio an hoc unquam factum fuerit, non hic ſiſto, ſed dico illam Paludani regulam non eſſe ſufficientem. nam Papa poteſt etiam ea, quæ non dum attentauit, quia Eccleſia ſemper magis illuſtratur. Et poteſtas Papæ hinc deducitur, quia Chriſtus non deeſt Eccleſiæ ſuæ, ſed pro animarum ſalute omnibus prouidit per ſuum Vicarium; cui dedit plenam poteſtatem in eius corpus Myſticum in edificationem. At niſi Papa haberet hanc poteſtatem, Chriſtus non ſufficienter prouidiſſet Eccleſiæ ſuæ, quod nullo modo dicendum eſt; & ſequelam probo, quia poteſt dari caſus, & fingamus dari, ſicut audiui datum eſſe, quod filius alicuius nobilis ſit domi à leuatrice baptizatus aqua roſacea, & poſtea factus Epiſcopus, ſit miſſus à Papa in diuerſas mundi partes, in quibus, & Romę, ubi ex vniuerſo mundo confluunt homines, innumeros ordinauerit, & eo mortuo illa, quæ eum baptizauit dolens de eius morte, narret quomodo illum baptizauit, non comune aqua, ſed tanquam nobilem aqua roſacea, & conſequenter non fuit baptizatus, nec ordinatus, & ordines ab eo dati non tenuerunt. Scire, qui nam fuerint ab ipſo ordinati eſt humanitus impoſsibile; quod factum eſt, quin factum fuerit, fieri non poteſt, prouidendum eſt in futurum, nam illi omnes Sacerdotes, qui ab eo ordinati fuerunt, non ſunt Sacerdotes, & conſequenter non conficiunt, nec abſoluunt, nec vngunt, & quam plurimi, qui ad hæc Sacramenta accedunt, ſunt ſolum attriti, & ſic morientes damnantur, ex eo ſolum, quod illa Sacramenta non tenent, defectu miniſtrorum, cum in rei veritate non ſint Sacerdotes; res defertur ad Papam, qui facti veritatem inquirit, examinatur mulier, quæ illum baptizauit,

Rationes pro parte affirmatiua.

Palud. 4. ſ. d. 7. q. 4. ar. 3. ad 2.

Quantum ſe extēdat auctoritas Papę.

examinantur omnes, qui aderant, qui multi erant, & nobiles, & omnes deponunt, quod communi illorum conſilio baptizatus fuit aqua roſacea, quia credebant eum baptizari poſſe; res certe eſt ſummi momenti, nam ferè certa eſt multorum damnatio, qui aliàs eſſent ſalui, qui ſcilicet cum ſola attritione, Sacramentis illis ſuſceptis, moriuntur; dicere, quod Deus ſupplet, & dat gratiam ac ſi Sacramenta illa tenerent, cum eius uirtus non ſit alligata Sacramentis, non ſoluit difficultatem, nam periculum eſt certiſſimum, quid Deus faciat neſcimus, nullam de hoc nobis certitudinem dedit, & ſicut periculum eſt euidens, ita etiam debuit prouidere de oportuno rimedio, nullum autem aliud remedium eſt, niſi, quod iſto caſu Papa illos omnes ſolo uerbo conſtituere poſſit Sacerdotes, dicendo ſint Sacerdotes, quæ ratio probat, quod non ſolum præſentes, ſed etiam abſentes ordinare poterit. Ad quod reſpondetur, quod cum Deus habeat ſummam prouidentiam de Eccleſia, nunquam hunc caſum permitteret, quod ſcilicet non baptizatus fiat Epiſcopus, nam licet caſus ſit poſsibilis ſimpliciter loquendo, non eſt tamen poſſibilis, ſuppoſita diuina prouidentia propter dicta inconuenientia, quę inde ſequerentur.

Solutio.

Secunda ratio.

Secunda ratio ſumitur ex forma huius Sacramenti, quæ eſt per modum communicationis, & imperij. Accipe poteſtatem, &c. Vbi notandum eſt, quod cum hoc Sacramentum præcipuè conſiſtat in poteſtate conceſſa, & poteſtas imperfecta à poteſtate perfecta cauſetur, iſti omnes ordines, non tantum à Deo, ſed etiam ab Epiſcopali poteſtate, quodammodo deriuantur, in alijs autem Sacramentis id quod confertur eſt ſolum à Deo, & non à miniſtris, ob quam cauſam Sacramentum ordinis alio modo habet materiam, & formam, quam alia Sacramenta, aliorum enim Sacramentorum materia, uerbo uitæ ſanctificata, uirtutem diuinam continet, & ſignificat, & in ea potius eſt uirtus cauſatiua effectus Sacramenti, quam in miniſtro, at in Sacramento ordinis virtus non eſt in materia, quæ adiungitur, ſed in miniſtro, qui ſuam ſpiritualem poteſtatem traducit, & confert, & materia potius pertinet ad determinandam poteſtatem, quæ particulariter ordinato traditur, ab habente eam complete, quam ad poteſtatem cauſandam, & ob id materia huius Sacramenti non ſanctificatur ſicut alio-

rum

rum materia, non enim candelabrum, & claues ſanctificantur, antequam porrigantur, & forma eſt per modum imperij dum dicitur Accipe, uel age hoc uel illud : Cum ergo uirtus huius Sacramenti ſit in miniſtro communicante ſuam poteſtatem, ut patet ex forma, & materia potius pertineat ad determinandam, & ſignificandam poteſtatem, quæ particulariter traditur, quam ad eam cauſandam, non uidetur repugnare huic Sacramento, nec omnino eſſe alienum ab eius ratione, ſi ſolo uerbo Papa illud conferat, dicendo Eſto Sscerdos, uel trado tibi poteſtatem conſecrandi, & abſoluendi, quia his uerbis ſignificatur tota uirtus huius Sacramenti, quæ eſt in miniſtro, ſuam poteſtatem communicante, non ſic eſt de alijs Sacramentis, quia eorum uirtus non eſt in miniſtro, ſed in materia, & forma. Ad hoc argumentum reſpondetur, quod materia non ſolum pertinet in hoc Sacramento ad determinandam poteſtatem, ſed etiam eſſentialiter requiritur ſicut, & in alijs Sacramentis, unde illa omiſſa cum deſit pars eſſentialis, non confertur Sacramentum. *Solutio.*

Sed ut ſatisfaciamus etiam Canoniſtis, quorum auctoritas eſt magna, & præſertim cum agatur de poteſtate Papæ pro qua in dubijs ſemper eſt præſumendum, adducemus etiam ſolutionem, quæ poſſet dari argumento Theologorum. Ad argumentum igitur in contrarium reſpondetur, quod CHRISTI inſtitutione hoc Sacramentum habet materiam, & formam, ſicut, & reliqua omnia, & illas Papa mutare non poteſt, cum ſint à CHRISTO Domino determinatæ : tamen ubi propter bonum Eccleſię, neceſſarium eſt aliquam mutationem facere, Papa illam facere poteſt, non quaſi mutando ea, quæ à CHRISTO ſunt ordinata, ſed quia CHRISTVS, qui Eccleſiæ ſuæ nunquam deeſt, in eo caſu hanc poteſtatem ei dedit, ut uidemus in Sacramento Matrimonij ; nam ſiue dicatur, quod materia ſint perſonæ contrahentes, & forma ſint uerba, ſiue, quod uerba prioris conſentientis ſint materia, & poſterioris forma, Papa poteſt perſonas ad contrahendum inhabiles reddere, & eorum conſenſum uanum efficere, & inhabiles factas, ad contrahendum habilitare. licet ergo Papa non habeat poteſtatem ſuper partes eſſentiales Sacramentorum, tanquam de iure diuino, illā tamen habet ex Chriſti conceſſione, ubi eſt neceſſarium pro bono Eccleſiæ, vt in Matrimonio, & in Sacramento Ordinis. *Solutio argumenti pro parte negatiua.*

Et ſi dicatur non eſſe eandem vtriuſque Sacramenti rationem, nam in Matrimonio ſemper eſt materia,& forma, in ordine autē ſic à Papa collato, eſt forma ſine materia. Reſpondetur, quod ex exemplo Matrimonij ſaltem habetur, quod Papa in aliquibus caſibus habet à Chriſto poteſtatem, ſuper ea, quæ Chriſtus inſtituit, iuxta neceſſitatem Eccleſiæ; quod autem poteſtas Papæ ſuper Sacramento Ordinis, ſit, vt illud ſine materia cum opus fuerit adminiſtret, habetur, quia ſic aliquando eſt neceſſarium pro animarum ſalute, ut ſi occurreret caſus prędictus,& etiam quia, vt ex forma patet, effectus huius Sacramenti, dependet ex miniſtro communicante ſuam poteſtatem, ad quod ſufficiūt ſola verba, vt patet in alijs commiſſionibus iuriſdictionis. Nec ob id ſequitur, quod materia huius Sacramēti nō ſit neceſſaria, & quod Epiſcopi poſſent etiam ſolo verbo ordinare, nam eius materia eſt neceſſaria non ſolum neceſſitate præcepti, ſed etiam neceſſitate Sacramenti, ut à Chriſto inſtituta, non tamen ſimpliciter, & abſolute reſpectu eius Vicarij, quem noluit ita aſtringere ad illā materiam, ſicut alios Epiſcopos, qui ſi materiam non adhiberēt, nihil efficerent. Hæc diſputatiuè pro Theologorum,& Canoniſtarum ſententia dicta ſufficiant, quid autem tenendum ſit Sācte Romanæ Eccleſiæ ſit iudicium, interim communiorem ſequendam puto, quæ eſt illa Theologorum, nec propterea eſt omnino damnanda alia, propter tantorum virorum auctoritatem, & rationes adductas, quarum ſolutiones non plenè ſatisfaciunt.

De Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento.

Quid ſit Euchariſtia, quæ ſit eius materia, & forma, & in quo conſiſtat differentia inter Eccleſiam Latinam, & Græcam quoad azymum, & fermentatum.
Cap. XV.

Quid ſit. EVchariſtia eſt præcipuum Eccleſiæ Sacramentum, ad ſpirituale animæ nutrimentum inſtitutum, quod ſub ſpeciebus panis,& uini uerè, & realiter continet Chriſti corpus & ſanguinem,& in ipſa conſecratione materiæ perficitur, reliqua verò perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem ſanctificandum, nam Sacramentum dicitur, quia cōtinet aliquid ſacrum. Euchariſtia autem continet aliquid Sacrum abſolute. ſ.

ipſum

ipſum Chriſtum, alia uerò Sacramenta continent aliqua ſacra in ordine ad aliud, virtute.ſ.ſanctificandi. Eius materia eſt panis triticeus,& uinum de vite, quibus maximè repræſentatur quod ſignificat,& efficit;eſt enim Sacramētum ſpiritualis refectionis, & unionis,& nos pane,& uino nutrimur, quæ etiā ex multis granis,& vuis conficiuntur. Aqua quæ miſcetur uino,non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſed de neceſſitate præcepti, vt ſignificetur populus gētilis Chriſto adunatus,& quia ex Chriſti latere aqua cum ſanguine,ad idem ſignificandum, profluxit: & aqua debet apponi in parua quantitate,ut ante conſecrationem conuerſa ſit in vinum,aliàs enim ſolum vinum conuerteretur in ſanguinem, & non aqua,quæ vi ſpecierum conuerteretur in uinum,ſed non in ſanguinem,ſicut nec aqua poſt conſecrationem appoſita, nam tranſubſtantiatio fit ſolum vi uerborum conſecrationis. Forma Corporis eſt. Hoc eſt corpus meum. Illud [enim] non eſt de eſſentia,ſed ponitur propter continuationem ex Apoſtolica traditione; Forma eſſentialis ſanguinis, eſt, Hic eſt calix ſanguinis mei,reliqua uerba noui, & ęterni,&c. vſque ad illa uerba. Hæc quotieſcumque &c.pertinent ad integritatem formæ quibus mirabiles ſanguinis Chriſti effectus declarantur. nam Eccleſia Græca,vt dicunt Dur.Caiet.& Sot.non ponit omnia prædicta uerba. ſed dicit; Hic eſt ſanguis meus, qui pro uobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Et ad formam corporis addit,quod pro uobis frāgitur in remiſſionem peccatorum,quæ uerba Eccleſia latina omittit; Cum ergo verba Sacramentorum efficiant id,quod ſignificant, &: tranſubſtantiatio illis ſolis uerbis ſignificetur,illa ſola ſunt de eſſentia.

Materia. De aqua. Forma.

Sed ad materiam reuertentes,illa eſt panis,& vinum, ut diximus,)cuiuſcunque qualitatis ſint,dummodo non mutetur eorū ſubſtantia,& quo ad qualitatem panis; Eccleſia Latina conſecrat in azymo ad Chriſti imitationem, quia prima die azymorū hoc Sacramentum inſtituit. Matt.26. Marc.14. Luc.22. qua die nihil fermentatum in domibus Iudæorum eſſe debebat; & quia azymo pane magis ſignificatur Corpus Chriſti, quod ſine commixtione,& corruptione conceptum eſt, & fidelium ſinceritas, & integritas,quæ ad huius Sacramenti vſum requiritur,vt in azymis ſinceritatis,& ueritatis epulemur, at Eccleſia Græca conſecrat in fermentato,quia Verbum Patris indutum eſt carne, ſicut fermentum miſcetur farinæ, & in deteſtationem hæreſis Nazaræorum,qui legalia Euangelio miſcebant, & Græci non peccant conficientes infermentato,imo in eo conficere debent, iuxta ri-

Differentia de azymo,& fermentato inter Eccleſiam latinam, & grȩcam.

tum illius Eccleſiæ, ſed peccant, & ſunt ſchiſmatici, & hæretici in hoc, quod dicunt nos conſecrantes in azymo nihil conficere, hac falſa ratione moti, quia Chriſtus in fermentato conſecrauit dicente Ioanne, quod ante diem feſtum paſchæ cænauit cum diſcipulis, in qua cæna hoc Sacramentum inſtituit, ante paſca autem iudęi ueſcebantur fermentato, & quia cæteri Euangeliſtæ aſſerunt, quod prima die azimorum cum illis cœnauit, & Sacramentum inſtituit dicunt eos erraſſe, & à Ioanne, qui poſterior ſcripſit correctos fuiſſe. Sed cum certum ſit nullum in Sacra ſcriptura reperiri poſſe mendacium, dicimus, Chriſtum prima die azymorum hoc Sacramentum inſtituiſſe, vt dicunt tres Euangeliſtæ, a quibus minimè diſſentit Ioannes, nam Iudæorum feſtiuitates à ueſpera in ueſperam computabantur, & de feſtiuitate agni paſchalis, dicitur Leuit. 23. *Menſe primo quartadecima die, ad veſperam, paſcha Domini eſt, & quintadecima die menſis huius ſolemnitas azymorum eſt, ſeptem diebus azyma comedetis, dies primus erit uobis celeberrimus, ſanctuſque*, Qui dies ratione huius ſolemnitatis dicitur paſchalis, & eo die, dicit Ioannes, quod Iudæi non intrauerunt Prætorium Pilati, ut non contaminarentur, ſed manducarent Paſcha, non quidem agnum paſchalem, quia illum nocte præterita, qua CHRISTVS cum diſcipulis ſuis cœnauit, Iudæi etiam comederunt, ſed azymos panes, quos hominibus immundis comedere non licebat, cum ergo hic primus dies celeberrimus à veſpera diei præcedentis initium ſumeret, & ad illius pręcedentis diei veſperam agnus paſchalis comedendus eſſet, cum azymo pane, facilè intelligitur nullam eſſe inter Euangeliſtas contradictionem, ſed omnes idem prorſus dicere, diuerſa ratione, nam cum Chriſtus decima quarta die, ad veſperam cœnauerit cum ſuis diſcipulis, & hoc Sacramentum inſtituerit, uerum eſt, quod prima die azymorum id fecit, nam ſolemnitas primi diei, quæ eſt die decima quinta, incipit ad ueſperam decimi quarti, quæ hora, & ſi ratione ſolemnitatis pertineat ad ſequentem primum diem, & ob id meritò cœna illa dicatur facta prima die, ratione tamen ſolis ſuo motu conficientis diem naturalem, pertinet ad decimam quartam diem, & non ad decimam quintam, quæ, ut naturalis eſt, ab oriente ſole inchoatur, ob quam cauſam Ioannes loquendo de die naturali dicit ante diem feſtum paſchæ, Chriſtum cum ſuis diſcipulis cænaſſe.

Euangeliſtarum cõcordia.

Quid

Quid contineatur poſt conſecrationem ſub illis ſpeciebus, & quomodo fiat iſta tranſubſtantiatio. *Ca, XVI.*

CVM Sacramentorum uerba efficiant id, quod ſignificant, neceſſariò dicendum eſt poſt conſecrationem ſub illis ſpeciebus non eſſe amplius panis, & uini ſubſtantiam, ſed uerum Chriſti corpus, & Sanguinem; nam uerba. *Hoc eſt corpus meum*, eſſent falſa, non ſolum ſi ibi non eſſet eius corpus, ſed etiam ſi cum eo eſſet alia ſubſtantia, nam illa panis ſubſtantia ſi ibi eſt, non demonſtratur pro nomine [Hoc] & potius dicendum fuiſſet hic eſt corpus meum. Subſtantiæ ergo panis, & vini, ſecundum ſe totas, & quaſlibet earum partes, ui conſecrationis deſinunt eſſe, & in CHRISTI corpus, & ſanguinem conuertuntur: quæ conuerſio dicitur tranſubſtantiatio. Quid contineatur.

Quomodo autem fiat iſta tranſubſtantiatio, non eodem modo ab omnibus explicatur. Caietanus aſſignat modum quendam difficilem intellectu, dicens id, quod erat panis, poſt conſecrationem, eſſe Corpus CHRISTI; non uaga, & accommoda ſuppoſitione, ut exponatur contentum ſub ſpeciebus panis, erat panis, cui ſub eiſdem ſpeciebus ſucceſſit Corpus CHRISTI, ſed determinatè, ita ut ipſiſſima res, quæ erat panis, ſit Corpus CHRISTI, unde per ſimplicem huius propoſitionis conuerſionem, has propoſitiones infert, & concedit, Corpus CHRISTI eſt id, quod erat panis, & quod erat iſte panis, quam ſententiam probat auctoritate S. Ambroſij dicentis. Si tanta vis eſt in ſermone Domini IESV, ut inciperet eſſe, quod non erat, quanto magis operatorius eſt, ut ſint, quæ erant, & in aliud commutentur, & ſic, quod erat panis, iam eſt Corpus CHRISTI, quia Sermo CHRISTI creaturam mutat, &c. Si ergo ſunt quæ erant, concludit Caietanus contra Scotum; panis non tranſit per ſe ab eſſe panis ad non eſſe illius, ſed ad Corpus CHRISTI, quod eſt id, quod erat panis, ita ut, id quod, non ad ſpecies, ſed ad ſubſtantiam referatur. Tranſubſtantiatio quomodo fiat. Caietani ſententia.

Ve-

Cõtra Caietani ſententiam.

Verùm iſta Caietani ſententia eſt in intelligibilis,& à ueritate aliena, cum naturam deſtruat; fidei autem myſteria ſunt ſupra naturam,& non contra,illam perficiunt,& non deſtruunt. Contra hanc ſententiam Sotus multa adducit argumẽta, & primum eſt,quia Caietanus iſta ſua opinione,ita annihilationem contra Scotum cauet, ut tranſubſtantiationem tollat,ſi enim res ipſa, quæ eſt panis,manet facta Corpus Chriſti, nulla propriè fit tranſubſtanciatio,tranſubſtantiatio enim non dicit quamcumq, mutationem ſubſtantiæ,ſed tranſitum de ſubſtantia in ſubſtantiam, ita,ut prior ſimpliciter deſinat eſſe,quemadmodum, & transformatio impoſsibilis eſt niſi una forma deperdita,alia acquiratur. Secundum,quia ſi panis deſinit eſſe panis, neceſſario deſinit eſſe ſubſtantia,& ens,nam cum res deſinit eſſe aliquid, quod de illa quiditatiuè prædicatur, neceſſariò deſinit etiam eſſe, quicquid eſt de intrinſeca ratione illius prædicati, ſi ergo deſinit eſſe panis,& panis eſt ſubſtantia,& ſubſtantia eſt ens, deſinit eſſe ſubſtãtia,& ens.Tertiũ,quia intelligi non poteſt,quod tã parua ſubſtãtia panis,ſit tota ſubſtantia Corporis Chriſti;nã eadẽ ratione potuiſſet Deus ante creationẽ mũdi,creare vnũ granũ milij,& illud tranſmutare in Cœlum,& totũ mundũ,manente re, quæ erat milium,nõ aucta materia,ſed quod illa materia milij eſſet tota materia totius mundi,& forma milij fieret forma mundi. Sed relictis alijs argumentis Soti, addo quartum argumentum, quia fides catholica docet,eundem numero Chriſtum eſſe in omnibus hoſtijs, & in cœlo,ergo neceſſario dicendum eſt, quod nihil panis,& uini remanet ſub illis ſpeciebus, & cõſequenter nullo modo concedendum eſt,quod ſint ipſiſsimæ res,quę erant,& quod Corpus Chriſti,eſt id quod erat iſte panis;& probatur conſequẽtia,nam ſubſtantia Chriſti,& Corporis, & Sanguinis eius in cœlo exiſtens,non eſt id, quod erat iſte panis, ergo Chriſtus prout eſt in Sacramento cum ſit ille idem numero,qui eſt in cœlo,non eſt eadem prorſus res,& ſubſtantia, quæ erat iſte panis, præterea idem numero Chriſtus eſt in omnibus hoſtijs, at ſubſtantia vnius panis non eſt eadem nnmero cum ſubſtantia alterius panis. vt ergo ſaluetur numerica identitas Chriſti in Cœlo, & in omnibus hoſtijs,neceſſario dicendum eſt, quod Corpus Chriſti non eſt ipſiſsima res,quæ erat iſte panis.

Ad argumentũ Caietani.

Et ſi S.Ambroſius fuiſſet huius ſententiæ,non eſſet hac ex parte ſequendus, ſed non eſt credendum, quod hoc dicere uoluerit,& ut inquit S.Thom. ſic intelligendus eſt,id quod erat panis, eſt Corpus Chriſti,ideſt, id quod continebatur ſub ſpeciebus panis,

nis, antea erat panis, & poſtea eſt Corpus Chriſti, ut iditentitas referatur ad ſpecies, ſub quibus diuerſæ ſubſtantiæ ſuccedunt, & quando ſubiungit, ut ſint, quæ erant, & in aliud commutētur, ſenſus eſt, res quæ erant in aliud commutantur, & ſic aliquo modo ſunt, quia non ſunt annihilatę, ſed eorum loco aliud ſucceſsit non enim Sancti Doctores uſque adeo admodum loquendi ſcholaſticum ſuas aſſertiones exigebant. Dicimus ergo cum S. Thom. & cum ſententia communi, panem, & uinum deſinere eſſe ſecundum ſe, & quodlibet ſui, & eorum loco ſub eiſdem ſpeciebus, ſuccedere corpus, & ſanguinem Chriſti.

Et licet hæc conuerſio ſit ſupernaturalis, poſſumus tamen ad eam intelligendam, aliquomodo naturalibus conuerſionibus manuduci, & propterea notandum eſt, quod agens naturale generat ſibi ſimile, expellendo á materia formam, quam habet, & ſuam in eam introducendo, in qua mutatione vna forma deperditur, & alia acquiritur; & quia hęc mutatio eſt ſecũdum formas meritò poteſt dici transformatio, ſed non poteſt dici, quod una forma in alteram conuertatur, tum quia conuerſio eſt totius cõpoſiti in aliud compoſitum, tum etiam, quia forma ſuccedens educitur de potentia materiæ, ad quem modum producendi eſt limitatum agens naturale, cum ſit determinatæ uirtutis, poſſe enim unam formam in aliam conuertere præſupponit uirtutem per ſe, ſuper vtramque formam, quod pertinet ad agens infinitũ, quod in totum ens, habet actionem; Si autem ſicut forma ſuccedit formæ, ita etiam materia ſuccederet materiæ, diceretur tranſubſtantiatio, ideſt mutatio totius ſubſtantię in totam ſubſtantiam, & ſubſtantia, quæ deſinit eſſe, diceretur in alteram uerſa, tum quia nulla hic eſſet materia communis, de cuius potentia tota ſubſtantia ſuccedẽs dicatur educta, tum etiam, quia huius mutationis ratio eſt infinita uirtus agentis, quæ ad totum ens ſe extendit, ita ut quodlibet ens, in quodlibet ens conuertere poſsit; hæc mutatio cum excedat uires totius naturæ, in naturalibus reperiri non poteſt, ſed reperitur tantum in hoc Sacramento. infinita enim verborum Chriſti uirtute, ſubſtantia panis deſinit eſſe, non per ſe, ut eius deſitio ſit terminus, ſed tanquam via, ut eius loco, ſub eiſdem ſpeciebus ſuccedat Corpus Chriſti, & hæc conuerſio propriè dicitur tranſubſtantiatio, cum tota ſubſtantia in totam ſubſtantiam mutetur.

Exemplo declaratur.

Quod

Quod ſubſtantia panis, & vini non annihiletur, & qua ratione iſta conuerſio dicatur tranſubſtantiatio. Cap. XXII.

SEd duo hic oriuntur dubia, Primum, quomodo ſubſtantia panis, ſeu uini non annihiletur, cum nihil eius remaneat. Scotus, & Durandus dicunt annihilari, licet eius loco ſuccedat Corpus Chriſti,

Scot. & Dur. ſententia.

nam duæ hic ſunt mutationes, altera ab eſſe panis, ad non eſſe illius, altera à non exiſtentia Corporis Chriſti, ad eius exiſtentiam, & prioris terminus ad quem, eſt nihil, à quo debet fieri denominatio, nam cum deſitioni panis accidat ſucceſſio Corporis, denominatio ab ea fieri non debet, nec ratione ſucceſſionis tollitur annihilatio, nam in corruptione naturali, forma non ob id, non cenſetur annihilari, quia in eadem materia alia forma ſuccedit, ſed quia forma corrupta remanet in potentia materiæ, ex qua iterum poteſt educi. Et ſi detur, quod Deus annihilet alicuius panis ſubſtantiam, & eius loco ponat Corpus Chriſti, nihil plus illius panis, qui dicitur tranſubſtãtiari maneret, quam huius: ergo ſi iſte annihilatur, annihilatur

Quod nõ annihiletur.

etiam ille. Iſta quæſtio poteſt dici de nomine; ſed cum communi ſententia dicimus panis, & uini ſubſtantiam non annihilari, & ratio eſt, quia deſitio panis, & ſucceſſio Corporis Chriſti, ſub eiſdem ſpeciebus non ſunt duæ actiones per accidens ſe concomitantes, ſed ſunt duo effectus eiuſdem actionis. ſ. conſecrationis, quia panis depellitur, vt ſub eiſdem ſpeciebus ſit Corpus Chriſti, & terminus huius actionis non eſt annihilare panem, ſed illũ conuertere in Corpus Chriſti; non enim Deus intendit non eſſe, quemadmodum nec natura per ſe intendit corruptionem, ſed illam ad generationem ordinat, & ob hãc cauſam, forma, quæ corrumpitur, non dicitur annihilari, non ratione potentię materiæ, ſed quia in generationem terminatur, nã ſi Deus deſtrueret for-

Argumentorum ſolutio.

mam, manente materia nuda, illam uerè annihilaret; ex quo remanent ſoluta omnia contraria argumenta, præter ultimum, ad quod dicimus, quod Deus poteſt annihilare panem, & licet nihilo plus remaneret panis tranſubſtantiati, quam illius, qui annihilatur, nihilominus ille non annihilatur, quia non terminatur in nihil, ſed in Corpus Chriſti, alter uerò diceretur annihilari, quia terminaretur in nihil, ibi enim eſſent duę mutationes diſtinctæ, nullam inter ſe connexionem habentes.

Secundum dubium eſt, quomodo iſta conuerſio poſſit dici tran-

tranſubſtantiatio, nam ut arguit Scotus nihil eſt terminus nouę actionis propriè dictæ, niſi per illam actionem accipiat eſſe ſubſtantiale, uel accidentale, ſecundum quod eſt formalis terminus illius actionis, ſi enim nullum eſſe per illam acciperet, quomodo terminaretur? at Corpus Chriſti per hanc conuerſionem nullum eſſe accipit in ſua ſubſtantia, cum ſit præexiſtens, & iam diu præceſſerit, ſed tantum fit præſens ſub ſpeciebus panis, ſub quibus prius non erat, ergo hæc conuerſio erit adductio corporis Chriſti, & non tranſubſtantiatio, ſeu conuerſio ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti; quandoquidem hac conuerſione, non producitur corpus Chriſti, ſed fit pręſens. Propter hoc argumentum Petrus de Palud. dixit ſubſtantiam panis non conuerti in ſubſtantiam corporis Chriſti, ſed in eſſe illic præſens. An poſſit dici tranſubſtantiatio. Ratio difficultatis.

Ad hoc dubium, & argumentum reſpōdetur, quod quando tranſubſtantiatio eſt in aliquid præexiſtens, nō requiritur, quod nouum eſſe ſubſtantiale producatur, ut ſit uera tranſubſtantiatio, ſed ſufficit, quod virtute eius, ibi ſuccedat subſtantia, non quaſi aliunde adducta, ſed ac ſi alibi non eſſet, & ita cum terminus huius actionis ſit ſubſtantia ſub ſpeciebus, non per adductionem, ſed, ac ſi alibi non eſſet, meritò dicitur tranſubſtantiatio, & non adductio. Et ſi inſtetur conuerſionem tantum ad Chriſti pręſentiam terminari, & non ad eius ſubſtantiam, cum ui conſecrationis non habeatur, niſi Chriſti præſentia. Reſpondetur, quod ui conſecrationis non tantum habetur Chriſti præſentia, & ſubſtantia, ut præſens, ſed etiam ſubſtantia, ut ſubſtantia, nō quaſi de nouo producta, ſed quia Chriſtus vi conſecrationis eſt ſub illis ſpeciebus, non ſolum, ut præſens, ſed etiam, ut cum eis conſtituens hoc Sacramentum, nam ſi in hoc Sacramento Chriſtus eſſet ſolum præſens his ſpeciebus, ſicut Angelus dicitur præſens alicui corpori, non ob id requireretur deſitio panis, & ſumendo hoſtiam conſecratam non diceremur ſumere Corpus Chriſti, ſed ſpecies, quibus præſens eſt Corpus Chriſti, quemadmodum ſumentes panem, cui præſens ſit Angelus, non dicimur ſumere Angelum, uel Deum, qui ibi eſt per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, & tamen fide tenendum eſt nos ſumere Chriſti corpus, ſicut ipſemet Chriſtus dixit, Accipite, & manducate hoc eſt corpus meum, quare præter præſentiam Chriſti, conſideratur hic etiam Chriſtus ſecundum ſe, & ſuam ſubſtantiam, quatenus ſic conſideratus, cum his ſpeciebus conſtituit hoc Sacramentum, inquit enim S. Aug. Sacrificium Eccleſiæ duobus conſtare, uiſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri carne, & ſangui- Solutio. Habetur de cōſ. d. 2. cap. hoc eſt.

gui-

guine, vbi nota uerbũ conſtare, ac ſi vnũ ſit compoſitũ, perinde, atq; ex pane, & ſpeciebus ſecluſa inhærentia, cum ergo in hoc Sacramento Corpus Chriſti conſideretur, non ſolũ, ut præſens, ſed etiã ſecũdũ ſuã ſubſtantiã, ut ſic conſtituens cum ſpeciebus hoc Sacramẽtũ, & deſitio panis terminetur ad Corpus Chriſti, ut conſtituens hoc Sacramentũ, propriè panis dicetur tranſubſtantiari in Chriſti corpus, cũ huius actionis terminus, ſit corporis ſubſtãtia, non ut præſens, ſed vt ſubſtãtia, nec requiritur ad verã tranſubſtãtiationẽ, quod de nouo producatur ſubſtantia, aliàs enim Deus non poſſet aliquid tranſubſtãtiare in prçexiſtens, ſed ſufficit, quod ſubſtantia, vt ſubſtantia, ſecundum nouam quandam rationẽ cõſideretur, ratione cuius poſſit eſſe terminus nouę actionis; noua autẽ ratio ſecũdũ quã corporis, & ſanguinis ſubſtãtia, hãc cõuerſionẽ terminat, eſt ut hoc Sacramẽtum conſtituat, atq; hæc eſt uera illius argumẽti ſolutio, & trãſubſtantiationis ratio.

Quod accidentia panis, & vini ſint ſine ſubiecto, & quantitas efficiatur aliorum accidentium ſubiectum quod, & non acquirat nouum eſſe.
Cap. XVIII.

Accidentia illa virtute diuina, ſine ſubiecto ſuſtentantur cum non ſit amplius ſub eis panis, & vini ſubſtantia, nec in Corpore Chriſti, nec in aere circunſtante ſubiectentur; Nec vlla ob id ſequitur repugnantia, quaſi eſſentialis definitio ab eis remoueatur, uel ſubſtantię definitio eis tribuatur, quia accidentis eſſentia non eſt actu in eſſe, nec ſubſtãtiæ actu per ſe exiſtere, ſed ſubſtantia eſt res, cuius naturæ debetur, non eſſe in alio ut in ſubiecto, accidens uerò eſt res cuius naturæ debetur eſſe in alio ut in ſubiecto, cum ergo in hoc Sacramento non detur accidentibus, vt ex vi ſuæ eſſentiæ non ſint in ſubiecto, ſed ex diuina virtute ſuſtentante, non deſinunt eſſe accidentia, nec eis competit definitio ſubſtantiæ, quemadmodum anima rationalis eſt actus materiæ, ad quam habet eſſentialem ordinem, & tamen ab ea ſeparata exiſtit, quia ita eſſentialiter eſt actus materiæ, ut de eius eſſentia non ſit, quod actu illam informet, & actuet. Quod etiam de proprijs paſſionibus dicitur, non poſſe. ſ. à ſuis ſubiectis ſeparari, quæ in earum definitionibus includuntur, ac proinde mutuo ſe inferre, intelligitur ſecundum naturæ uires, nam per Dei potentiam à ſuis ſubiectis ſeparari poſſunt, cum effectus magis depẽdat à cauſa pri-

Tacita cõtrariorum argumentorum ſolutio.

ma

ma, quam à ſecunda, quemadmodum in hoc Sacramento illas ſeparatas videmus, ubi ſolius ſubſtantiæ eſt mutatio; Nec ulla eſt repugnantia, quia ſubiectum non ingreditur propriæ paſſionis definitionem, quaſi in eo eſſe, ſit paſſionis eſſentia, ſed quia ſecundum ſuam eſſentiam, paſſio ad illud ordinatur, à quo fluit, quod ei conuenit etiam ſi ſeparata exiſtat, nam ſemper illius intelligitur paſſio, a quo fluxit.

Verũ ſola quantitas omnino ſine ſubiecto exiſtit, alia.n.accidentia in quantitate ſubiectantur, quæ prius erat eorũ ſubiectũ, quo, quia ea mediãte ſubiectantur in panis, & uini ſubſtantia, at facta cõſecratione, eſt eorũ ſubiectũ, quod. Quomodo autẽ quãtitas per ſe exiſtat, Caiet. dicit id eſſe nõ ſolũ, quia Deus illã per ſe ſine ſubiecto ſuſtentat, ſed etiã, quia Deus vltra cõſeruationẽ, alia actione dat ei nouũ modũ eſſendi, eſſe.ſ.exiſtentiæ, & ſubſtãtiæ, quod licet ſupernaturaliter habeat, eo tamẽ habito, naturaliter exiſtit, & eſt ſubiectũ quod, aliorũ accidentiũ; hoc nouũ eſſe quãtitati, miraculosè ob eã causã Caiet. tribuẽdũ eſſe cenſet, ne multa miracula ſine neceſſitate, in hoc Sacramẽto inducantur, nã aliàs cõſeruatio quãtitatis eſſet cõtinuũ miraculũ, & accidentia in quãtitate miraculosè ſuſtẽtarẽtur, quia per ſe nõ eſt niſi ſubiectum, quo, miraculosè etiam qualitates agerẽt, per modũ ſubſtãtiæ, & quantitas pateretur, & in ſe reciperet formã ſubſtantialẽ, ac ſi eſſet materia, dũ ex ea generãtur uermes, quæ omnia miracula hoc uno cõceſſo tollũtur, cũ omnes mutationes, quæ circa accidẽtia Euchariſtiæ apparẽt, naturaliter ſaluẽtur, ac ſi fierẽt in ſubſtãtia, uel uirtute ſubſtantiæ, quãdoquidẽ quantitas ſupponitur uice ſubſtãtiæ, cuius eſſe, vim, & proprietatẽ habet. Et hãc ſẽtentiã D. Th. falsò Caietanus attribuit, nã dũ ait, quantitatẽ ſic ſeparatam eſſe compoſitam ex eſſe, & quod eſt, & eſſe ſubiectum, quod, nõ intẽdit, quod nouũ eſſe acquirat, ſed quòd per miraculũ ſuſtentatur per modũ ſubſtantiæ, ibidẽ.n.dicit eſſe per ſe, uel eſſe in ſubiecto, nõ eſſe definitionẽ ſubſtãtiæ, vel accidẽtis, ſed eorũ quiditati, ſeu eſſentię cõpetere, & in hoc Sacramẽto non dari accidẽtibus, quod ex ui ſuæ eſſentiæ nõ ſint in ſubiecto, ſed ex diuina virtute ſuſtẽtãte, & ob id accidentia nõ deſinere eſſe accidẽtia, nec eis cõpetere de finitionẽ ſubſtãtiæ, ex quibus uerbis hoc efficax argumentũ contra illam ſententiã formatur, ſi quantitas per ſe exiſtit, & non per ſolam diuinam ſuſtentationem, ſed quia à Deo eſt ei per miraculum tributum eſſe exiſtentiæ, quo per ſe naturaliter conſeruetur ſine ſubiecto, ergo deſinit eſſe accidens, & ei competit definitio ſubſtantiæ, & ita erit accidens, &

De quantitate.

Caiet. ſententia 3. p. q. 77. ar. 1.

Contra Caietanũ. S. Th. 3. p. q. 77. ar. 1. ad 4.

non

non erit accidens, quæ ſunt contradictoria, nam eſſentiæ accidentis conuenit eſſe in ſubiecto, & ſubſtantiæ eſſe per ſe, ergo quantitas ſi habito per miraculum illo eſſe exiſtentiæ, naturaliter per ſe exiſtit,& non eſt in ſubiecto,& hoc ei, ſecundum ſuam naturam per nouum eſſe ei miraculosè tributum competit,cum ſit accidens,non habebit naturam,ſeu eſſentiam accidentis, ſed ſubſtantiæ,quæ contradictionem implicant. Quare dicimus veram,communem,& S. Thom. ſententiam eſſe, quantitatem per ſe exiſtere,non aliquo nouo eſſe acquiſito, ſed per diuinam ſuſtẽtationem;& quia eſt ſubiectum, quo accidentia in ſunt ſubſtantiæ,tanquam uirtus materiæ,hoc ſufficit,ut dum ſuſtentata, per ſe ſubſiſtit, alia accidentia naturaliter ſuſtentet, & ſi eorum ſubiectum,quod,tanquam uirtus ſubſtantiæ, quemadmodum, & calor ſeparatus ab igne, tanquam eius virtus naturaliter calefaceret; & longe melius eſſet fateri alia accidentia miraculosè ſuſtentari,quam quantitati tribuere eſſe,quod propriè, & eſſentialiter conuenit ſubſtantiæ,& ita pugnantia concedere.

De generationibus,quæ fiunt ex ſpeciebus panis, & uini. Cap. XIX.

SEd non parua hic ſuboritur difficultas de generationibus, quę ex his accidentibus fiunt,nam ſi nulla eſt hic materia, quomodo accidentia iſta nutriunt, & ex eis generãtur vermes? quod panis,& vini ſubſtantia reuertatur, ut quidam exiſtimarunt,dici non poteſt,nam manentibus ſpeciebus panis, & uini ſub eis eſt corpus,& Sanguis Chriſti,quæ eorum ſubſtantiam ſecum non admittunt; in primo etiam inſtanti corruptionis ſpecierum, redire non poteſt, cum enim illud ſit primum nõ eſſe ſpecierum, quia eſt primum eſſe ſubſtantiæ genitæ, rediret ſine ſuis proprijs accidentibus;Communis ſententia eſt, quod à Deo noua materia creetur,á qua S.Tho.recedit ea ſola ratione, quia non uidetur rationabiliter dici, quod aliquid miraculoſe in hoc Sacramento accidat,niſi ex ipſa conſecratione, & inquit, in ipſa conſecratione miraculosè dari quantitati,quod ſit primũ ſubiectum ſubſequẽtium formarum,& ob id ex ea generari poſſe quicquid ex materia panis, & uini generari poſſet, ſi adeſſet, non quidem nouo miraculo,ſed ex ui miraculi prius facti. Sed huius S.Thom.opinionis triplex eſt expoſitio,nam Aegidius inquit,ex ipſa quantitate permanente in eſſe accidentis,quia gerit

[Margin: Innoc.l.4. de off.Miſſæ cap.11. Alex. 4.p. q.11.in 2. ar.4. in fine. — An creetur noua materia. — S.Th.ſententia. — Triplex expoſitio ſententiæ S.Tho. — Aeg.Theorem. 44. & 45.]

vicem materiæ, hæc generari, quæ videtur fuiſſe mens S. Th. hoc tamen à ueritate alienum apparet, nam animal ex ea generatum eſſet ens per accidens, ſi enim ex ſubſtantia, & accidente ſibi inhærente, non fit compoſitum per ſe, multo minus fiet ex accidente, & forma inhærente, Caietanus inquit in inſtanti corruptionis ſpecierum, quantitatem tranſire in materiam, ita quod virtute conſecrationis, quantitas accepit, ut durante Sacramento, ſit uice materiæ, & in termino Sacramenti, idest in primo non eſſe Sacramenti, ſit uerè materia, ut ſuperius dixerat eandem rem, quæ eſt panis poſtea eſſe Corpus, Sotus exiſtimans impoſsibile, quod eadem res, quæ erat accidens, poſtea ſit materia, interpretatur ex quantitate fieri generationem, quia ex illa producitur materia, in quam inducitur forma, quæ materia non dicitur creata, ſicut nec quantitas annihilata, nam cum quantitas corrumpitur, non annihilatur, quia eius deſitio non terminatur in nihil, ſed in generationem ſubſtantiæ, & ad illius deſitionem, quæ fit per primum non eſſe, ſubſequitur per primum ſui eſſe exiſtentia materiæ, forma ſubſtantiali informata, & ita agens naturale, non ſimpliciter naturaliter, ſed ſuppoſito miraculo, quod quantitas per ſe ſubſiſtat, eam corrumpendo, producit materiam, non illam creando, uel generando, ſed congenerando, quia comproducitur ad generationem illius, quod ex quantitate gignitur, & hæc ſententia non differt à communi, niſi in hoc, quod dicit materiam non creari, ſed ſubſequi virtute miraculi conſecrationis. Sot. 4. d. 10. q. 2. ar. 5.

Sed cum non ſequamur ſententiam S. Thom. ſuperfluum eſt de illius mente diſputare, ideo cum communi ſententia dicimus, in hac ſubſtantiali generatione produci nouam materiam, in inſtanti corruptionis ſpecierum, cum enim generatum ſit ens per ſe, & eiuſdem ſpeciei cum generatis ex materia panis, actus, & potentia erunt eiuſdem generis, An autem hæc nouę materiæ productio ſit dicenda creatio, admodum probabile nobis videtur, ut cum Soto dicatur congeneratio, non ut ipſe exponit, per deſitionem quantitatis, ſed per deſitionem aliorum accidentium, & proprietatum panis, ſuppoſito priori miraculo, ſcilicet, quod in quantitate ſuſtententur ſine forma, & materia panis, credimus enim in Philoſophia quantitatem in rerum generatione, & corruptione non corrumpi, nec de nouo produci, ſed materiæ eſſe coeuam; Poſſumus etiam, & ſatis conuenienter cum communi ſententia Communis ſententia. An ſit dicenda creatio.

dicere materiam creari, contra quam non militat argumentum S. Thom. ſcilicet, quod cum hoc Sacramentum conſecratione conficiatur, nullum in eo eſt ponendum miraculum, quod ui conſecrationis non habeatur, hoc autem miraculum creationis materiæ non ponitur in Sacramento, ſed in primo non eſſe ipſius, ergo non debet haberi vi conſecrationis, cum conſecratio non reſpiciat, nec ſit cauſa deſitionis Sacramenti. Ad quod reſpondetur, quod aliunde habetur neceſſitas creationis materiæ, & ratio huius noui miraculi, ſcilicet ex diuina prouidentia, qua naturam conſeruat; ab agente namque naturali corrumpuntur accidentia panis, quę in quantitate ſuſtentabantur, & in eadem quantitate introducuntur alia accidentia, quæ ad generationem diſponunt, ergo cum iſtæ actiones ſint ab agente naturali, naturæ lege, debet inde ſequi generatio alicuius compoſiti ex materia, & forma, ſed quia propter miraculum factum nulla eſt ibi materia, & iam ceſſante illo miraculo, & Sacramento redditur ad naturæ leges, debuit Deus ſua uniuerſali prouidentia, deſinente Sacramento, nouam materiam creare, ut natura ſuum curſum tenere poſſit, nam ſi prouidit, ut grauia aſcenderent, & leuia deſcenderent, contra propriam ipſorum naturalem inclinationem, ne detur uacuum, & tollatur uniuerſi contiguitas, multo magis prouidit, ne detur compoſitum ſubſtantiale ſine materia, uel accidens ammiſſa propria natura efficiatur ſubſtantia, ut hic noua materia producatur, uel ab ipſo per creationem, uel ab agente naturali congeneretur, ad generationem illius, quod vi ſuæ actionis ex illis ſpeciebus gignitur; melius tamen dicitur creari, præſertim cum certum ſit quotidie operibus naturæ in hominis generatione admiſceri creationem, nam omne agens naturale eſt determinatum in ſuo actu, & agit inquantum eſt actu, & eius actio fertur ſuper determinatum actum, & ita non niſi ad immutationem formæ agere poteſt, & ea ſolum eius actione comproducuntur, quæ conſequuntur formam, non igitur poteſt eius actio ſe extendere ad comproducendam materiam, cum ergo materia illa ſit eiuſdem naturæ, cum altera perpetuo duratura, & ab agentibus naturalibus præſupponatur, non niſi ab uniuerſali cauſa per creationem produci debuit; nec deſinit eſſe creatio, quia cum materia producitur, corrumpuntur accidentia panis, nam cum actione agentis naturalis corrumpantur, non poteſt dici, quod eorum corruptio ſit uia, ſeu terminetur ad productionem materiæ,

Argumentum S. Th.

Solutio.

riæ, ſicut deſitio panis terminatur ad Corpus Chriſti ui conſecrationis.

Sed una adhuc ſupereſt hic difficultas, nam agens naturale non inducit formam ſubſtantialem, niſi in materiam prius diſpoſitam, ergo ſi in primo non eſſe accidentium panis, incipit eſſe materia, & ſimul forma in ipſa, forma illa non inducetur ab agente naturali, ſed à ſolo Deo, cum naturaliter materia in inſtanti diſponi non poſſit. Ab hac difficultate facilè ſe expediunt Thomiſtæ, qui dicunt, in rerum corruptione fieri reſolutionem, uſque ad materiam primam, & nihil prorſus corrupti remanere in genito, & etiam omnes diſpoſitiones præinductas in generatione, corrumpi, & formam cum ſimilibus diſpoſitionibus, & quantitate ſuccedere; At nos, qui credimus quantitatem, eſſe coeuam materiæ, & diſpoſitiones illas incorrupto, & genito perſeuerare, & earum diſpoſitionum ſubiectum non eſſe compoſitum, ſed materiam quantam, dicimus, quod cum quantitas ſit uirtus materiæ, ſufficit, ut in eam inducantur diſpoſitiones formæ producendæ, quibus introductis, & contrarijs accidentibus expulſis, creatur materia ſub illa quantitate, & diſpoſitionibus, quarum virtute in eodem inſtanti forma de eius potentia educitur, quandoquidem eodem inſtanti ultima diſpoſitio formæ in ea recipitur. Dubium. Solutio.

Quomodo Chriſtus ſit ſub ſpeciebus panis, & vini, & quomodo ſub illis incipiat, & deſinat eſſe. Cap. XX.

Totus Chriſtus eſt in hoc Sacramento, & ſub utraque ſpecie, differenter tamen, nam ui Conſecrationis, & formę, directè ſub ſpeciebus panis eſt tantum corpus, & ſub ſpeciebus uini, eſt tantum ſanguis, ut ex formis id ſolum ſignificantibus patet, ſed quia corpus non eſt ſine ſanguine, anima, & diuinitate, hinc eſt, quod per concomitantiam ſub ſpeciebus panis, eſt etiam ſanguis, anima, diuinitas, & unico uerbo, Chriſtus totus, eo modo quo eſt in Cœlo, ſimiliter etiam totus eſt ſub ſpeciebus uini, cum eius ſanguis non ſit ſeparatus à corpore, anima, & Diuinitate, imo totus eſt ſub totis ſpeciebus, & totus ſub qualibet earum parte, etiam nulla ſpecierum diuiſione facta, ſicut & anima ratio- Eſt totus.

nalis eſt tota in to to corpore, & tota in qualibet eius parte, & Deus eſt totus in toto mundo, & totus in qualibet mũdi parte.

Cum quãtitate.

Sic autem eſt Chriſtus totus ſub totis ſpeciebus, & totus ſub qualibet earum parte, ut non ſit per partium confuſionem, & penetrationem, ſed per diſtinctionem, & cum tota ſua quantitate, & extenſione ſicut eſt in Cœlo, duo enim ſunt quantitatis officia, unum eſt ponere diſtinctionem, & ordinem inter partes corporis organici, alterum eſt extendere corpus in ordine ad locum, ut una pars corporis ſit extra locum, in quo eſt altera, qnantitas ergo Chriſti in Euchariſtia exercet primum officium, quod eſt ei intrinſecum, & inſeparabile, alterum autem, quod non eſt ei ita intrinſecum, quin per Dei potentiam ſine illo eſſe poſſit, non exercet, & ita Corpus Chriſti ſub qualibet ſpecierum parte eſt extenſum, ſicut eſt in Cœlo, cum ſit organizatum, ſuamque figuram habeat, ſed non habet reſpectum, & commenſurationem ad locum, hoc enim modo eſt in Cœlo; in hoc autem Sacramento eſt ad modum ſubſtantię, ideſt cum ſua extenſione tota in toto, & tota in qualibet parte, ſine occupatione loci.

Duo quãtitatis officia.

Non ſicut in loco.

Ex qno patet. Chriſtum in hoc Sacramento non eſſe ſicut in loco, cum enim ibi non ſit per modum quantitatis ſibi inhærentis, ſed per modum ſubſtantiæ, non eſt ibi circumſcriptiuè, ideſt commenſuratiuè, nec etiam eſt definitiuè, quo pacto eſt in loco id, quod eſt totum in toto, & totum in qualibet parte, nam quod ſic eſt in loco, ita ibi eſt, ut extra illum non ſit, ſicut eſt anima rationalis in corpore, At Chriſtus ſic eſt in unà hoſtia, ut ſit etiam in omnibus alijs conſecratis, & in Cœlo, ſed eſt Sacramentaliter.

Per accidens localiter mouetur.

Ex quo etiam ſequitur, quod Chriſtus in Euchariſtia, non poteſt moueri localiter per ſe, ſicut moueri poteſt ut eſt in Cœlo, ratione diuerſimodi exiſtendi, quia in Euchariſtia nõ eſt localiter, & commenſuratiuè, ſicut in Cœlo, quia tamen eſt ſub ſpeciebus panis, & uini, per accidens ad motum ſpecierum mouetur localiter, ſicut motis nobis mouentur ea, quæ ſunt in nobis, alijs autem mutationibus, neq; per ſe, neq; per accidens mouetur, nec affici poteſt, non enim ſicut mouetur localiter ad motũ ſpecierum, ita etiam ſi quantitas illa frigeſit, uel frangitur, Corpus Chriſti per ſe, uel per accidẽs ſic afficitur, nam cum corpus contineatur ſub ſpeciebus, neceſſe eſt vbicumque ſunt ſpecies, ipſum eſſe, & ſic ad earum motum moueri, at quia quantitas illa ſpecierum non ei ineſt, non poteſt affici qualitatibus, quibus

Aliis motibus, nec per ſe, nec per accidens.

ipſa

ipſa afficitur, quemadmodum etiam in anima uidemus, quæ ad motum corporis mouetur localiter, non tamen ad alterationem corporis ipſa alteratur, cum enim ſit indiuiſibilis, non eſt eius capax.

Nec etiam per ſe mouetur ſecundum eſſe, quod habet in hoc Sacramento, ut ſub eo incipiat eſſe, uel deſinat ſimpliciter per creationem, uel annihilationem, cum habeat eſſe per ſe ingenerabile, incorruptibile, & indeficiens, uel ut ibi incipiat, & deſinat eſſe per motum localem quo de Cœlo deſcendat, & poſtea in Cœlum aſcendat, quia ſic quando eſt ſub illis ſpeciebus non eſſet in Cœlo, ſed incipit eſſe ſine ſui mutatione, per hoc, quod panis in ipſum conuertitur, ſimiliter etiam deſinit ibi eſſe, per hoc quod illæ ſpecies corrumpuntur, quemadmodum Deus immortalis, & immobilis incipit, & deſinit eſſe in creatura, per hoc, quod ipſa creatura incipit, & deſinit eſſe. Quomodo ibi eſſe incipiat & deſinat.

S 3 SECVN-

SECVNDAE PARTIS DE OFFICIO SACERDOTIS.

LIBER SECVNDVS.

DE SACRAMENTIS MATRIMONII, ET POENITENTIAE.

De Sponſalibus.

Quæ dicantur ſponſalia, & quando ſint ualida, De conditionibus illis, & Matrimonio appoſitis, & quibus de cauſis ſoluantur ſponſalia.
Cap. I.

SPONSALIA ſunt futuri Matrimonij mutua promiſſio, quibus arræ, & iuramentum non ſunt neceſſaria, illis tamẽ firmiora fiũt, & non ſunt matrimonium, nec Sacramentũ, ſed quoddam Sacramentale ad matrimoniũ ſicut exorciſmus ad baptiſmum. Ex quo ſequitur, quod ſponſalia non poſſunt ab illis contrahi, inter quos propter aliquod impedimentum non poteſt eſſe matrimonium. Ad contrahendum ſponſalia requiritur ætas debita, quæ tam in maſculo, quam in
Aetas. fœmina eſt ſeptem annorum, licet quoad matrimonium ætas legitima in maſculo ſit quatuordecim annorum completorum, & in fæmina duodecim etiã completorum, nam in ſponſalibus requiritur tantum uſus rationis, qui ſimul incipit in utroque; in matrimonio verò, requiritur etiam diſpoſitio ex parte corporis, ut ſit tempus generationi aptum, ſed ſicut quando potentia ſupplet ætatem, poſſet prius contrahi matrimonium, ita etiam ſponſalia quando malitia, ſeu prudentia ſuppleret. Poteſt quis pro alio ſponſalia contrahere, etiam ſine eius mandato, ut parentes, & tutores, ſed non erunt firma quouſque illi quorum nomine contracta fuerunt, expreſsè uel tacitè conſenſerint, cum id reſciuerint, uel ad debitam ętatem peruenerint.

Cum per Concilium Tridentinum ſublata ſint Matrimonia clandeſtina, & illa, quæ non ſunt contracta in facie Eccleſiæ coram parocho, & teſtibus, ſint nulla, ſponſalia non tranſeunt in matrimonium per copulam ſubſequentem affectu maritali, nec per aliquam declarationem conſenſus de præſenti, ſicut tranſibant ante Concilium; Et ea quę dicuntur de conditionibus Sponſalibus, & Matrimonio appoſitis, de ſolis ſponſalibus dicemus, quia cum Matrimonia contrahantur in facie Eccleſiæ, abſolutè & non conditionatè contrahuntur, quod ſi quis ante abſolutum conſenſum proteſtaretur coram teſtibus fide dignis, quòd licèt in facie Eccleſiæ abſolutè uerbis conſentiat, tamen non intendit conſentire niſi caſu quo adimpleantur conditiones conuentæ, & illis non adimpletis poſtea probato cõditionato conſenſu, inſtet pro ſeparatione, iudicandum erit ſicut, & de ſponſalibus. Non tranſeunt in Matrimonium.

Tres conditionum ſpecies in ſponſalibus, & matrimonijs reperiri poſſunt. Prima eſt earum, quæ ſunt turpes, & contra ſubſtantiam, aut bonum Matrimonij, qualis eſt illa, ſi procuraueris ſterilitatem, quæ eſt contra bonum generationis, & illa, ſi uictũ ex adulterio quæſieris, quæ eſt contra bonum fidei, & illa, donec ditiorem inueniam, quæ eſt contra Matrimonij inſeparabilitatẽ, quę omnes annihilant Matrimonium ca. fin. de cond. appoſ. Secunda eſt earum, quæ ſunt turpes, aut factu impoſſibiles uel neceſſariæ, ſed non contra ſubſtantiam, aut bonum matrimonij, qualis eſt illa, ſi furatus fueris, ſi Cœlum digito tetigeris, ſi cràs ſol orietur, quæ non annullant ſponſalia, & matrimonium, ſed in fauorem matrimonij pro non appoſitis habentur, d. ca. fi. Multa hic eſſent dicenda, quæ tanquam ſuperflua omittimus, cum ſublatis matrimonijs clandeſtinis, modò in facie Eccleſiæ abſolutè contrahatur. Tertia eſt earum, quæ ſunt honeſtę qualis eſt illa ſi pater meus uoluerit, ſi tanta dos detur, & iſtę tenent ſi à principio mutuo conſenſu fuerint appoſitæ, Illa autem conditio contraho, ſeu contraham tecum ſi te virginem inuenero, ſi intelligitur per inſpectionem honeſtarum fœminarum tenet, at ſi intelligitur de inuentione per copulam carnalem, tanquam turpis pro non appoſita habetur. Tres conditionum ſpecies.

Sponſaliorum duo ſunt effectus, primus eſt iuſtitia publicæ honeſtatis, de quo ſuo loco, alter eſt obligatio ad contrahẽdum, niſi legitimo aliquo impedimento ſoluantur, & Eccleſia etiam per cenſuras ad contrahendum cogit, in foro tamen contentioſo ad contrahendum non ita facilè compellit, & obſtinatos tãdem Effectus.

à cenſuris tanquam pia mater abſoluit, ne coacta matrimonia, malos ſortiantur effectus.

Soluũtur. Multis autem de cauſis ſoluuntur. Primo mutuo diſſenſu, ſicut mutuo conſenſu contracta fuerunt, etiã ſi ſint iurata principaliter propter Deũ, quia Deus iuramẽtũ illud recipit in fauorẽ partis, cui pars renũciare poteſt. 2 per alterius ingreſsũ in religionem, etiam ante profeſſionem. 3 per ſuſceptionem ordinis Sacri. 4. per alterius matrimonium per uerba de præſenti; etiam copula non ſubſecuta, non autem per noua ſponſalia etiã iuramento confirmata, etiam ſi ſequatur copula affectu maritali, quia modò vigore Concilij Tridentini per talem copulam non tranſeunt in matrimonium, ſicut tranſibant ante Concilium. 5 propter alterius migrationem ad aliam regionẽ, ſi infra præſtitutũ tempus nõ redierit, & iure quidẽ ciuili præſcribitur tempus duorum annorum, si in eadem prouincia eſt abſens, ſi uerò in alia, trium, at iure canonico nullum præſcribitur redeundi tempus, ſed iudici præſcribendum relinquitur. 6 per ſuperuenientem affinitatem propter copulam cum eius affine in primo gradu, quo caſu cum neutra poteſt contrahere: non cum prima propter impedimentum affinitatis, nõ cum ſecunda propter impedimẽtum iuſtitiæ publicę honeſtatis. 7 per lapſum temporis præſtituti ad matrimonium de præſenti contrahendum. 8 propter ignoratã, uel ſuperuenientem lepram, vel alium contagioſũ morbum, & etiam notabilem corporis deformitatem, ut oculi, naſi amiſſionem. 9 per ſuperuenientem alterius fornicationem, uel aliud crimen, quod infamiam patiatur, ſecus ſi præceſſiſſet, & alteri notum fuiſſet, non autem pendet ſponſalium ſolutio ex illo cuius eſt culpa, ſed ex alterius conſenſu. 10 ſi nõ ſeruẽtur cõditiones. 11 per morũ alterius asperitatẽ 12 per uotũ religionis, ſecus de ſubſequenti uoto caſtitatis, quia in alterius prędiciũ uouere nõ poteſt, ſecundũ Pet. de Palu. in 4. & alios. 13. quãdo nõ fuerunt validè cõtracta, ut ante legitimã ætatẽ. 14 poſsũt etiam ſolui ſponſalia ſi aliquid ſuperuenit, quod ſi præceſſiſſet, non fuiſſent cõtracta ſecũdũ S. Th. in 4. Ex quibus cauſis aliquæ ipſo iure dirimunt ſponſalia, ut ingreſſus in religionem, contrahere cũ altera per uerba de præſenti, &c. & tunc non eſt neceſſaria Iudicis ſententia, aliæ uerò nõ dirimunt ipſo iure, & ideo earum reſpectu auctoritate Iudicis Eccleſiaſtici dirimenda ſunt; & qui ſine tali auctoritate cum alia contraheret, grauiter peccaret, non tamen mortaliter iuxta Sylu. & ſi cauſa diſſoluendi ſponſalia eſſet manifeſta, nec etiam uenialiter peccaret.

De Sacramento Matrimonij.

Quid ſit Matrimonium, & quæ ſint de illius eſſentia, & quòd conferat gratiam, & quando.
Cap. II.

MAtrimonium eſt Sacramentum quo fit maris, & fœminæ legitima coniunctio, indiuiduam uitæ conſuetudinem retinens. Et quatuor ſunt de illius eſſentia, materia.ſ.forma, & modò uigore Concilij Tridentini, etiã miniſter, & ſaltem duo teſtes. De materia, & forma eſt inter Doctores controuerſia, aliqui dixerunt materiam eſſe perſonas contrahentes, & formam eorum uerba, aut ſigna quibus exprimunt conſenſum; ſed perſonæ ſunt ſuſcipientes Sacramentum, Alij dicunt materiam eſſe conſenſum, & formam, uerba, ſed cõſenſus eſt formale uerborum, quibus ſignificatur, cum uerba formaliter, & nõ materialiter hic ſumãtur, ideo cũ alijs dicimus verba prioris proferẽtis, quibus cõſẽſũ de pręſenti exprimit, eſſe materiã, & poſterioris formã. Miniſter eſt Parochus, uel alius Sacerdos de licentia Parochi, uel Ordinarij. Miniſter, & duo teſtes ſunt modò ad contrahendum ſimpliciter neceſſarij, propter decretũ Sacri Concilij Tridẽtini, ad tollenda matrimonia clãdeſtina, Statuit etiã Sacrũ Cõciliũ, ut ter à proprio contrahentiũ parocho, tribus continuis diebus feſtiuis in Eccleſia inter Miſſarũ ſolemnia, publicè denuncietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum, quæ denunciationes non ſunt ita neceſſariæ, ut ſi ſine his cõtrahatur, matrimonium ſit nullum, & si omittantur grauiter quidem peccabitur, ſed tenebit Sacramentum, non.n.omnia, quæ in illo decreto præcipiuntur, tanquam neceſſariò ſimpliciter requiſita præcipiuntur, nam dum ad ſimpliciter neceſſaria ab ipſo nouiter requiſita, & ad irritationem matrimonij clandeſtini deſcendit, nulla denunciationum facta mentione, inquit, *Qui aliter, quam præſente parocho uel alio Sacerdote de ipſius parochi, ſeu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta ſynodus ad ſic contrahendum inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.*

Quid. Materia, & forma. Requiſita. Seſſ. 24. c. 1. de refor. matr.

Poteſt etiam matrimoniũ contrahi per procuratorem, & erit uerũ Sacramentũ cõferens gratiam, ſed requiritur, quod ille, cu-

De cõtracto per procuratore.

ius

ius nomine à procuratore præbetur conſenſus per uerba de præſenti, tempore quo procurator conſentit, ſaltem uirtualiter conſentiat, ideſt, vt non mutauerit voluntatem, quam habuit, quando conſtituit procuratorem. Vnde ſi procurator antequam contrahat à domino fuerit reuocatus, contractum poſtmodum matrimonium, licet tam procurator, quam illa cum qua contraxit, reuocationem huiuſmodi pénitus ignorauerint, nullius momenti pénitus exiſtet, cum illius conſenſus defecerit, ſine quo firmitatem habere non potuit, ca. fin. §. fin. de procur. in 6. quod eſt peculiare in Sacraméto Matrimonij, nam in alijs requiritur etiam notitia reuocationis, ut geſta per reuocatum procuratorem irrita ſint. ext. de procu. ca. mandato.

Confert gratiã cuius tres ſunt peculiares effectus.

S. Bonau. 4. d. 26. q. 2.

Matrimonium eſt Sacramentum Eccleſiæ, & ut Sacramentum confert gratiam ex opere operato, ſicut & reliqua 1. Tim. 2. Saluabitur mulier per filiorum generationem, ſi permãſerit in fide, dilectione, & ſanctificatione. Et cum in quolibet Sacramento detur gratia ad quoſdam proprios, & peculiares effectus, in hoc Sacramento, ut inquit. S. Bonauent. datur gratia ad copulam ſingularem, ad copulam utilem, & ad copulam inſeparabilem, nam ex hac gratia fit remedium contra triplicem inordinationem cõcupiſcentiæ, & naſcitur triplex bonum matrimonij, Concupiſcentia enim inclinat ad multas, quia luxurioſus non eſt una contentus, & in matrimonio datur gratia homini, ut ſoli uxori uelit coniungi, & ita pronitas ad multas excluditur per copulam ſingularem; Concupiſcentia etiam inclinat ad delectationem, nõ ad vtilitatem, quia luxurioſus non querit, niſi ſatisfactionem appetitus ſenſitiui, & in matrimonio datur gratia, ut nõ cognoſcat vxorem niſi propter prolem, & ita excluditur delectatio appetitiuæ per copulam utilem; Concupiſcentia etiam poſt impletionem faſtidium generat, unde luxurioſus poſtquam cognouit unam, illam reſpuit, & uadit ad aliam; at in matrimonio datur gratia, ut ſemper velit eſſe cum una, & ita excluditur uariarum concupiſcentia per copulam inſeparabilem. Ex copula ſingulari oritur bonum fidei, ut ad aliam non accedat, ex copula utili, bonũ prolis, ex copula inſeparabili, bonum Sacramenti.

Quando cõfcratur.

Palud. 4. d. 31. q. 3. art. 2.

Hæc gratia confertur dum contrahitur Sacramentum, ſecundum communem, Sed dico, quod etiam confertur in ipſo actu matrimoniali, quando fit cum debita diſpoſitione, & reuerentia propter debitum finem, nam, ut inquit Petrus de Palude, actus coniugalis quandoque eſt peccatum mortale, quandoq; veniale, quandoq; eſt meritorius, & in quatuor caſibus eſt meritorius

ſi fiat

ſi fiat in gratia. Primus cum ſit ad reddendum debitum, quod eſt iuſtitiæ. Secundus, quando petit cauſa prolis, tempore, loco, & modis debitis, quod eſt latriæ. Tertius, quando cauſa præſeruandi comparem à fornicatione, quod eſt charitatis. Quartus, quando cauſa vitandæ fornicationis in ſe, quam probabiliter credit non aliter uitandam. & quod in iſtis quatuor caſibus ſit meritorius, probat, quia omnis actus uirtutis charitate informatus, eſt meritorius, huiuſmodi eſt actus coniugalis in his quatuor caſibus, ergo eſt meritorius, at ſi actus fiat uno ex quatuor dictis modis ſine gratia, non eſt (inquit) meritorius, nec demeritorius, non eſt meritorius propter carentiam gratiæ, non demeritorius, propter carentiam culpæ. dico ergo, quod dictis quatuor modis datur gratia, non ſolum, quia ſunt actus uirtutum, ſed etiam, quia ſunt actus Sacramenti, credo tamẽ, quod prima gratia ex opere operato detur ſolum dum cõtrahitur matrimonium: & tunc fieri ex attrito contritum, actus uerò matrimonij valere ad meritum, ut actus Sacramenti ſi debitè fiant. quare autem non habeant ſinguli actus matrimonij cõferre primàm gratiam, ſicut habent alia Sacramenta, Euchariſtię, Pœnitẽtiæ, & extremæ unctionis, huius differentiæ hanc poſſumus reddere rationem, quia in alijs ſemper reiterantur Sacramenta, at per actus coniugales non reiteratur matrimouium, ſed exercetur iam contractum, & habetur ſimile in Sacramento ordinis, nã gratia ex opere operato datur cum ſuſcipitur ordo maior, ſiue minor, at quando exercentur Ordines ſuſcepti, non datur exercenti gratia ex opere operato, quia nullum ſuſcipit Sacramentũ, ſed exercet ſuſceptum, qui actus ei ualent ad meritum, nõ enim Diaconus, Subdiaconus, Accolytus, &c. quando miniſtrant in ſuis ordinibus fiunt ex attritis contriti, ſed ſi ſunt contriti merentur.

De impedimentis Matrimonij.

De duplici impedimentorum genere. *Cap. III.*

IMpedimenta Matrimonij ſunt in duplici differentia, quædã impediunt matrimonium ne contrahatur, ſed ſi non obſtante aliquo iſtorum impedimentorum contrahitur, matrimonium tenet. quædam verò ita impediunt matrimonium cõtra-

trahendum,ut etiã dirimant cõtractum, quando.ſ.impedimẽtũ præceſsit; nam ſi ſubſequitur, cum matrimonium ſit inſolubile,tollit ſolum matrimonij uſum,donec obtineatur diſpenſatio. Cum.n.matrimonium ita ſit Sacramẽtũ,ut ſit etiam quidam naturalis cõtractus, Eccleſia habuit quandam peculiarẽ poteſtatẽ ſuper Sacramentum Matrimonij,quam non habet ſuper reliqua Sacramẽta,quicquid.n.circa alia Sacramenta præcipit,eſt ſolum neceſſarium neceſſitate precepti,ſed non neceſſitate Sacramẽti, cum Eccleſia non poſſit mutare materias, & formas aliorum Sacramentorum à Chriſto Domino inſtitutas,quæ ſi ſeruentur, relictis etiam omnibus, quę Eccleſia propter maiorem illorum honorem, & reuerentiam à Spiritu Sancto inſpirata poteſtate ſibi diuinitus tradita inſtituit, erunt vera Sacramenta, ut ſi Sacerdos per plateam tranſiens conſecraret panes ibi apud piſtores exiſtentes. at circa Sacramentum Matrimonij poteſt aliquid præcipere, quod ſit neceſſarium etiam neceſſitate Sacramenti, nam poteſt perſonas ad contrahendũ inhabiles reddere, & eorũ conſenſum vanum efficere. Matrimonium etiam, ut naturalis contractus,habuit quædam peculiaria priuilegia, ut ſcilicet ſine ſimoniæ labe poſſit de dote paciſci, & per procuratorem in abſentia contrahi.

Ratio diuerſitatis.

De impedimentis non dirimentibus. Cap. IIII.

ET vt prius loquamur de impedimentis non dirimẽtibus, Primum impedimentum eſt Epiſcopi, uel Parochi prohibitio, donec conſtet de impedimento, quod opponitur. Secundum eſt tempus in quo ab Eccleſia Matrimonij ſolemnitates prohibentur, quod modò eſt à Prima Dominica Aduentus uſque ad Epiphaniam, & à primo die Quadrageſimæ vſque ad octauam Paſchatis incluſiuè, quibus temporibus prohibentur ſolum nuptiarum benedictio,& ſolemnis ſponſę traductio; non tamen prohibentur ſponſalia, nec denunciationes Matrimonij,nec Matrimonium per verba de præſenti,nec etiam cõſummare Matrimonium per copulam abſque ſolẽnitate nuptiarum,& abſque traductione ſolenni in domum,quæ omni tempore fieri poſſunt, cum nullo tempore prohibeantur,ut benè dicũt Caiet. & Nauar. licèt alij ſine neceſſaria ratione negent poſſe conſummari matrimonium. Tertiũ oritur ex ſponſalibus,qui.n. ſponſalia cum una contraxit, non debet matrimoniũ de præſẽti cũ alia cõtrahere,ſine iuſta cauſa,& Iudicis facultate. Quartũ eſt cogna-

Prohibitio.

Tempus.

Spõſalia.

cognatio ſpiritualis,quæ oritur ex catechiſmo, eſt autē catechi- Cognatio
ſmus inſtructio baptizādi ſolēniter à Sacerdote facta,antequam ex cate-
baptizetur,de articulis catholicæ fidei credendis,ex quo oritur chiſmo.
ſpiritualis cognatio inter eaſdē perſonas,inter quas, & ex bapti-
ſmo,ad quē diſponit,licèt nō ſit tātæ uirtutis,quia nō dirimit cō
tractū matrimoniū,& intelligitur reſtricta per Conc. Trid. ſicut
illa,quæ oritur ex Baptiſmo,ut benè probat Nau. Quintū eſt cō- Nauar. in
ſuetudo in aliquibus locis non cōtrahēdi cū aliquibus perſonis, man. c. 22
ſine diſpēſatione.Sextū eſt votū ſimplex caſtitatis,cū quo ſi con- nu. 72.
trahatur,matrimoniū quidē tenebit,ſed præterquam,quod ille, Conſuetu-
qui uotū infringit grauiter peccat,nō pôt etiā petere debitū, niſi do. Votum
cū eo diſpēſetur,& altero mortuo nō pôt iterū cōtrahere,niſi vo ſimplex.
tū fuiſſet ad tēpus,quod trāſactū fuiſſet.Septimū eſt impedimen Crimen.
tū criminis,ſunt.n.ſeptē peccata,ob quę in perpetuū prohibetur
matrimoniū,& ſi aliquis cōtraxerit poſt aliquod ex his ſeptē de
lictis perpetratū,nō obtēta prius diſpenſatione, matrimoniū qui
dē ualet,ſed grauiter peccauit.Primū eſt inceſtus nō ſolū cū affi-
ne,vt aliqui uoluerūt,ſed etiā cū cōſanguineis.Secundū eſt uxo
ricidiū,idem dicendū eſt de uxore occidēte virū. Tertium eſt ra
ptus alterius ſpōſæ. Quartum eſt proprij filij de fonte ſuſceptio
animo ne uxor à ſe debitū petere poſſit.Quintū eſt occiſio Sacer
dotis.Sextū peccatū propter,quod ſolēnis pęnitētia iniūcta,& ſa
cta fuit.Septimū eſt contractus Matrimonij ſcienter cū moniali.

De impedimentis dirimentibus Matrimon.

De impedimentis Erroris, Conditionis, Voti, Criminis, & Diſparitatis cultus. Cap. V.

Omnia impedimēta dirimentia,his verſibus cōtinentur.
Error,Conditio,Votum,Cognatio,Crimen ,
Cultus diſparitas,vis,ordo,ligamen, honeſtas ,
Si ſis affinis,ſi fortè coire nequibis.

In quorum explicatione non ſeruabimus ordinem uerſuum , nam cognationem , & affinitatem vltimo loco reſeruabimus cum in illis ſit diutius immorandum .

Primū impedimentū eſt [Error] .ſ.perſonæ,non autē qualitatis,niſi redundet in errorē perſonæ,ſi ergo intēdenti contrahere cū primogenita,ſupponatur alia,non eſt matrimonium , nec etiā ſi aliquis conſentit in aliquā, quæ ei dicebatur eſſe filia regis, tan quā in filiā regis, quia hic qualitatis error,redundat in errorem De errore

per-

perſonæ, & conſenſum tollit; at ſi in illam abſolutè conſentiret, & exiſtimaret eam eſſe nobilem, diuitem, & regis filiam, cum tamen non ſit, eſſet matrimonium, quia conſenſus eſt in perſonam, & error eſt ſolius qualitatis. 29. q. 1. c. 1.

De conditione ſeruitutis.

Secundum eſt [Conditio] ſcilicet ſeruitutis ignorata, eod. c. 1. vnde ſi liber contraheret cum ſerua, quam ſi ſciret eſſe ſeruam non acciperet, non tenet matrimonium, etiam ſi poſtea dominus eo ignorante ſeruam libertati donet, & ſequatur copula, quia copula eſt uirtute primi conſenſus, at ſi cognita ſeruitute conſentit, uel ſequatur copula, uel tali animo cum ea cõtraxit, ut quãuis tunc ſciuiſſet eam eſſe ſeruam cum ea nihilominus contraxiſſet, eſſet matrimonium, Si autem ſeruus contraheret cum ſerua putans eſſe liberam, teneret matrimonium, quia non fit deterioris conditionis.

De voto.

Tertium eſt [Votum]. ſ. ſolenne Religionis approbatæ, ſiue expręſsè, ſiue tacitè fuerit emiſſum, & cum eo contrahentes ſunt etiam excommunicati, in Clem. 1. de conſ. & affin. Votum autem ſimplex caſtitatis non dirimit, excepto illo, quod emittitur in Religione Societatis nominis Ieſu, ſi à Superioribus eiuſdem religionis non fuerit relaxatum per nouam determinationem Greg. xiij.

De crimine homicidij.

Quartum eſt [Crimen] & duo ſunt crimina, quæ matrimoniũ impediunt, & dirimunt, homicidium, & adulterium, non ſimpliciter, ſed in caſibus ſequentibus. Primus caſus eſt, quando alterius coniugis procuratur homicidium, vt cum altero contrahatur, nam inter remanentem coniugem, & illam tertiam perſonã, quæ homicidium fecit, uel in cuius gratiam factum eſt homicidium, non poteſt in perpetuum eſſe matrimonium, etiam ſi alter infidelis eſſet, & ad eius conuerſionem procurandam patratum fuiſſet homicidium. Iſte caſus communiter ab omnibus ſic limitatur, & in duos diſtinguitur, vt occiſio ſit facta animo contrahẽdi, & utroque eam machinante, cap. laudabilem de Conu. infid. at ſi eſt facta altero tantum machinante, non ſufficit niſi interueniat adulterium, cap. ſuper hoc. de eo, qui dux. in matr. Primam limitationem, quod homicidium ſit factum animo contrahendi canones innuunt, & præcipuè d. cap. laudabilem, quæ tamen intelligenda eſt etiam ſi non ſit data fides de contrahendo, d. cap. Super hoc. At quo ad ſecundam limitationem ſi canones, & eorum ratio perpendantur, uidetur quod occiſio alterius coniugis impediat, etiam altero tantum eam procurante, animo cõtrahendi, licet non interuenerit adulterium, & ita tenet Hoſt. nam li-

cèt

cèt canones pro maiori parte loquantur de adulteris, & ad iudicandum an ſint ſeparandi, dicant uidendum eſſe an alterius coniugis occiſionem ambo, vel alter eorum procurauerit, nunquam tamen inuenitur in iure, quod homicidium ſine adulterio non impediat, & in d.c.laudabilem, ponitur impedimentum homicidij, nulla facta mentione de adulterio; quod etiam ratio perſuadet, nam Eccleſia ideo uoluit adulterium cum promiſſione impedire, & dirimere, ne detur occaſio homicidij, ergo quando inſtituit occiſionem alterius coniugis animo contrahendi cum remanente, uel cum eo in cuius gratiam factum eſt homicidium, eſſe impedimentum dirimens, eſt ſimpliciter intelligendum, & non cum adiunctione adulterij, ne detur occaſio homicidij, ex eo quod cum non interuenerit adulterium, ſolum homicidium non impedit. Separabitur, qui adulterium cum promiſſione de contrahendo commiſit, & non ſeparabitur, qui propriam uxorẽ occidit, uel alterius uirum, ut cum illa contrahat? dicent hoc ideo eſſe, quia canones loquuntur de homicidio adulteri. Eſto, ſed nunquam dicunt homicidium ſolum hac intẽtione factum, non impedire, imo d. cap. laudabilem innuit impedire; Reſpondent, quod homicidium ſolum impedit quãdo ambo ſunt illius cauſa, & probant ex d.cap.laudabilem. Sed hoc ibi non habetur, quod tunc ſolum impediat, & iſta interpretatio eſt contra canones, & eorum intentionem, tota enim ratio prohibitionis, & impedimenti, eſt, etiam ſi alter tãtum occiſionem eo animo procuret. & præterea impedimentum homicidij, non eſt ad euitandum adulterium, ut ſaltem in ſolo homicidio ſiſtatur, ſed adulterij impedimentum, eſt ad tollẽdum homicidium, quare cum homicidium ſit impedimentum, & finis alterius impedimenti, contra canones eſt, quod ipſum ſolum nõ ſufficiat; Impedimentum etiam poteſt eſſe ex patte unius, altero ignorante, & quod uterque illud ſciat, hoc plus operatur, quod neuter bona fide cõtrahit. Secundus caſus eſt adulterium cum promiſſione, etiam ſimplici, quod mortuo altero coniuge, ſimul matrimonio coniungẽtur, uel cum contractu ſecundi matrimonij per uerba de præſenti, Nõ ſufficit ſolum adulterium, nec ſola promiſſio, ſed utrunq; requiritur, ſiue promiſſio, vel ſecundi matrimonij cõtractus præcedat adulterium, ſiue ſubſequatur, ut expræſsè habetur cap. ſi quis. de eo qui dux. in matr. ex quo ſequitur falſam eſſe interpretationem dicentium, fidem datam de contrahendo cum adulterio, tunc ſolum impedire quando eſt cauſa adulterij, nam etiam ſi detur fides poſt commiſſum adulterium nõ poteſt inter adulteros,

Hoſt. in ſũma de eo q. dux. in matr. §. 3.

De adulterio cum promiſsione.

teros,mortuo altero coniuge eſſe matrimonium; Sed requiritur quod uterque ſciat matrimonium, nam ſi uterque probabiliter ignorat matrimonium,quia.ſ.maritus creditur mortuus, cõtrahere poterunt illo mortuo, & ſi alter tantum ignorabat alterius matrimonium,ſi in illo errore, vſque ad mortem illius coniugis permanſerit,& in eo perſiſtens contraxerit matrimoniũ,non propterea eſt matrimonium, nec etiam ob hanc cauſam ſunt omnino ſeparandi,ſed in poteſtate illius,qui matrimonium ignorauit eſt ſeparari,uel in contracto accedẽte nouo cõſenſu ratione nullitatis perſiſtere, ad inſtantiam autem illius,qui matrimonium ſciuit non ſunt ſeparandi,ne lucrum de ſuo dolo reportet cap.1. de eo,qui dux.in matr.Sed hoc intellige dummodo non contraxerit,nec habuerit copulam poſtquam reſciuit.

De cultus diſparitate.

Quintum eſt [Cultus diſparitas,] nam inter baptizatum, & non baptizatum non poteſt contrahi matrimonium, etiam ſi ſit cathecumenus,notanter dixi non poteſt contrahi,nam matrimonium inter infideles contractum,non ſtatim per alterius conuerſionem ſoluitur, nam ſi infidelis vult ſine contumelia creatoris, & ſine ſtudio peruertendi fidelem,cum eo,uel ea cohabitare,nõ ſunt ſeparandi,notanter etiam dixi inter baptizatum, & non baptizatum,quia si sint baptizati,quamuis hæretici,& apoſtatæ, tenet matrimonium,ſed contrahentes peccant mortaliter.

De impedimento violentiæ, An teneat Matrimonium metu contractum. Cap. VI.

Card. in c.Abb. de his quæ met. cau.

SExtum eſt [Vis] ideſt uiolentia,& non ſolum abſoluta,ſed etiam uiolentia per metum.ſ.cadentem in uirum conſtantem,Card.Zab.dicit matrimonium metu contractum tenere ipſo iure, per regulam generalem, quia omnia metu facta tenent,ſed ratione metus eſſe reſcindendum, quæ ſentẽtia eſt contra communem, & falſa, quia ſi eſt uerum matrimonium conſequenter diſſolui non poteſt. Et ut rem ipſam plenè explicemus,& cognoſcamus differentiam,quæ eſt inter Matrimoniũ, & reliquos contractus;notandum eſt,quod metus nõ cauſat ſimpliciter inuoluntarium,ſed ſecundum quid,exempli gratia,cum quis proijcit merces in mare ne periclitetur, certum eſt, quod per ſe,& abſtrahendo à circunſtantijs,nollet illas proijcere,at cõſideratis particularibus circũſtantijs,& quod aliter periculum illud euitare non poteſt, ſimpliciter vult illas proijcere, & proiectio

Differentia inter Matrimoniũ, & alios contractus ratione metus.

iectio eſt ſimpliciter uoluntaria, ob quā cauſā metu geſta cōmu
niter,iure tenent,ſed iudicis officio, actione quod metus cauſā,
veniūt reſcindēda, & aliqui crediderūt eadē ratione tenere etiā
matrimoniū,ꝙ eſt falsū,& ratio differētiæ eſt, qa sunt quædā ge
ſta,& quidā cōtractus in quibus nō requiritur omnino liber cō-
sēſus,ſed ſatis eſt,ꝙ attētis particularibus circūſtātijs, ſit liber,
& volūtarius,& iſti cōtractus iure tenēt, ſed quia poſsēt eſſe ali-
quæ particulares circūſtātię exorbitātes,Iudicis officio,& ꝑ viā
exceptionis pōt reſcindi cōtractus,nō ex cauſa generali,qa ſeclu
ſis particularibus circūſtātijs,id nō eſſet uolitū, ſed ex particula
ri,& indebita circūſtātia. quædā alia sūt, quæ requirūt liberū cō
sēsū,& coactionē excludūt,& iſta ipſo iure ſunt nulla,nō quia nō
sūt volūtaria,nā coacta uoluntas,eſt uoluntas,ſed qa uolūtas nō
eſt libera à coactione, prout exigit natura rei ſuper qua præſta-
tur cōsēſus,huiuſmodi ſunt opera meritoria,ut pænitētia, cōfeſ-
ſio,quæ ſic coacte facta,excludūt meritū, huiuſmodi etiā sūt do
tis promiſsio,prorogatio,& cōceſsio iuriſdictionis,abſolutio ab
excōmunicatione,& alia multa,quæ ponit Abbas,quæ per metū
facta nō tenēt, huiuſmodi etiā eſt matrimoniū;nā inter matrimo
niū,& alia Sacramenta quantum ad pręsens attinet,ſunt duę dif
ferētię,prima,quia alia Sacramenta non fiunt conſenſu ſuſcipien
tis, tanquā parte intrinſeca ſicut matrimoniū,ſed ex materia, &
forma, intentio miniſtri eſt applicans, intentio verò ſuſcipientis
eſt eius diſpoſitio,licèt non totalis;at cauſa proxima, & eſſentia-
lis matrimonij eſt conſenſus cōtrahentiū,ob quā cauſam ad alia
Sacramenta ſufficit intentio,quæ poteſt eſſe cum metu; ad matri
moniū autē requiritur liber conſenſus. Secunda eſt,quia alia Sa
cramēta ſunt ſolū Sacramenta,& non contractus,at Matrimoniū
eſt etiā cōtractus naturalis, ratione cuius Eccleſia pōt cōtrahen
tiū cōsēsū infirmare,& ualidare. Quibus ſuppoſitis dicimus, ma
trimoniū cōtractū metu cadente in uirū cōſtantē eſſe nullū, non
quia nō præſumitur cōsētire,qui ſic cōtrahit, ſed etiā ſi uerè tali
metu cōsētiat,quia cōsēſus nō ſolū uerbalis, ſed ēt internus me-
tu extortus,non ſufficit ad matrimoniū, & hoc probatur primo,
ex propria ipſius matrimonij natura, cū ſit cōtra eius bona, quia
ut inquit Abb,matrimoniū ſignificat unionem inter Chriſtum, &
Eccleſiā, & metus tollit cōiugum vnionē, metus etiā tollit bonū
ſobolis,cū pp diſplicentiā nō intendatur generationi,& tollit bo
nū fidei, nā facilius cōmittuntur adulteria, ergo metus eſt cōtra
oīa bona matrimonij;& cōfirmatur quia matrimoniū eſt indiſſo-
lubile, quod autem coactè fit nō diligitur,& conſequenter facilè

Abb. de his quæ. vi.met. in c.Abb.

Inter Matrimoniū, & alia Sacramenta duæ differentiæ.

Matrimonium metu contractum eſt nullum.

Abb.in c. cum locū de ſpōſal.

etiam contemnitur, & abijcitur. probatur ſecundo ex determinatione Eccleſiæ, ca. Cum locum. ca. Veniens, ca. Conſultationi de Sponſal. & ca. de nuptis, & ca. Si uerum 31. q. 2.

An matrimonium metu contractum validetur iuramento, & de obligatione iuramenti metu extorti.
Cap. VII.

Anteneat ſi iuramé to confirſetur. m

OCcurrit hoc loco dubium de Matrimonio metu cõtracto, & iuramento confirmato, quia iuramentum metu pręſtitum non eſt ipſo iure nullum, ſed eſt obſeruãdũ, uel eſt ab eo petenda abſolutio, etiã ſi accedat contractui inualido, ſatis eſt, quod ſit tale, quod ſine peccato obſeruari poſsit, c. Si uerò. ext. de iureiur. Reſpondetur, quod de iuramẽto metu præſtito Doctores minimè conueniunt, nã Abb. in c. 2. de his, quæ ui. dicit, quod is, qui matrimoniũ cõtraxit per metũ iuramẽto præſtito, tenetur ſtare illi matrimonio, uel ſaltẽ nõ agere cõtra iuramentũ, donec ſibi detur abſolutio per ca. inter cætera 22. q. 4. Et quod iuramentũ metu extortũ ſit validũ, etiã ſi pręſtitũ ſit in contractu inualido, dũmodo ſine peccato ſeruari poſſit, videtur ferè cõmunis ſententia, ita tenent Ioa. Mona. Ioa. And. Domi. Natan. Corne. Iocob. Fort. quos citat, & ſequitur Couar. in 4. decret. p. 2. ca. 3. §. 5. nam licèt quoad metum inferentẽ, iuramentũ in effectu non obliget, quia actus reſcindi poteſt, interim tamen quoad Deum obligat, quia ſatis eſt, quod ſine interitu ſalutis æternæ ſeruari poſſit, d. cap. Si uerò. & hoc idem tenet S. Thom. nec obſtat d. cap. Verùm, ibi enim non dicitur, quod uiolantes iuramenta metu facta non peccent mortaliter, ſed quod in exteriori iudicio ratione metus, & uiolentiæ, non ſunt punien di tanquam pro mortali. Sed Abbas parum ſibi conſtat, nam in cap. cum contingat: de iureiur. diſtinguens, inquit quod iuramẽtum metu extortum in caſu à lege non prohibito, eſt obligatorium, cap. Verum, & cap. Si verò eod. tit. at in caſu à lege prohibito non obligat, cum propter legis reſiſtentiam debeat eſſe ſponte præſtitum, d. cap. cum contingat, quem ſequuntur Alciat. in d. cap. Fel. in c. 2. eod. tit. & Franc. in cap. quamuis pactum de pactis in 6. qui dicunt non eſſe neceſſariam abſolutionem à iuramẽto metu præſtito in cõtractu inualido, Cum autem matrimoniũ metu contractum, ſit ipſo iure nullum, iuramentũ etiam ad illud confirmandũ metu extortum iuxta hanc doctrinã erit nullum.

S. Th. 2. 2 q. 89. ar. 7. ad 3.

Et

Sot. 4. d. 29.q.1.ar. 3.

Et multi ex illis, qui dicunt iuramentum metu præſtitum in contractu inualido valere, excipiunt matrimonium, & Sotus huius exceptionis cauſam reddit, nam ſicut Deus uel eius auctoritate Eccleſia inualidat cõſensũ metu extortũ per uerba de præſenti, eo quod ſi matrimoniũ teneret, nullus pateret locus reſtitutioni, ita etiam eadem ratione ipsum inualidat quocumq; iuramento confirmatum, nam aliàs maneret per iniuriam, ſine remedio ligatus. Sed iſta ratio Soti nulla eſt, quia poſſet petere abſolutionem, nam qui dicunt iuramentum tenere, non propterea dicunt ualidare matrimonium metu contractum, ſed quod tenetur, vel liberè contrahere, uel abſolutionem petere.

Suppoſita pro dubij ſolutione

Vt autem huius dubij exactam ſolutionem habeamus, alia eſt nobis uia incedendũ, nã uiæ quibus Doctores communiter incedunt non ſunt uniuerſaliter ueræ, nõ enim omne iuramentũ metu præſtitũ in cõtractu à lege prohibito eſt nullum, nec omne iuramẽtũ metu præſtitũ, quod ſine peccato ſeruari poteſt, eſt ualidũ. Et ſupponemus duas propoſitiones. Prima eſt, Iuramentum ſortitur naturam, quæ à primordio ineſt actui in quo præſtatur. Secunda eſt, iuramentum non requirit liberã omnino uolũtatẽ, ſed ſatis eſt, quod omnibus cõputatis ſit uolũtariũ, ex quibus facilè ſoluẽtur omnes difficultates, quæ de ualiditate iuramẽti eſſe poſsũt. Dicimus ergo, quod iuramentum de re uana, uel mala in ſe, uel de re, quæ vergit in deteriorem exitũ, eſt nullũ, quia nõ cadit ſuper debita materia, at iuramẽtũ, quod eſt de re, quæ ſine peccato fieri poteſt, etiã ſi ſit lege prohibita, non quia mala in ſe, vel directe cõtra bonũ publicũ, ſed ad fauorem aliquorũ, ut mulierũ, minorũ, vel in odiũ aliquorũ, vt vſurariorũ, & cõſequenter in fauorẽ boni publici, tenet, quia eſt de re, quæ ſecluſa lege fieri põt, ut patet de filia renũciãte paterna hereditate ca. quãuis de pactis in 6. & de promittẽte ſoluere vſuras, c. debitores, extra de iureiur. nã cũ iuramẽtũ nõ cõtineat in ſe aliquã turpitudinẽ ex parte iurãtis, uel ex parte materiæ ſuper qua præſtitũ fuit, nõ poteſt lex impedire quo minus quis ſe obliget Deo, põt quidẽ ad cõmodũ ſubiectorũ, (ut inquit Abb.) impedire obligationẽ que redã homini, ſed nõ obligationẽ quereda Deo. Sed iſta, quę in ſe nõ ſũt mala, & ſine peccato fieri poſsũt, ſũt in duplici differẽtia, quædã ſũt, quæ ad cõtrahẽdã obligationẽ non requirunt liberã omnino volũtatẽ, ſed ſatis eſt, q̃ omnibus cõputatis ſint uolita, & quoad iſta, iuramẽta metu extorta tenẽt, quia ad iuramẽtũ ſufficit ſimplex cõſẽſus, & iuramẽtũ hoc eſt de re cui ſufficit ſimplex cõſẽſus, & inter iuramẽtũ liberũ, & metu extortũ, hæc eſt differẽ-

De iuramenti ualiditate.

Abb. in c. cum contingat de iureiur.

tia, quod à libero ſi eſt de re, quæ in fauorē ſuum cedat, non eſt quis abſoluendus, tum quia quilibet poteſt renunciare iuri ſuo, tum ēt pp reuerentiam iuramenti: at ab extorto quilibet abſoluitur, & hic eſt ſenſus d.c.cum contingat. Alia ſunt, quæ ad cōtrahendā obligationem, liberā à coactione uoluntatē requirunt, & iuramentum de iſtis metu extortum, eſt nullum, quia licèt ſit de re, quæ ſine peccato fieri poteſt, nihilominus res liberū requirit conſensū, uel ex ſe, uel ex determinatione Eccleſię, & iuramentū ſortitur naturā rei cui à principio adhibetur, & propterea iuramētum debet eſſe liberū, ut teneat; ſi res requirit liberū conſenſū ex natura ſua, iuramentum debet eſſe liberū ex natura rei, at ſi requirit liberum conſenſum ex determinatione Eccleſię, iuramētum etiā debet eſſe liberū, cum Eccleſia poſſit non ſolū à iuramentis abſoluere, ſed etiā irritare illa, quæ cōtra eius ordinationem fiunt, huiuſmodi ſunt matrimoniū, profeſſio, uotum, alienatio rerum Eccleſiaſticarū, electio, iuriſditionis tributio, uel prorogatio, abſolutio ab excōmunicatione; de quibus Gloſa, & Abb. in c. Abb. de his, quæ ui. quæ omnia ſine peccato fieri poſsūt, imo cum merito. & tamen metu facta non tenent, & iuramentum metu extortum quo confirmantur, eſt nullum, quia metus externus in uirum conſtantem cadens, ab eis procul eſſe debet.

Quis metus impediat, quid ſit metus cadens in virum conſtantem, & an tali metu poſſit Matrimonium contrahi, & conſummari. Cap. VIII.

Quis metus impediat.

PRo maiori prædictorum explicatione, notandum eſt, quod nō loquimur, de quocumq; metu, nam metus mortis, qui eſt à natura, uel ab aliquo caſu fortuito, non impedit vim promiſſionis, unde votum emiſſum ab ægroto, uel ab exiſtente in belli, naufragij, alteriusue periculi diſcrimine tenet. ſimiliter & matrimonium cum concubina ob idem mortis periculum contractum, quod aliàs contractū nō fuiſſet. Sed loquimur de metu illato, & non de quocumq; ſed de illato ad contrahendum, hac præcisè de cauſa; unde ſi iudex capto iuſtè, & mortem timenti immunitatem offerat, ſi matrimonium cū iudicis filia contraxerit, & aliàs mortem ei iuſtè inferendam comminetur, erit matrimonium, & ſi principis gratia abſque pœna dimittuntur damnati ad mortem, qui aliquam meretricem in uxorem ducunt, ducentes non poſsunt allegare matri-

monium

moniũ eſſe nullũ propter metũ mortis, quia ille metus nõ infertur ad illum cõtractum agendum,ſed potius aufertur,metus autem ad contrahendum illatus impedit,& dirimit, etiã ſi ſit iuſtè illatus,& etiã ſi ille cui infertur dederit causã coactioni, unde ſi quis homicidæ,aut proditori nihil timenti comminetur eum ad iudicẽ delaturum,niſi cum Berta matrimonium contraxerit,matrimonium ſic contractum eſt nullum, quia licèt iuſtè potuerit ad iudicem deferri,tamen ille metus iuſtæ delationis,fuit ad illũ contractũ agendum nihil timenti,illatus.Et qui minatur mortem ei,quẽ cum filia,aut Sorore inuenit,niſi cũ illa contrahat, & ob talem metũ contrahit,matrimonium eſt nullum,quia metus fuit illatus ad contrahendũ,licèt ipſe dederit cauſam.Metus autem ad contrahendum à lege illatus non excuſat, ut eſt lex contra violantem virginem, quia illa pœna apponitur niſi cum ea cõtraxerit,unde contrahens potius liberatur à timore pœnæ, quã ui legis obſtuprum meretur. Et non eſt hoc loco audiendus Abbas in cap.cum terra de elect.qui inquit,metum tunc impedire, quando quis cogitur contrahere cum certa fœmina, ſed non cũ incerta alicuius generis, nam ex eo, quod ex pluribus, & certis fœminis filiabus Simphronij, cogitur contrahere, cum qua maluerit, matrimonium cenſetur liberum;nam vt inquit Couar.licèt aliæ electiones poſſint à lege reſtringi ad duos,non tamen in matrimonio,cum liberum conſenſum exigat, qui liber conſenſus non eſt in matrimonio ſic contracto,nam qui ſic cõtrahit cogitur contrahere cum ea, cum qua ceſſante metu non erat contracturus, quia neutram ex illis uolebat in uxorem accipere, coactus tamen alteram ex illis elegit. Couar. in 4. decret. 2.p. ca. 3. §.5.n.8.

Nec ſufficit quicunq: metus ad contrahẽdum illatus,ſed debet eſſe metus cadens in uirum conſtãtem, & quod metus leuis nõ ſufficiat, habetur in iure ſi non expræſsè, ſaltem à contrario ſenſu, quia canones irritantes matrimonia metu contracta, loquuntur, & exprimunt de metu cadente in uirum conſtantem. Timorem autem cadentem in uirum cõſtantem.S.Tho.cõmuniter receptus ſic definit, eſſe illum quo cogitur quis eligere minus malum, ut euitet maius malum ſibi imminens: vnde timor quo eligitur maius malum ad euitandum minus malum, eſt leuis, qui non cadit in conſtantem uirum. Ex quo ſequitur non eſſe metum cadentem in conſtantem uirum, ſi quis ad euitandã mortem eligeret peccare,non ſolũ mortaliter, ſed etiam ueniali ter,eſſet.n.omninò imprudens,qui mallet peccare,quã ipſã corporis mortem ſubire,cum nullum ſit maius malũ, quã peccatũ. S.Th. 4.ſ. d.29.ar.2. Metus cadens in uirum conſtantem quid ſit.

An poſſit eſſe reſpectu matrimonij.

Quo ſuppoſito oritur dubium, quia uidetur, quod metus mortis quo matrimonium contrahitur, & conſummatur non poſſit cadere in uirum conſtantem, & conſequenter non irritet matrimonium, nam qui metu contrahit, uidetur ſemper eligere peccatum ueniale, quod vult potius committere, quia mentitur dicẽs verbis ſe eam accipere uxorem, quam animo, & conſenſu non accipit. Si autem animo conſentit, ſciens illum conſenſum nullius eſſe momenti, decipit cogentem, Reſpondetur quod metu contrahens non dicit mendacium, quia conſentit, & contrahit quantum eſt ex ſe, ſi autem matrimonium non tenet, eſt ab Eccleſia, quę non recipit matrimonia ſic metu contracta, ob quam cauſã etiam non decipit cogentem, ſed ipſe ſe ipſum decipit. Verum maior difficultas eſt de illo, qui metu mortis non ſolum contrahit; ſed etiam conſumat matrimonium. Sotus in maximas hic redigitur anguſtias, citat Paludanum dicentem per copulam cõfirmari matrimonium, quia non poteſt niſi conſentiens coire, & hoc ei uidetur durum, & dum in utranq; partem loquitur, difficultatem ſine ſufficienti ſolutione relinquit, Sed reſpondetur facile cum Nauarro prædictam definitionem metus cadentis in virum conſtantem, intelligendam eſſe quoad effectum excuſandi à peccato, non autem quo ad iudicandum actum eſſe infirmum, vel infirmãdum tanquam meticuloſum, ad hunc enim effectum qualis ſit timor cadens in uirum conſtantem, prudentis arbitrio definiendum uidetur; Prudens autem huiuſmodi arbitrabitur in primis, illum metum ex ſolo obiecto ſine alijs circunſtantijs, qui ex morte, mutilatione membri, & amiſſione omnium bonorum, ſi magna ſunt, oritur, ſi autem malum imminens nõ ſit adeo graue, illum iudicabit ex circunſtantijs, ſexus, ætatis, fortitudinis, uel fragilitatis, innatæ magnitudinis, uel paruitatis animi, aliorumque accidentium metum paſſi, adeo quod eiuſdem mali metum in uno iudicabit iuſtum, in alio uanum. nullus igitur metus excuſat ab eo, quod eſt peccatum, & peccans quocumq; metu non eſt uir conſtans, ſed tamen quoad reciſionem actus, qui ſine peccato effici non potuit, excuſat & ualet metus, qui prudentis iudicio ſufficiẽs iudicatur, unde qui metu mortis depoſuit falſum, licèt non excuſetur à peccato, tamẽ ille metus ſufficit ad infirmãdum eius teſtimonium, & etiam ad excuſandum eum à pœna ſaltem ordinaria, eadem ratione poterit reſcindi teſtamentum, uel inſtrumentum ob huiuſmodi metum factum, & idem dicimus de illo, qui ſimili metu contraxit, & cõſummauit matrimonium, quod coeundo peccauit mortaliter; & nõ fuit vir

De conſummate matrimoniũ. *Sot. 4. ſ. d. 29. q. 1. ar. 3.*

Nauar. in man. c. 22 nu. 51.

con-

conſtans,ſed quoad irritationem actus, ut non propterea cẽſeatur matrimonium nalidum,metus ille iudicatur ſufficiens, nam de eſſentia matrimonij eſt,quod conſenſus ſit liber,& ſi conſenſus directus in matrimonium metu extortus non eſt ſatis liber, multo minus erit ſufficiens conſenſus indirectus, & per quandã conſequentiam reſultans ex copula eodem metu extorta.

De impedimentis Ordinis, & ligaminis. Cap. VIIII.

SEptimum impedimentum eſt [Ordo] .ſ.ſacer, nam Sacerdos,Diaconus,& Subdiaconus,non poſſunt matrimonium contrahere, & ſi contrahunt non tenet, quia Sacro Ordini annectitur ſolemne uotum caſtitatis. Octauum eſt ligamen alterius.ſ.coniugij,nam uiuente altero coniuge etiam ſi matrimonium non ſit conſummatum non poteſt tranſiri ad ſecundas nuptias, certitudo autem de morte alterius coniugis nõ eſt ſumenda ex annorum numero quibus abeſt,& nihil de eius uita ſciri poteſt,etiam omni diligentia adhibita, ſed ex certo nuncio de eius morte,ca.in præſentia de Sponſal. Verùm ut benè diſtinguit Sylu.ex aliorum etiam quos citat ſententia, maior requiritur certitudo de morte niri, ſi ab Eccleſia petitur licentia tranſeundi ad ſecundas nuptias, quam ſi mulier nõ requiſito de hoc iudicio Eccleſiæ, tanquam uidua tranſeat ad ſecundas nuptias, nam ſi requiratur iudicium,& licentia Eccleſiæ, requiritur nuncius certus de morte,ideſt certa probatio ca.in præſentia de ſpõſal.at ex parte mulieris, ut cum alio contrahere poſſit non requiritur tanta certitudo,ſed ſufficit certitudo, ut opponitur dubitationi,quę poteſt eſſe per præſumptiones uiolentas. & ut inquit Gloſa mulier tribus modis poteſt certificari,ut contrahendo nõ peccet, Primo per famam, intellige quando erat in partibus remotis. 2 quia ſenex erat, & in acie fuit, & per multum temporis abſuit. 3 quia recepit literas eorum cum quibus militauit de eius morte, unde ut ſine peccato contrahere poſſit duo requiruntur. Primo, præſumptiones uiolentæ, 2 firma credulitas, quæ dubitationem tollat. Ex quo ſequitur,quod mulier, quæ nihil audiuit per multos, & multos annos de uiro ſuo iuuene, à turcis capto,nunquam poterit cum alio contrahere,nec illa etiã cuius uir ab ea,uinculo pacis diſrupto,diceſsit,niſi de eorũ morte aliquid certi,uel publicam famam habuerint, quia nõ eſt mi-

Sylu. Matrimoniũ 8 q.13.

Gloſ. in c. quoniam, ut lite nõ conteſt.

Certificatio tribus modis.

rum,quod ipſi nihil eis ſcribãt,& quod ipſe nihil de illis audiãt, & tanquam iuuenes,uel non omninò ſenes diù viuere poſſunt. Et cum matrimonia contrahantur in facie Eccleſiæ Parochi exquirant à uiduis quomodo ſciant mortem ſuorum uirorum: at ſi Parochi ſciunt de eorum morte eſſe violentas ſuſpiciones, & timetur de earum continentia,illas ſine alia inquiſitione coniungere poſſunt,eis credentes,ne videatur, quod de eorum licentia contrahant,uerſa in dubium morte primorum virorum,quia ad eam requireretur,ut diximus certior probatio. Quod ſi poſtea ſit indicium,quod primus uir uiuat,ſi eſt tale, quod credi debeat eum viuere, non poteſt petere, nec reddere debitum, ſi non eſt ita vehemens,& ipſa dubitat,non poterit petere, ſed debebit reddere,ſi ſecundus uir credit eum mortuum eſſe;at ſi indicium eſt leue,vt propterea non dubitet,poterit etiam petere, & ſtent arbitrio boni uiri. Et ſicut Eccleſia antequam contrahatur ſecũdum matrimonium, ſemper preſumit pro primo, & certitudinẽ mortis uiri requirit,ita etiam ſi negligentia parochi, & mulieris nequitia leui indicio de morte uiri contractum ſit ſecũdum matrimonium,non uenit ad illius ſeparationem niſi ei conſtet de vita prioris, quia fortè in rei ueritate primus uir eſt mortuus, & hoc ſecundum tenet,& licèt Eccleſia quo ad ſeparationem certitudinem mortis prioris requirat,non tamen requiritur tãta certitudo quo ad debitum non petendum, ſed ſatis eſt,quod probabiliter dubitetur, ca.Dominus de ſec.nupt.& probabilitas poteſt eſſe tanta,ut nec etiam ſit reddendum, quia Eccleſia ſemper maiori grauitate,& auctoritate procedit.

Parochi ſic agant.

Si poſtea ſit indiciũ de uita.

De *impedimentis publicæ honeſtatis, & impotentiæ, & An Caſtrati poſsint contrahere. Cap. X.*

NOnum impedimentum eſt [honeſtas] ideſt iuſtitia publicæ honeſtatis, & eſt quædam propinquitas ex ſponſalibus proueniens, robur trahens ab Eccleſiæ inſtitutione,propter eius honeſtatem, cum enim ſpõſalia ſint præparatio ad matrimonium,ſicut ex matrimonio cauſatur affinitas, ita ex eis cauſatur quædam propinquitas, ſimilis affinitati,dirimens matrimonium, & ante Concilium Tridentinum hoc publicæ honeſtatis impedimentum extendebatur uſq; ad quartum gradum,etiam ſi ſponſalia eſſent inualida,dummodo non eſſent inualida defectu conſenſus, at modò uirtute decreti Sacri

De impedimento publicæ honeſtatis.

Concilij hoc impedimentum eſt nullum, quando ſponſalia non ſunt ualida; & ubi fuerint ualida. non excedit primum gradum.

Cõc.Trid ſeſſ.24. de Ref. Matr.c.3.

Decimum impedimentum eſt [Si fortè coire nequibis] ſicut enim in alijs contractibus non eſt conueniens obligatio, ſi quis ſe obliget ad id quod dare uel facere non poteſt, ita & in contractu Matrimonij. Iſta impotentia coeundi debet eſſe perpetua, & poteſt eſſe naturalis, & propter maleficium, ad cognoſcẽdum an ſit perpetua, Eccleſia quando aliter non conſtat, per triennium expectat, poſt quod tempus iudicio Eccleſiæ ſoluendum eſt matrimonium, & qui non eſt impotens, poterit cum altera, vel altero contrahere, & ſi poſt triennium Eccleſia ſe deceptam fuiſſe agnoſcit, ad primas nuptias redire cogit, licet ſecundæ de eius licentia fuerint factę. Impotentia ex maleficio, quæ non poteſt tolli niſi per aliud maleficium, cenſetur perpetua, & hęc poteſt eſſe reſpectu unius, & non alterius, & tunc cum altera contrahi poteſt, ſecus de impotẽtia ex naturali frigiditate, quia eſt reſpectu omnium, at ſi impotentia naturalis ſit ex magnitudine membri, & ex arctatione mulieris poteſt eſſe reſpectu vnius, & non reſpectu alterius, quo etiam caſu, cum altero uel altera poterit matrimonium contrahi.

De impedimento impotentiæ.

Quod ſi potens contrahit matrimonium cũ impotente, ſciens eſſe impotentem, ut dicunt Palud. & S. Ant. non poſſunt ſeparari, & eſt uerum matrimonium, & ſibi imputet contrahens cum impotenti, ſi quando eum pœnitet, licèt contrarium dicat Nauarrus, nam quamuis hoc impedimentum dirimat matrimonium, intelligitur tamen quando ignoranter cum illo contrahitur, quia cum ſit contra præcipuum finem matrimonij, virtualiter tollit conſenſum, at ſi ſcienter contrahitur non tollit conſenſum, & copula, & filiorum procreatio, ita eſt præcipuus finis matrimonij, vt non ſit ipſe ſolus, nec neceſſario requiſitus, poteſt enim matrimonium contrahi propter ſolam vitæ ſocietatem, & coniunctionem, & unionem animorum, & erit uerum Sacramentum: nam aliàs inter Glorioſiſſimam ſemper Virginem Mariam, & Ioſeph non fuiſſet uerum matrimonium, quare meritò Syluester, qui cõtrarium dixit, ſtatim eadem quæſtione mutauit ſententiam, ad quod facit cap. conſultationi. de frig. & malef.

Palu. 4. ſ. d.34. q.2: S.Ant.3.p tit.1.c.12. §. 3. Sylu. Matrim.8. q. 16 §.2.

Sed dubiũ eſt de caſtrato, qui caret utroq; teſticulo, & uirgã erigit (nã ſi careat altero tantum teſticulo, certum eſt, quod poteſt contrahere, cum ſeminet, certum etiam eſt, quod ſi non erigit virgam, aut illa caret, non poteſt matrimonium contrahere propter copulam, ſed ſolum propter ſocietatem, altera conſentiente,

tiente,ut ſint tanquam ſoror,& frater,quo caſu abſtinere debēt à tactibus impudicis, propter quorum periculum non ita facilè eſt illis concedenda iſta ſocietas.) Communior Theologorū, Canoniſtarum,& Summiſtarum ſententia eſt, quod ſi non ſeminat non poteſt Matrimonium contrahere,etiam ſi uirgam erigat & fœminam prouocet,eique ſatisfaciat, & Sotus dicit contrariā ſententiam eſſe errorem intolerabilem,quia ubi non eſt ſeminatio non fiunt coniuges una caro,& Palud.aliam addit rationem, quia ubi non eſt ſeminatio non contrahitur affinitas. Sed cum nulla de hoc ſit Eccleſiæ determinatio contraria ſententia mihi vera,& tenenda uidetur,quæ eſt Gloſæ in c.hi qui.23.q.7.ubi inquit ſi habet virgam erectam,ſiue reſoluat ſperma, ſiue non, eſt ibi matrimonium,nam talis ſatisfacit mulieri ſicut mulier ſatisfacit viro ſiue reſoluat,ſiue non,nec requiritur, quod ſemper in matrimonio ſit filiorum procreatio,quia ſufficit,quod non euitent prolem; hæc Gloſa. Idem tenet Aſtenſis. Et antequam ad noſtræ ſententiæ probationem deſcendamus, explicanda prius eſt,non enim ita abſolutè loquendum eſt cum Gloſa,propterea notandum eſt, quod carentia teſticulorum ei cui uirga erigitur partim eſt impedimentum, partim non, eſt impedimentum, quia cum talis non poſſit ſeminare eſt ineptus ad generandum, & cum generatio ſit præcipuus finis matrimonij,illius ignorantia tollit conſenſum mulieris,& cauſat inuoluntarium, nam poſt contractum matrimonium, mulier cognito viri impedimento, quod antea ignorauit,poteſt opponere,quod vult fieri mater, & inſtare pro ſeparatione, & cum altero contrahere. At cum filiorum procreatio non ſit ſolus finis matrimonij,ſi mulier antequā contraheret ſciuit impedimentum, uel poſtquam ignoranter cō traxit,illo cognito,non curat effici mater, ſed peccatum euitare & vult cum illo permanere,matrimonium tenet,& poſſunt ſimul coniungi. Et probatur primo,quia Matrimonium non ſolum eſt inſtitutum propter generationem, ſed etiam in remedium peccati,& propter hunc ſolum finem (dummodo non uitetur generatio) contrahi poteſt,27.q.2.cap.ſolet, Sed huiuſmodi caſtrati habent tentationes carnis,& cum fœminis ita coniungi poſſunt, ut eis etiam in remedium concupiſcentiæ ſatisfacere poſsint, ergo poterunt cōtrahere matrimonium cum illis mulieribus,quæ non curant effici matres, ſed ſolum remedium concupiſcentiæ quærunt. probatur ſecundo,ex canonum intentione, quia extra de frig.& maleſ.dicitur impotentiam uiri,qui contraxit cum virgine,probandam eſſe inſpectione honeſtarum mulierum, ut uidac-

Gloſ.

Aſt. lib.8. tit. 18.

deatur an ſit uirgo,& integrum clauſtrum uirginale,ubi nihil de ſeminatione, ſed ſemper Canones uidentur intelligere hoc uiri impedimentum,quod non poſsit ſatisfacere uxori, quoad actũ in remedium peccati,ſi mulier non curat effici mater; & ad rationes incontrarium reſpondetur, quod per commixtionem efficiuntur una caro, & etiam quia ſibi inuicem tradũt poteſtatem corporis ſui, ratione cuius poteſtatis per matrimonium ratum, & non conſummatum contrahitur etiam affinitas dirimens,uſq; ad quartum gradũ,ut declarauit Pius.V.in extra. Ad Romanũ.

De impedimentis Cognationis Spiritualis, & Legalis. Cap. X I.

DVæ ſunt cognationes impedientes,Spiritualis, & Legalis, Cognatio ſpiritualis eſt perſonarum attinentia, quę ex ſtatuto Eccleſiæ oritur ratione Baptiſmi, & Confirmationis,ſicut enim per carnalem propagationem,qua accipitur eſſe naturæ contrahitur uinculum naturale amicitiæ, ita per Sacramenta,quæ ſunt uelut natiuitas eſſe gratiæ.ſ. per baptiſmum,qui correſpondet natiuitati in utero, & Confirmationem,quæ correſpondet natiuitati ex utero,tunc enim homo tan quam fortis exponitur externis periculis, contrahitur ſpiritualis cognatio,in qua eſt pater,mater, & filius, per ſimilitudinem ad naturalem generationem. & hęc cognatio ante Concilium Tridentinum erat triplex,paternitatis.ſ.compaternitatis, & fraternitatis,Sed per Cõciliũ fraternitas eſt ſublata,& paternitas,& compaternitas reſtricta, ut hæc cognatio non egrediatur baptizantem,ſeu confirmantem,& baptizatũ ſeu confirmatum,& tenẽtem illiuſq; patrem,& matrem,& quod unus tantum,ſiue uir,ſiue mulier,uel ad ſummum unus,& vna baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant,& ſi ultra deſignatos alij baptizatum tetigerint, nullo pacto ſpiritualem cognationem contrahant, Virtute cuius decreti modo cognatio ſpiritualis non tranſit ex uiro in uxorem, uel è contra ſicut prius tranſibat poſt conſummationem matrimonij. Poſſet autem hic ſuboriri dubium, an quando culpa parochi,uel alterius in neceſſitate baptizantis, nulli deſignantur in patrinos,omnes tangentes baptizatum fiãt cognati iuxta ius antiquum, ad quod Nauarrus affirmatiuè reſpondet, quia non eſt recedendum à iure antiquo niſi quoad excepta in nouo, & Concilium uidetur loqui quando deſignantur aliqui. Dubitari etiã hoc

Cognatio ſpiritualis

Quotuplex ſit & interquos contrahatur.

Seſſ. 24. de refor. mat.c.2.

Dubium cum ſolutione.

Nau.c.22 nu.39.

An cõtrahatur per procuratorem. hoc loco poſſet, an hæc cognatio poſſit contrahi per procuratorem,& communior Doctorum ſententia videtur,quod non, ſed nolo in hoc immorari,ſolum dicã, quod vſus videtur in contrarium,& quod matrimonium poteſt contrahi per procuratorem.

De baptizato domi. Illud quoq; eſt hoc loco notandum,quod quãdo puer domi baptizatus fertur ad Eccleſiam,ut omiſſæ ſolennitates ſuppleãtur, ſicut hoc ſecundum non eſt Sacramentum, ſed catechiſmus, cũ exorciſmo, (non enim reiterantur ablutio,& forma,& reiterata etiam non tenerent,) ita etiam non contrahitur hæc cognatio matrimonium dirimens, ſed cõtracta fuit per baptiſmum domi collatum. Quid ſi Matrimonio ſuperueniat. Quando impedimentum dirimens ſuperuenit matrimonio iam contracto,non dirimit illud, ſed illius uſum impedit,at hoc impedimentum in ſauorem baptiſmi,ne infantes ſine illo moriantur, ſi ſuperuenit propter neceſſitatem, uel propter ignorantiam facti,aut iuris,non tollit petitionem debiti,at ſi præceſſerit,matrimonium dirimit, unde pater in neceſſitate baptizans filium ſuum ex fornicatione ſuſceptum, non poteſt contrahere matrimonium cum illius matre.

Cognatio legalis q͠d ſit. Cognatio legalis eſt propinquitas ex alicuius adoptione in filium proueniens, cum enim ars imitetur naturam, poteſt quis ad ſupplẽdum filiorum defectum,aliquem ſibi in filium aſſumere,& triplex eſt cognatio legalis matrimonium dirimens. Quotuplex, & vſq; ad quẽ gradũ impediat. Prima eſt aſcendentium,& deſcendentium, inter patrem adoptantem, & filium filij,& nepotis ac neptis,quæ eſt perpetua,non enim ſoluitur per emancipationem,nec per ſolutionem adoptionis, & dirimit matrimonium, uſque ad quartum gradum. Secunda eſt quaſi trãſuerſalis.ſ.inter adoptatum, & filios naturales adoptantis,durante adoptatione, & filio naturali exiſtente in poteſtate patris, & non alias, quæ tamen non eſt (quicquid dicat Sylu.) inter adoptatum,& filios filij naturalis adoptantis,nec è contra, nec etiam inter filios adoptati, & filios, ſeu filias filij naturalis adoptantis.Inſt.de nupt.§.'eius uerò. Tertia eſt quædam legalis affinitas,inter uxorem adoptati,& adoptantem, & inter adoptatum,& adoptantis vxorem,quæ perpetuò durat ſicut,& prima, quare inter adoptantem,& matrem adoptati,etiam uiuẽte filio, & inter adoptatum, & matrem adoptantis, & inter filium naturalem adoptantis, & filiam adoptati, poteſt eſſe matrimonium, quia inter eos non eſt legalis cognatio,& ſi pater uoluerit filiam ſuam naturalem in uxorem filio ſuo adoptiuo tradere, debet filium,uel filiam emancipare,ut illa cognatio ſoluatur.

De

De Impedimentis conſanguinitatis, & affinitatis. & an impedimentum rectæ lineæ ſit perpetuum, & de duobus generibus affinitatis ſublatis.

Cap. XII.

Conſanguinitas (quæ in illis uerſibus fuit ſub affinitatis nomine comprehenſa) eſt uinculum ſanguinis aliquorum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagine, ob quam cauſam non reperitur in brutis, cuius sũt tres lineæ, aſcendentium. ſ. deſcendentium, & collateralium, Gradus inter aſcendentes, & deſcendentes multiplicantur ſecundum numerum perſonarum, ita quod tot ſunt gradus, quot perſonæ dempto ſtipire, cum enim gradus ſit diſtantia, & diſtantia non ſit eiusdem à ſe, pater ſolus non faciet gradum, ſed eius reſpectu deſcendendo filius, & filia sunt in primo gradu, nepos, & neptis in ſecundo, pronepos, & proneptis in tertio, abnepos; & abneptis in quarto, Aſcendendo pater, & mater ſunt in primo gradu, auus, & auia in secundo, proauus, & proauia in tertio, abauus, & abauia in quarto, quæ duæ lineæ diuerſificantur ſolum in modo computandi incipiendo à poſterioribus, uel à prioribus, ſed realiter ſunt una recta, in qua ius ciuile, & canonicum concordant, ſed differunt in collaterali, ſeu tranſuerſali, nam ius ciuile (ut habetur 35. q. 5. cap. ad ſedem) diſtinguit gradus propter adeundam hereditatẽ, ius uerò canonicum propter nuptias, & quia nuptiæ non poſſunt eſſe niſi inter duas perſonas, ideo duæ perſonę faciunt unum gradum, at quia hæreditas defertur de una perſona ad aliam, ſecũdũ ius ciuile, una perſona facit unũ gradũ, & iuxta perſonarũ numerũ ſumuntur gradus. Sed relicta legũ ciuilium cõputatione; pro gradibus cõſanguinitatis in linea tranſuerſali ſecundũ canones duæ ſunt regulæ. Prima eſt ſi perſonæ de quibus quæritur æqualiter diſtant à communi ſtipite, quoto gradu quælibet earum diſtat à communi ſtipite, toto gradu diſtant inter ſe, uel ſibi attinent, ut duo fratres ſunt in primo gradu, horum filij in ſecundo, filiorum filij in tertio, &c. Secunda eſt ſi perſonæ de quibus quæritur diſtant in æqualiter, quoto gradu remotior diſtat à communi ſtipite, toto diſtant inter ſe, & ſibi attinent, unde cum duo fratres ſint in primo gradu, filius unius fratris diſtabit à reliquo fratre ſecundo gradu, & filius filij tertio, & è contra frater, qui à communi principio diſtat ſolum uno gradu, à ſi-

Conſanguinitas quid.

Eius lineę & gradus.

Differẽtia inter ius ciuile, & canonicũ.

Duæ regulæ pro gradibus trãſuerſaliũ.

à filio fratris diſtabit ſecũdo gradu, & à filio filij tertio, nam filius eo gradu diſtat à communi principio,& ratio eſt,quia nõ poteſt eſſe vicinior alij deſcendenti à communi principio, quam ipſum principium,propter quod eſt ei vicinus.

Affinitas quid ſit.

Affinitas eſt propinquitas perſonarum ex carnali copula proueniens,omni per ſe carens parentela, nam per accidens poſſunt licitè,& illicitè permiſceri,conſanguinitas conſanguinitati, affinitas affinitati,& conſanguinitas affinitati; Et non prouenit affinitas ex quacumque copula, ſed ex perfecta, qualis eſt illa ſola per quam ſemen viri in vas fœminæ naturale ad generandũ mittitur,& prouenit ex omni huiuſmodi perfecta copula, ſiue ſit licita,vt in matrimonio,ſiue illicita,ut extra matrimoniũ; per carnalem enim copulam vir,& mulier vna efficiuntur caro.

Contrahitur etiam per matrimonium non cõſumatum.

Contrahitur etiam affinitas per matrimonium per uerba de præſenti ante copulam,ratione ſocietatis cõiugalis, licèt aliqui voluerint hanc propinquitatem potius pertinere ad iuſtitiam publicæ honeſtatis,cum non fuerit per copulam contracta,certum eſt enim per matrimonium ratum,maius uinculum cõtrahi,imo alterius generis,quam per ſponſalia, cum ſponſalia non niſi uirtute matrimonij impedimentum cauſent, cum ergo non detur medium inter publicam honeſtatem,& affinitatem;propinquitas,quæ naſcitur ex matrimonio rato,affinitatis nomen obtinebit, cui non obſtat, quod coniuges vna caro efficiuntur per carnalem copulam,quia in matrimonio rato, traditur facultas corporũ ad eandem copulam, per quam etiam coniuges dicuntur fieri una caro. Accedit,quod hæc propinquitas orta ex matrimonio rato, & non conſummato,non reſtringitur per Cncilium Tridentinũ ad primum gradum, ſicut iuſtitia publicæ honeſtatis, ſed impedit,uſque ad quartum gradum, ſicut affinitas matrimnnij conſummati,prout etiã declarauit Pius V.in extrauag. ad Romanũ.

Eius gradus quomodo ſumantur.

Gradus affinitatis ſumuntur eodem modo quo,& gradus cõſanguinitatis,nam omnes conſanguinei uxoris meæ,ſunt mihi affines in eodem gradu, in quo ſunt illius conſanguinei; & ſimiliter omnes consanguinei mei, ſunt affines uxori meæ in eodem gradu,in quo mihi ſunt conſanguinei;& ita ſoror uxoris meę, eſt in primo gradu,illi quidem conſanguinitatis,mihi uerò affinitatis,filia ſororis,illi eſt in ſecundo gradu cõſanguinitatis, & mihi in ſecundo affinitatis, & ſic de cæteris. Conſanguinei autẽ mei, & uxoris meæ, nullo modo inuicem ſunt affines, nec inter eos matrimonium prohibetur, unde duo fratres contrahunt cum duabus ſororibus,& pater,& filius,cum matre,& filia.

Con-

Conſanguinitatis,& affinitatis impedimentum, extenditur ſolum,uſque ad quartum gradum,ultra quem liberè poſſunt ſine ulla diſpenſatione matrimonia contrahi, etiam ſi ſint in quarto, & quinto,nam attenditur gradus remotior. Verùm, quod de affinitate diximus intellige quando oritur ex copula licita,nam ſi oritur ex illicita,Sacrum Concilium Tridentinum ſtatuit, ut illius impedimentum non excedat ſecundum gradum, Quando etiam dicimus Conſanguinitatis, & affinitatis impedimentum non excedere quartum gradum intelligendum eſt ſolum reſpectu lineæ tranſuerſalis,nam in linea recta nullus ſtatuitur terminus,ſed impedimentum eſt perpetuum,quia naturali iure, in ea matrimonia contrahi non poſſunt, ſi enim natura reſpuit matrimonium inter filiam, & patrē, eſt quia naturaliter filia ſubditur patri,cui honorem,& reuerentiam debet, ergo multo magis reſpuet matrimonia inter filiam, & abauum, & omnes alios ſuperiores aſcendentes, quantumuis remotiſsimos, imo quanto remotior,& antiquior eſt,tanto ei maiorem ſubiectionem, & reuerentiam exhibere oportet, ob quam cauſam dici ſolet, & benè, quod ſi Adam uiueret,cum nulla poſſet contrahere; quia eſt omnium pater,& ei ſumma reuerentia deberetur. Et quamuis Sotus oppoſitum probare conetur,nos tamen eius rationibus conſideratis,in noſtra ſentētia perſiſtimus, quibus ut ſatisfaciamus dicimus,quòd licèt hominum ingratitudine, amicitia inter aſcēdentes,& deſcendentes nimium diſtantes euaneſcat,non tamen ob id tollitur naturale ſubiectionis,& reuerentię debitum, & licèt propinquius ſe ſanguine contingant in octauo gradu exiſtentes in linea tranſuerſali,quam in milleſimo in linea recta, maius tamen eſt ſanguinis vinculum, & maior ex eo conſurgens obligatio in linea recta,cum enim in ea ponantur ſoli patres, & filij, & filius ſit aliquid patris, conſequenter ſumus filij Adæ, & aliquid eius,ob quam cauſam Chriſtus,ut homo dicitur filius Dauid,& factus ex ſemine Dauid, quæ ratio ceſſat in linea tranſuerſali,cum in una linea exiſtentes,non accipiant eſſe ab alijs in altera linea exiſtentibus,matrimonium ergo in recta linea, quantacunque exiſtente diſtantia,eſt cōtra naturam, cum uxor per matrimonium uiro ſuo ſocia, & æqualis efficiatur, & illi tradatur poteſtas corporis uiri,ſicut & ſui,uiro, & in recta linea ſocietas, & æqualitas naturaliter repugnet,ob quam cauſam lex ciuilis in recta linea nuptias tanquam naturę contrarias in infinitum prohibuit Inſt. de Nupt. §. inter eos. At qui contrariam ſequuntur ſententiam, dicunt hanc legem fuiſſe correctam à iure Canonico,

Vſque ad quem gradum impediant.

Cōc. Trid ſeſſ. 24. de reſor. c. 4.

An in recta linea impedimentū ſit perpetuū.

Sot. 4. d. 40. q. unica ar. 3.

co, dum ſeptem conſanguinitatis gradus prohibuit 35.q.5.c. ad ſedem, & poſtea conſanguinitatis, & affinitatis impedimentum, ad quartum gradum reſtrinxit, c.non debet.de conſang. & affin. Sed ſi diligenter aduertant facilè cognoſcent in quanto errore uerſentur, nam cum ius Canonicum correxerit ius ciuile, & ius ciuile duo matrimonij impedimenta in conſanguinitate conſtituerit, alterum perpetuum in recta linea, alterum uſq; ad quartum gradum, in linea transuerſali, ſi perpetuum, & infinitum rectæ lineæ impedimentum ius canonicum ſuſtuliſſet, eius procul dubio mentionem aliquam feciſſet, maximè quia, ut naturale fuit inſtitutum, quare cum nullam eius mentionem fecerit, de ſola ciuili graduum tranſuerſalis lineæ limitatione, Summus Pôtifex locutus eſt, & eam uſque ad ſeptimum gradum extendit. Quod etiam ex eo patet, quia expræſsè loquitur, de linea tranſuerſali, loquitur enim de illis gradibus, in quorum computatione ius ciuile propter ſucceſſionem in hæreditate, differt à iure canonico, & in illis terminum conſtituit, certum eſt autem illos gradus eſſe lineæ tranſuerſalis, de quibus ſolis uerificatur id quod dicit, extra ſtatutum terminum nullam eſſe conſanguinitatem, ſicut nec nomina reperiuntur, quia laterales lineæ, non coniunguntur niſi ratione communis principij, & quo magis protrahuntur, maiorem diſtantiam non ſolum a communi principio, ſed etiam inter ſe conſtituunt, ita ut ad diuiſionẽ tendant, & uitæ ſocietatem quodammodo tollant, quod de gradibus rectæ lineæ etiam in infinitum diſtantibus, dici non poteſt, nã præter deſcendentiam à communi patre, eſt etiam continua ſucceſſione, & ſeminum transfuſione, identitas quodammodo ſanguinis in omnibus gradibus rectæ lineæ, quæ non ad diuiſionem, ut transuerſalis, ſed ad idem eſſe perpetuandum inſtituta uidetur, quod ut perpetuari poſſet, tranſuerſales lineæ à natura inſtitutæ ſunt, quare recta linea iuri naturali, quoad omnes gradus ſubijcitur, & diſpoſitioni iuris poſitiui minimè ſubditur; quibus etiã accedit, quod ubicumque in iure de graduum limitatione fit ſermo, non niſi de linea tranſuerſali ponuntur exempla, nec unquã in recta linea legi fuiſſe ab Eccleſia diſpenſatum. Concludamus igitur hoc affinitatis, & cognationis impedimentum quoad lineam tranſuerſalem non excedere quartum gradum, quamuis prius in ſeptimo terminaretur.

Duo affinitatis genera ſublata.

Circa affinitatis impedimentum notandum eſt, quod ſecundum iura antiqua erant tria affinitatis genera, quę non habebãt propria nomina, ſed dicebantur, Primum, Secundum, & Tertiũ

genus,

genus,vt ſic Doctores diſtinguerent diuerſos caſus affinitatis, de quibus loquebantur canones 35.q.3.quia illa diuerſitas non mutat gradum, ſed genus attinentiæ. Primum genus ſurgit ex conſanguinitate,& prima carnis coniunctione, ut ſi frater tuus contrahat Matrimonium cum Maria, ipſa eſt tibi affinis in primo gradu ſicut, & frater tuus eſt tibi coniunctus in primo gradu conſanguinitatis, & omnibus conſanguineis tuis, eo gradu affinitatis ipſa eſt eis coniuncta,quo ipſi ſunt tibi coniuncti conſanguinitatis, ipſius autem conſanguinei licèt non ſint affines conſanguineis uiri, ſunt tamen affines ipſi viro, & è contra conſanguinei uiri, ipſi uxori. Et hoc impedimentum non eſt ſublatum, ſed durat & de eo locuti ſumus. Secundum genus ſurgit ex conſanguinitate,& ſecunda carnis commiſtione, ut in eodem exemplo ſi alius tibi, nec affinis, nec conſanguineus coeat cum dicta Maria, uel mortuo fratre tuo, cum illa contrahat eſt tibi affinis in ſecundo genere,& in primo gradu,ſicut erat frater tuus,& eſt Maria. Tertium genus ſurgit ex tertia carnis commixtione, ut in eodem exemplo ſi mortuo ſecundo uiro, alius coniungatur dictæ Mariæ, uel mortua Maria, ille ſecundus uir, aliam in uxorem ducat,ille tertius uir, uel ſecunda illius vxor, eſt tibi affinis tertio genere affinitatis, quia per tertiam copulam,ſed in primo gradu; ſicut tibi erat frater tuus, nam regula eſt,quod perſona addita perſonę, per carnis copulam, non mutat gradum,ſed genus attinentiæ; iſta duo poſteriora genera affinitatis fuerunt ſublata per Cap.Non debet, de conſ. & affin. Ex quo deciduntur cum Sylu. multi caſus notandi, ut ſi Petrus habuit ſucceſsiue duas uxores Bertam.ſ.& Mariam, & ex Berta genuit Margaritã filiam, quæ nupſit Martino,mortuis Petro Berta, & Margarita,Martinus poterit ducere in uxorẽ Mariã ſecundam vxorem Petri, & ſic eſt caſus in quo gener põt accipere eã, quæ fuit uxor ſoceri ſui. Et mortua uxore mea poſsũ accipere illam, quæ fuit uxor fratris uxoris meæ,& ſic cognata uxoris meæ. Nã licet nõ poſsim accipere aliquã de conſanguinitate uxoris meæ mortuæ,vſq; ad quartũ gradũ,poſſunt tamẽ accipere illam, quæ olim fuit uxor alicuius de cõſanguinitate primę uxoris meę.Similiter etiam ex parte uxoris,nã licet mortuo uiro non poſſit accipere aliquem de conſanguinitate primi uiri vſq; ad quartum gradum,poteſt tamen accipere virum, qui olim fuit maritus alicuius fœminæ de ipſa conſanguinitate, quia ibi non eſt affinitas primi generis, quod adhuc durat, ſed ſecundi, uel tertij, quæ ſunt ſublata,& non amplius impediunt.

V De

De Matrimonio nullo propter aliquod impedimentum, & quomodo obtenta diſpenſatione ſit iterum contrahendum. Cap. XIII.

SI matrimonium propter aliquod impedimentum fuit nullum, neceſſaria eſt diſpenſatio, ſine qua coniuges ſimul eſſe non poſſunt, & ſtatim cognito impedimento ſeparari debent. &, ut diſpenſatio teneat, vt inquit Couar. ex Nau. neceſſarium eſt exprimere an ſcienter cõtraxerint, & an eo animo, vt facilius cum eis diſpenſetur. Obtenta diſpenſatione ob nullitatem, iterum contrahere debent, Et ſi impedimentum eſt notorium, cum publicè conſtet matrimonium illud eſſe nullum, publicè etiam ſecundum formam à Sacro Concilio Tridentino traditam contrahendum eſt; At ſi eſt occultum, ſufficiet mutuus conſenſus, nec erit amplius neceſſaria parochi, & teſtium præſentia, nam eorum præſentia Sacrum Concilium hac de cauſa eſſentialiter requiſiuit, ut matrimonia Eccleſię conſtent; at cum Eccleſia non iudicet de occultis, hoc matrimonium, quod in eius facie contractum fuit, firmum, & ratum eſſe iudicabit, quia exiſtente impedimento occulto, oppoſitum ei non conſtat, nec conſtare poteſt, ad quod ea inducor ratione, quia cum iam ſatisfactum fuerit Eccleſiæ intentioni, ceſſat obligatio pręcepti, & quia ſe aliàs infamarent, Accedit etiã, quod Nauarrus dicit Pium V. ita declaraſſe, & Sacrum Pœnitentiariæ Prætorium frequenter ea delaratione uti. Notandum eſt hoc loco cum Nauarro ex Innoc. & Scoto, quod ut matrimonium inter ignorantem impedimentum, & ſcientem, ualere incipiat, non ſufficit ceſſatio impedimenti, & nouus conſenſus ſcientis, ſed neceſſe eſt, ut ignorans denuo conſentiat, poſtquam ei notum fuerit interueniſſe impedimentum, ratione cuius matrimonium non valuit, & in eius poteſtate ſit renuere ſi uoluerit, non tamen uidetur neceſſarium ei notificare impedimentum in particulari, ſed ſatis eſt in genere ei dicere matrimonium ob aliquod impedimentum non valuiſſe, & quod non cogatur ad denuo contrahendum, imo ut ex Caiet. inquit Nauarrus, quando non conuenit impedimentum in particulari manifeſtare, ſatis eſt tunc gratiosè dicere, ſuſpicor te nõ eſſe maritum meum, aut uxorem meam aliqua de cauſa, ideo rogo te, cauſa tranquillitatis conſcientiæ meæ, & conſolationis, ut ſi, & quatenus opus fuerit, denuo nos pro cõiugibus habeamus.

Couar. in 4. decret. p.2.c.6.§. 10. n. 14.

Nauar. in manu. ca. 22. n. 70.

Nau. ibid. nu. 47.

Quid

Quid faciendum ſit quando ſine periculo famæ, & vitæ non poteſt peti nouus conſenſus. Cap. XIIII.

SEd dubium eſt, quid agẽdum ſit, ſi occurreret caſus, in quo obtenta diſpenſatione, non poſſet ſine euidenti periculo vitæ ſuæ, & aliorum, exquiri etiam indirectè alterius conſenſus, & caſus ſit iſte poſſibilis, quidam diù abſuit, & reuerſus inuenit domi ſororem, quam putat ancillam, cum ut talem illam eius mater teneret ad celandum peccatum ſuum, & illam, non obſtante matris contradictione, in uxorem duxit, mater poſt contractum matrimonium non permiſit eos in bona fide perſeuerare, ſed filiæ ſuæ impedimentum ſignificauit, ex quo illa conſiderans, quam humaniter fuerit ſemper ab ea tractata, non dubitat quin ſit eius filia, & occultè diſpenſationem ſuper impedimento à Summo Pontifice obtinuit, interim eius frater, & maritus, illam, & matrem odio habuit, nec poteſt pati illarum mores, ob quam cauſam intra ſe cogitans, eſt ferè certa, quòd ſi ab eo petit, an ita illam diligat, quod ſi non duxiſſet in uxorem tunc duceret, ut ſic poſt diſpenſationem illius conſenſum in matrimonium habeat, quod non ſolum negabit, ſed etiam ſuſpicabitur, quòd hoc dicat propter aliquod occultum impedimentum, & cum ſciat nullum poſſe eſſe impedimentum, niſi peccatũ matris; quia cum ſemper abſuerit, nec habeat conſanguineos propinquos, non cognouit aliquam mulierem, & illa non potuit à ſuis cognoſci, illam & matrem occidet; quid igitur illi faciendum eſt? nam conſenſus eſt de eſſentia matrimonij. Ponitur caſus.

Dubium certè eſt ſummi momenti, & mallem alios audire, quam aliquid dicere, ſed cum Doctores (quod ſciam) illud nõ tractent, ſaluo meliori iudicio, dicam quid ſentiam, Credo quod Summus Pontifex in ſimili caſu poſſit etiam diſpenſare, concedere, & declarare, quòd ſufficiat ille tacitus conſenſus, quo uir ad illam, ut ad propriam coniugem accedit. Et probatur primo, quia vigore huius taciti conſenſus, per carnalem copulam, antequam eſſent ſublata matrimonia clandeſtina, ſponſalia tranſibant in matrimonium, nec ulla in contrarium admittebatur præſumptio, etiam ſi vir poſtea cum alia per uerba de preſenti contraxiſſet in facie Eccleſiæ, per quod ſatis uidetur preſumi, quod illa copula non fuerit affectu maritali, & nihilominus Eccleſia non admittebat hanc præſumptionem, ſed cogebat redire ad primam, cap. is qui. de ſponſal. ergo multo magis Solutio difficultatis.

poterit Eccleſia declarare, quòd in caſu prædicto ſufficiat ille tacitus,& uirtualis conſenſus, tū quia perſeuerat in illa bona fide, & nō poteſt præſumi,quòd copula ſit affectu fornicario, ſicut poterat præſumi de copula habita poſt promiſſionem de contrahēdo, ſi poſtea cum alia contrahebatur in facie Eccleſiæ per uerba de præſenti,tum etiam propter dictum periculum,quod aliàs ſequeretur, ratione cuius cum iam ille liberè contraxerit coram Deo, & Eccleſia,poterit Papa occultum impedimentum remouere,& declarare,quòd ille conſenſus virtualiter perſeuerās, ſufficiat.quod etiam probatur ſecundo,quia conſenſus iā præſtitus in tali caſu,à iure naturali ſuperueniente cōfirmatur, & corroboratur,ut non ſit opus illum denuo formaliter renouare. Pro quo notandū eſt,quòd quando duo iura concurrunt, ſemper fortius præualet;iura hic concurrentia ſunt,Primū ad matrimonium iure naturę requiritur mutuus,& liber conſenſus,ex quo ſequitur quòd cum matrimonium incipiat ualere poſt remotum impedimentū,tunc liberè conſentiendum eſt. Secundum ius ex altera parte eſt,quia iure naturæ ubi ſine peccato,uita, & fama conſeruari poſſunt,quilibet uitam,& famam ſuam,& proximi, tueri tenetur,& quia ſine utriuſque periculo,alterius conſenſus exquiri non poteſt,hoc ius excuſare uidetur.

Obiectio. Sed poſſet dici,quod hoc ius non habeat locum in caſu noſtro quia ſine nouo conſenſu non erit matrimonium,ſed concubinatus,unde cōſenſus in copulam erit peccatum mortale, & potius

Solutio. moriendum eſt, quam peccare mortaliter. Ad quod reſpōdetur non eſſe dubium,quin ius naturale de conſeruāda uita,& fama, vbi ſine peccato poteſt,alijs præualeat, cum ſit quodāmodo aliorum iuriū naturaliūm finis. Sed uidendum eſt an in caſu noſtro ſic poſſit conſuli vitæ,& famæ ſine peccato.pro quo notandū eſt, quod in primo gradu lineæ tranſuerſalis inter fratrē,& ſororem non poſſit eſſe matrimonium,non eſt de iure naturæ, ſicut eſt in gradibus lineę rectæ, unde Papa poteſt in eo diſpenſare, nam per matrimonium uxor efficitur ſocia, & æqualis uiro, & Soror non eſt naturaliter ſubdita fratri, ſicut eſt Patri, & aſcendentibus rectæ lineæ, ut ei repugnet æqualitas, & ſocietas, ſicut repugnat filiæ, quæ ſubiectionem, reuerentiam, & honorem ſemper debet patri, quæ per matrimonij legem tollerentur, quia poteſtatem corporis patris, non pater, ſed filia haberet, quod eſt contra naturam, quod autem inter fratrem, & ſororem non poſſit eſſe matrimonium eſt de iure poſitiuo, & cum lex antiqua ceſſauerit, & non remanſerit niſi quo ad moralia, ille

Quod poſſit diſpenſari cum fratre, & ſorore.

pro-

prohibitiones Leuitici de cōtrahendo, nō habet locū niſi quoad perſonas inter quas iure naturæ nō poteſt eſſe matrimonium, & quoad alias Papa diſpenſare pōt, & propterea Papa in caſu propoſito poteſt diſpēſare. Sed poſt diſpenſationē requiritur nouus cōſenſus, cū tunc matrimonium incipiat tenere. Sed iure naturæ nō poteſt exquiri iſte nouus conſenſus, propter prædictū vitæ, & famæ periculum, quod ſubire non tenetur ſoror, cum ſine peccato illud euitare poſſit, relinquendo fratrem in ſua bona fide, & in priori conſenſu, in quo perſeuerat; & quòd ſine peccato hoc fieri poſſit, probatur, quia conſenſus iam præſtitus, non fuit nullus iure naturæ, cum huiuſmodi matrimonium, ut diximus non repugnet iuri naturali, ſed fuit nullus ratione impedimenti iuris poſitiui, ratione cuius debet renouari; at iure naturæ propter periculum vitæ, & famę non poteſt peti iſte nouus conſenſus, quod ius tanquam fortius pręualet iuri poſitiuo, ob quam cauſam Papa non ſolum poteſt remouere impedimentum, ſed poteſt etiam remouere obligationem petendi nouum conſenſum viri, & erit uerum matrimonium, mutuo cōſenſu conſiſtente, nam primus conſenſus viri non fuit annullatus à iure naturæ, & ſemper uirtualiter perſeuerat, cum maritali affectu mulier ſemper cognoſcatur, & ſi iure poſitiuo renouandus eſſet, ius naturale, quod eſt fortius, excuſat, idq; eo magis, quia matrimonium ita eſt Sacramentum, ut ſit etiam contractus naturalis.

Dices hac ratione probaretur, quod nec etiam eſſet neceſſaria in dicto caſu diſpenſatio, cum ius inferius cedat ſuperiori, & fortiori. Reſpōdetur eſſe neceſſariam diſpenſationem, tum ratione impedimenti, quod (ut diximus) non eſt purè Eccleſiaſticum, ſed de iure diuino poſitiuo, cum attingat ipſam eſſentiam matrimonij, & illud nullum reddat, propter peculiarem auctoritatem, quam habet Eccleſia ſuper hoc Sacramentum, tum etiam quia ad Papam pertinet iudicare, & declarare, quando ius naturale præualeat iuri diuino poſitiuo. Nec obſtat ſi dicatur, quod in multis caſibus quilibet per ſe iudicare poteſt, & propter ius fortius naturale, non facere id, quod ius poſitiuum, etiam diuinum, præcipit, ut patet non ſolum in non ieiunante, ſed etiam in eo, qui ſcienter in confeſſione aliquod peccatum mortale omittit, cum non poſſit alterius confeſſoris copiam habere, ut alterius famæ, aut propriæ ſaluti animæ, autem etiam corporis conſulat, ut ſuo loco dicemus; nam hoc tunc fieri poteſt, quando vrget neceſſitas, & non poteſt aliter fieri, nec haberi copia Superioris à quo licentia, ſeu diſpenſatio obtineatur.

Obiectio cum ſolutione.

Quod ſit neceſſaria diſpenſatio quādo iura concurrunt.

Obiectio.

Solutio.

At in matrimonio non eſt iſta urgens, & repentina neceſſitas, cũ ſit uinculum perpetuum, ſed poteſt & neceſſariò debet peti à Sũmo Pontifice diſpenſatio, nam omne ius tam naturale, quam poſitiuum eſt à Deo, qui ita uoluit ius inferius cedere Superiori, vt non propterea quemlibet ſuæ conſcientiæ iudicem ſtatuerit, ſed voluit, & ſtatuit, quod inferior, illius ſuperioris iudicio ad quem ſpectat, ſubdatur, & ab illo diſpenſationem ab inferiori iure obtineat, quando ad eum recurſus haberi poteſt, & quod aliter in conſcientia non ſit tutus, cum Dei ordinationi reſiſtat. Ex quo ſequitur, quod in prædicto, & ſimili caſu, non ſufficit ſignificare Papæ impedimẽtum, ſed eſt etiam neceſſarium exprimere, quod ſine periculo non poteſt, nec in particulari, nec in genere peti nouus viri conſenſus, ut in eo etiam diſpenſet.

Quid Papæ exprimendum.

Quid faciendum ſit quando Matrimonium fuit contractum cum impedimento indiſpenſabili, & ſine periculo uitæ non poſſit detegi, nec denegari debitum.

Cap. XV.

EX eodem principio, & ex hoc, quod ad Papam pertinet declarare ius naturale, & ex eo, quod Chriſtus ſuæ Eccleſiæ & animarum ſaluti, auctoritate Papæ eius Vicario conceſſa, ſufficienter prouidit; probatur etiam, quod Papa poterit ſua auctoritate conſulere ſaluti corporis, & animæ filiæ, quæ cum patre ignoranter contraxiſſet. & ponatur caſus ſimilis præcedenti, quod quidam ex paterna domo puer receſſerit, & grandior factus negociationis cauſa in longinquas partes iuerit, & dum iret, hoſpitatus in quodã diuerſiorio, in quo erat eius mater, à qua fuit cognitus, licèt ipſe eam non cognouerit, dormiuit cum matre, quæ filij pulchritudine capta, ad concubitũ ipsũ prouocauit, & ex filij concubitu, filiam peperit, quam alijs nutriendam dedit, & poſtea, ut ancillam accepit, & retinuit, nec cõtineri poterat quin ei ſæpe maternum affectum oſtenderet, poſt multos annos, filius ad propriam domum reuertitur, ubi matrẽ cum prædicta ancilla inuenit, & pulchritudine, & honeſtis illius moribus captus, illam tandem in uxorem duxit; mater poſtea illi ſignificauit, quod eius, & uiri ſui, ſit filia, illa primoquidem ei non credit, cum non teneatur, ſed aduertens, quod nõ ut ancillam, ſed ut filiam potius tenuit, & dilexit, uoluit occultè ueritatẽ inquirere, ex illis apud quos infantula nutrita fuit ſatis manifeſtis

Ponitur caſus.

nifeſtis ſignis habuit, quod illa eſt eius mater, ex libro in quo ſcribuntur nomina eorum,qui baptizantur, ſcit tempus quo nata fuit,à uiro ſuo ſcit annum,menſem, & diem quo per oppidum itinere unius diei, à domo ſua tranſiuit, & domum in qua illa nocte hoſpitatus eſt, à mulieribus, & uiris illius domus ſciuit quod eius domina tunc temporis apud illos erat, qui etiam addiderunt,quod cum ſemper fuerit honeſtisſima,ita tunc delirauit,& intantam deuenit inſaniam,quod capta pulchritudine cuiuſdam iuuenis,qui illàc tranſiuit,non puduit eam, illum etiam publicè ad concubitum prouocare,ex quibus colligit, quod tũc temporis concepta fuit,& quod illa ſigna amoris ei ſemper oſtẽſa,ex materno affectu proceſſerunt, & iam tot concurrentibus ſignis nõ dubitat,quin cum patre matrimonium contraxerit, ſed hoc impedimentum,nec in uniuerſali, nec in particulari ei ſignificare poteſt,propter pericula,ut in præcedenti caſu, filia per ſuum confeſſarium omnia ſignificauit Papæ, ut ſibi de opportuno remedio prouideret,quia tanquam muliercula non poteſt fuga ſibi conſulere,& quęritur,quid in hoc caſu ſit agendum, nã hoc matrimonium eſt contra ius naturale,in quo Papa diſpenſare nõ poteſt.

Reſpondetur,quod licèt Papa non poſſit diſpenſare contra ius naturæ,poteſt tamen quando duo iura naturę concurrunt,declarare, quod nam præualeat; & in hoc caſu concurrunt duo iura naturæ,Primum,quod pater non contrahat cum filia,Secundum de conſeruatione vitæ,& famæ matris,& filiæ, & poterit Papa declarare, quod ſtante bona fide patris cum qua contraxit, & in qua perſeuerat, ius de conſeruatione uitæ, & famæ præualeat, quamdiu perſeuerat illa bona fides, & interim filia reddat debitum,ſed non petat. Et ſi quis obijciat,quod iſta ratio uidetur nimis concludere, nam ſi filiam antequam contraheret, ſciret illũ eſſe eius patrem,& ab eo ignorante,quod ſit eius filia,metu mortis cogeretur ei matrimonio copulari, poſſet ſibi formare conſcientiam,quod ius naturale de conſeruatione vitæ præualeat,& ita ſine peccato contrahere. Reſpondetur non eſſe eãdem rationem,& quod potius debet mori, quam contrahere, & ratio diuerſitatis eſt,quia in priori caſu bona fide contraxerunt,& pater in ea bona fide permanet, & conſequenter habet ius petendi debitum,at in hoc caſu pater nullum habet ius, cum matrimonia etiam iure naturali debeant liberè contrahi,ex quo etiam nõ eſt ita euidens periculum,nam ex hoc, quod non vult cum eo contrahere,nihil mali de matre ſuſpicari poteſt,& dato etiam,quod

Solutio difficultatis.

Obiectio.

Solutio.

ille eſſet adeo inſanus quod illam velit occidere, adhuc non debet contrahere, ſed pati mortem, quia conſentiret in opus peccati,& iure etiam naturæ potius moriendum eſt, quam peccare;

Obiectio. Et ſi dicatur, quòd in priori caſu reddendo debitum conſentit in

Solutio. opus peccati, Reſpondetur, quod ſtante illa bona fide, à qua propter dictum periculum non eſt remouendus, petit quod ei iurè debetur, & filia, quæ ſcit rei ueritatem, non petit debitum, ſed reddit, quia ſcit eum habere ius petendi,& iuſtè petere, inuincibili ignorantia facti illum excuſante. & reddit etiam, quia ſic ei reſponſum fuit à Summo Pontifice, ſupponimus enim, quod res ad Papam delata ſit,& ita reſponderit, Et hoc non dicimus quaſi ſic reſpondere debeat, aut eum docere uelimus, ſed quia hoc nobis probabile uidetur, eius autẽ erit nos docere, & corrigere errãtes,& noſtrũ eius cenſuræ intellectũ,& vitam ipſam ſubijcere.

An interim ante diſpenſationẽ poſſit reddere debitũ.

Sed adhuc remanet dubiũ, an interim donec petatur diſpenſatio à Papa, poſſit mulier reddere debitum, ſi ſine periculo vitæ illud denegare non poteſt, ſupponimus.n. quod nullã apparentem excuſationem afferre poſsit, & ratio difficultatis eſt, quia ſi poteſt ſibi formare conſcientiam, quod ius naturale illam excuſet in reddendo debitum, non erit ei neceſſarium quærere diſpenſationẽ,& pręterea ante diſpenſationẽ non eſt matrimoniũ; ſed cõcubinatus,& eorum coniunctio eſt fornicatio, potius aũt debet mori, quã conſentire in fornicationẽ. Ad hoc dubium duo dici-

Solutio. mus, vnũ tanquam probabile ſub correctione, alterũ in fine capituli ſimpliciter, ut certum. Et primũ ſit, ſuppoſito, quod mulier nõ poſſit ſepatari, nec aliquã poſſit afferre excuſationẽ denegãdi debitũ; quod uir eius vult ſibi omnino reddi, niſi ſignificãdo expræſsè, uel tacitè, aliquod inter eos eſſe impedimentũ, quod ſine periculo famæ, & uitæ ſignificare non põt, probabiliter dico, ꝙ poterit reddere, ſed nõ petere donec à Papa diſpẽſetur, vel ei reſpondeatur, quid agere debeat,& ratio eſt, quia licet potius moriendũ ſit, quã peccare, & licet in rei ueritate iſte ſit concubinatus,& non matrimoniũ,& conſequẽter illa copula ſit fornicaria; tamen ex parte uiri, qui bona fide contraxit, & in illa permanet, non eſt concubinatus, ſed matrimonium, & copula non eſt fornicaria, ſed matrimonialis, illum ignorantia inuincibili facti excuſante:& habet ius petendi debitum, iuxta illam bonam fidem, & propterea mulier reddendo debitũ, nõ conſẽtit in opus peccati, ſed in opus iuſtitiæ, reddendo quod ab ea iuſtè petitur, cõſentiret aũt in opus peccati,& peccaret petendo, quia ſcit, quòd uerè non eſt illius uxor, à cuius peccato vir eius reddendo debitum,

eſſet immunis, quia bona fide redderet, quod autem debitum in aliquibus caſibus poſſit reddi, & non peti, eſt notiſsimum, ut in habente uotum caſtitatis, & indubitante de morte prioris coniugis, cap. Dominus de ſec. nupt.

Dices quando dubium eſt impedimẽtum debitum poteſt reddi, ſed non peti, at quãdo uxor eſt certa, quod uiuit primus eius vir, non debet etiam reddere, in quo errauit Magiſter ſententiarũ, qui dixit, quod vir, qui uiuente prima uxore contraxit cũ altera in facie Eccleſiæ, ſi Eccleſia illũ cogit manere cũ ſecunda, eo quod non põt probari primũ matrimoniũ (ſicut ſæpè accidebat quando contrahebatur clandeſtinè) poteſt reddere debitũ, ſed non petere, & excuſatur per obedientiam, & timorẽ, & Magiſter in hoc ab omnibus reprehenditur, & meritò, quia eſt falsũ, nã Eccleſiæ determinatio eſt in cõtrariũ, ca. Inquiſitioni de ſent. exco. ubi diſtinguitur an mulier certò ſciat impedimentum, uel de illo dubitet, & dicitur, quod ſi certò ſcit, non debet reddere debitum; etiam ſi ab Eccleſia per ſententiam excommunicationis, ex eo, quod impedimentũ probari non poteſt, cogatur reddere, quia debet potius excõmunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quam per carnale cõmercium peccatum operari mortale. Obiectio. 4. ſ. d. 38.

Reſpondetur concedendo hoc totum; ſed non ſumus in eodem caſu, nam Doctores, & canon loquuntur de illa, quæ ſcit impedimentum, & ſine vitæ periculo illud notificare poteſt, imo, & notificatum fuit, & ad iudicium Eccleſiæ deductum, & ita etiã ſi ab Eccleſia cogatur reddere debitum, ex eo, quod illud probare non poteſt, quia clandeſtinè contraxit, & etiam ſi ei poſt Eccleſię ſententiam minetur à uiro ſuo mors, niſi reddat, nõ debet reddere, ſed potius pati mortem, quia uir eius cum ſciat, aut ſcire poſsit, diuersũ eſſe iudicium Eccleſiæ, in foro exteriori, & in foro conſcientiæ, ex hoc, quod uidet uxorem timoratæ cõſcientiæ, potius velle pati excommunicationem, & mortem, quam reddere debitum ob impedimentum, quod certo aſſerit, ſuper quod non cadit diſpenſatio, probabiliter credere poteſt, ei non competere ius petendi; & conſequenter non laborat inuincibili ignorantia, & mulier, etiam ob cõſeruationem famæ ſuæ non debet reddere, ex quo aſſeruit impedimentum de quo eſt certa, nam reddendo ſignificat ſe mentitã fuiſſe, uel eſſe immemorem ſalutis ſuæ; At nos loquimur quando ſine periculo infamiæ, & mortis non poteſt dari, uel minimum indicium alicuius impedimenti, quo caſu uir laborat inuincibili ignorantia, & iuſtè, & tuta conſcientia petit debitum. Solutio.

Obiectio. Dices uidetur, quod ſit eadem ratio, nam cum breuis ſit omnis malitia ſuper malitiam mulieris Eccl.25. uir non tenetur credere mulieri aſſerenti impedimentum occultum, præſertim cũ pro ſe habeat ſententiam Eccleſiæ, & conſequenter iuſtè petit, & illa poterit reddere, cum ab ea iuſtè petatur, & tamen omnes dicunt, quod ſi eſt certa de impedimento, non debet reddere. Re-

Solutio. ſpondetur eſſe maximam differentiam, pro quo notandum eſt, quod quando impedimẽtum eſt tale, quod Papa poteſt in eo diſpenſare, & uterque ſcit impedimentum, uel qui ſcit ſine periculo poteſt illud alteri in particulari, uel in genere notificare, debet illud notificare, & neuter poteſt petere, aut reddere debitũ ante diſpenſationem. At ſi impedimentum eſt indiſpenſabile, vt quia matrimonium fuit contractum in recta linea, uel non ſoluto priori matrimonio, factus eſt tranſitus ad ſecũdas nuptias; dicimus, quod ſi impedimentum eſt ratione matrimonij prius contracti, & non ſoluti, quod certus de impedimento nõ poteſt reddere debitum obquemcumque metũ, nam (ut diximus) nũquam metus excuſat ab eo, quod natura ſua ſine peccato fieri, uel omitti non poteſt, quia potius eligendum eſt mori, quã peccare, & in iſto caſu reddẽdo, ſemper peccat, nam uel cõtraxit bona fide, uel mala fide, ſi bona fide credens uirum ſuum eſſe mortuum, habita certa notitia uitę prioris viri, poterit ſecundum virum certum reddere, & id etiam in iudicio probare, quod niſi fe çerit de adulterio conuincitur, & ſi re ad iudicium deducta iudicatur non ſufficienter probari eius vita, poterit conſcientiam deponere, & petere etiam debitum, niſi iudicetur iudicium illud eſſe ſufficiens ad non petendum, ſed non ad denegandum. c.Dominus de ſec.nup. Si mala fide contractum fuit, puta quia ſciebat priorem ſuum virum uiuere, ſed non poſſe probari matrimoniũ, quia clandeſtinè contraxit (vt poterat ante Concilium Trid. accidere) reddendo ſemper peccat, nec excuſatur ex hoc, quod vir laborans ignorantia inuincibili illud iuſtè petit, etiam ſi ei immineat periculum mortis, quia mala fide contraxit, & de ea poteſt infamari, nam impedimentum licèt ſit occultum, & ita occultum, quòd non poſſit probari in iudicio; non eſt tamẽ natura ſua ita occultum, quin etiam tacente muliere poſſit aliquando in lucem prodere; nec obſtat ſi dicatur, quòd ſignificando impedimẽtum ſecundo uiro, & ab eo recedendo, ſe ipſam infamabit, nam potius reſtituet ſibi famam, & ſe ab infamia præſeruabit, melius enim eſt errata corrigere, quam de obſtinatione aliquando infamari, nec etiam excuſatur per ſententiam Eccleſiæ, ſi res ad eius

 iudi-

iudicium deferatur, puta quia à priori uiro repetitur, nã uel negat impedimentum oppoſitum, uel illud fatetur, ſi negat peccat mortaliter pernicioſè mentiendo, ſi illud confitetur, & reddit debitum, ex ore ſuo conuincitur eam peccare mortaliter. At ſi impedimentum conſanguinitatis indiſpenſabile, detectum eſt poſt matrimonium bona fide contractum, & ita eſt uxori, ſeu filiæ tantum notum, ut non poſſit, ad uiri, & ad aliorum notitiam deuenire (nam illud ſcit ſola mater, de qua nullum eſt periculum, & quæ fortè eſt mortua) & non poſſit etiam viro, uel minimum alicuius impedimenti, etiam in genere dari indicium, ut in caſu expoſito, videtur, quòd donec conſulatur Papa poſſit reddere debitum, & reddendo non peccet, nam in iſta ceſſat omnis ratio peccati, quia contraxit bona fide, & impedimentum nõ poteſt deuenire in lucem, unde non exponitur periculo infamię, & ratione infamiæ, & periculi mortis, poteſt relinquere virum ſuũ in illa bona fide in qua eſt, qui conſequenter cum laboret ignorantia inuincibili facti, habet ius petendi debitum, & illud iuſtè petit, unde cum iuſtè ab ea petatur, & ipſa neque neget, neque affirmet impedimentum, nec tacẽdo exponatur periculo infamię, vt de peccato argui poſſit, nulla hic poteſt eſſe ratio peccati, niſi quia ſcit illud non eſſe matrimonium, ſed format ſibi conſcientiam, quod periculum, quod illam excuſat ne id ſignificet uiro, illam etiam excuſat ne deneget debitum, & quod excuſatur etiã eadem ratione qua Papa poteſt declarare ius de conſeruanda vita in illo caſu præualere, & multo magis poterit ſibi formare cõſcientiam in priori caſu, ſi contraxit cum fratre in quo Papa poteſt diſpenſare, licèt non diſpenſet, quia (ut diximus) inter illos non eſt naturalis repugnantia ſicut in recta linea, non enim repugnat, quod ſoror efficiatur ſocia, & æqualis fratri, ac proinde ille mutuus conſenſus bona fide præſtitus, non eſt annullatus à iure naturali, ſed à iure poſitiuo, quod cedit iuri naturali de conſeruanda uita ſuperuenienti, donec diſpenſetur, (quod ſi talem cõſcientiam non formaret nullo modo poſſet reddere, quia contra conſcientiam ageret, & conſentiret in opus peccati, & potius deberet pati mortem, quam peccare, ut diximus:)

Et confirmatur, quia Iudex tuta conſcientia poteſt, & debet condemnare ad mortem illum, quem certo ſcit eſſe innocentẽ, quia falſis teſtibus conuincitur feciſſe homicidium, & tempore quo homicidium perpetratum fuit, ille erat cum Iudice, & Iudex non poteſt teſtium falſitatem detegere, eique à Principe cõmittitur, ut iuſtitiã exequatur, & quia non poteſt iudicare iuxta

Euidens confirmatio à ſimili.

cer-

certitudinem quam habet, ut priuata perſona, ſed ut Iudex, ſecundum allegata, & probata, debet illum condemnare ad mortẽ ita tenent S. Thom. Alex. de Ales, Petrus de Tarant. Palud. Sylu. Sot. Bart. Io. And. & alij, ſicut ergo Iudex non peccat condemnando illum ad mortem, quem certò ſcit, vt priuata perſona eſſe innocentem, ita etiam mulier in caſu propoſito non peccabit reddendo debitum, quod ab ea iuſte petitur, quia licet ſciat, quod in rei ueritate non eſt ſuus uir, tamen creditur ſuus uir, & ipſe putat illam eſſe eius vxorem, & ratione periculi eſt relinquẽdus in iſta bona fide, ergo mulier quoad redditionem, debet iudicare iuxta hanc bonam fidem uiri, & de iuſtitia reddere, quod iuſte petitur. Ad quod etiam facit, quod licet ſit Sacrilegium miniſtrare Sacramenta indignis, nihilominus non peccat Parochus dando Euchariſtiæ Sacramentum illi quem certò ſcit eſſe in peccato mortali, ſed peccatum eſt occultum, & publicè petit, nec abſoluendo illum, qui negat ſe feciſſe aliquod peccatum, quod certo ſcit eum feciſſe, uel ex alterius confeſsione, uel quia uidit, immo peccaret denegando illis Sacramenta, quia in priori caſu nõ debet illius occultum peccatum publicare, & in poſteriori debet credere pœnitenti, & ſecundùm ea quæ dicit iudicare. Alij facilè ſe ab his dubijs expedirent, dicendo, quod uxor non tenetur credere mulieri dicẽti, quod ſit eius mater, ſed ſupponimus quod credat, & tot concurrant, ut dubitare, & conſcientiam deponere non poſsit. Caſus iſti ſunt potius imaginarij, & non sũt trahendi in conſequentiam, ſed quia non ſunt impoſsibiles ad plenitudinem doctrinæ illos tractaui, & ad oſtendendam plenitudinem poteſtatis Papæ, & quod Deus ſufficienter auctoritate eius Vicario conceſſa, ſuæ Eccleſiæ, & omnium ſaluti prouidit, & hæc probabiliter, & diſputatiuè cum omnique ſubmiſsione, potius, ut à meliori iudicio doceamur, quam ut doceam, dicta ſint, & accipiantur.

Dico ſecundo non ut probabile, ſed ut omnino certum, & indubitatum, dato quod ius naturale in dictis caſibus preualeat, & excuſet in reddendo debitum, nihilominus adhuc conſulendus eſt Papa, & requirenda eſt eius diſpenſatio, uel interpratatio propter rationem ſuperius adductam, nam licet Papa non ſit ſupra ius naturale, Chriſtus tamen eſt ſuper illud, & uoluit, quod ad eius Vicarium pertineat, ubi difficultas occurrit, illud declarare, quem Doctorem, Iudicem, & Diſpenſatorem conſtituit, & cum ad eius Sanctitatem in foro conſcientiæ ſecretè, & per confeſſarium ſub ſigillo confeſsionis, ſine expræſſione

ſione nominis recurſus haberi poſsit, & conſequenter ſine ullo periculo, nullus excuſatur.

Quod Matrimonium conſummatum ſit indiſſolubile, De Matrimonio ad fidem conuerſorum, & an Matrimonium non conſummatum poſsit diſſolui.
Cap. X V I.

MAtrimonij ſolutio tripliciter accipi poteſt, Primo, & propriè quoad uinculum, 2 quoad thorum, & habitationem tantum. 3 quoad thorum tantum, & Matrimonium dupliciter conſiderari poteſt, antequã.ſ. ſit conſummatum, & poſt illius conſummationem. Si loquamur de Matrimonio conſummato, dicimus eſſe, & fuiſſe ſemper etiã in ſtatu legis naturæ, & ſcriptæ indiſſolubile quo ad uinculum. & quod non ſoluitur etiam per alterius profeſsionem in Religione approbata; excipitur tantum unus caſus de infidelium matrimonio, nam ſi alter coniugum ad Chriſtianam religionem conuertatur, & infidelis nolit commorari cum fideli niſi cum iniuria creatoris, hoc ſolo caſu ſoluitur eorum matrimonium, & poteſt fidelis tranſire ad ſecundas nuptias. Quod ſi aliquis uelit contendere libellum repudij fuiſſe permiſſum iudæis non ſolum impunè, ſed ut eis diſpenſatiuè licitum, nos neque contendere, neque diſputare uolumus, certum eſt omnem diſpenſationem de libello repudij, & de pluralitate uxorum à Chriſto fuiſſe ſublatam, & modò non licere habere niſi unam uxorem, nec habitam poſt carnalem copulam, extra prædictum caſum dimittere, ut cum alia contrahatur. & ratio huius diſpenſationis cum coniuge ad fidem conuerſo, eſt ob fauorem Chriſtianæ religionis, ne coniux infidelis à Sacro baptiſmate retrahatur, ſi conuerſus non poſſet cum ſua vxore cohabitare, nec cum altera contrahere, & etiam quia matrimonium infidelium non eſt Sacramentum, ſed officium naturæ, & licet matrimonium ſit etiam indiſſolubile quatenus eſt officium naturæ; poteſt tamen diuina diſpenſatione ſolui, ut ſoluitur in caſu prędicto, & ſecundum aliquos ſoluebatur etiam apud iudæos per libellum repudij; at quatenus eſt Sacramentum nulla diſpenſatione ſoluitur, licet.n. poſsint ambo communi cõſenſu ſeparari, & religionẽ profiteri, non tamẽ ob id eorũ matrimonium consummatũ, quo ad uinculum ſoluitur, nam habet perfectam rationẽ Sacramẽti,

quæ

quæ matrimonij vinculum ita arctat, ut Deus nolit ſuper illud vnquam cadere diſpenſationem, & ratio ex ſolutione ſequentis dubij manifeſta erit.

De matrimonio nõ conſummato.

Sed dubium eſt de matrimonio rato, & non conſummato, an poſſit quoad vinculum ſolui, & certum eſt ſolui per alterius profeſſionem, nam poteſt unus coniux ſine alterius conſenſu religionem ingredi, & facta profeſſione alter coniux, qui vel quæ in ſeculo remanſit poteſt tranſire ad ſecundas nuptias, cap. verum, & ca. ex publico de conuer. coniugat. non ſic autem ſoluitur per ſuſceptionem Sacri ordinis, nec etiam Epiſcopalis dignitatis, ut habetur in extrau. Antiquæ, Io. 22. tit. de Voto in 6. An poſſit autem ſolui per Summi Pontificis diſpenſationem eſt controuerſia inter Theologos, & Canoniſtas; communis Theologorum ſententia eſt, quod non poſſit, Canoniſtarum uerò, quod poſſit, & ſicut aliqui Canoniſtæ tranſeunt in ſententiam Theologorum, ita etiam aliqui Theologi tranſeunt in illam Canoniſtarum, ut Caietanus, quæ mihi probabilior videtur, Vnde dico matrimonium ratum, & non conſummatum, poſſe auctoritate Papæ diſſolui, & eo diſſoluto poſſe tranſiri ad ſecundas nuptias, & probatur primo, quia ſæpe fuerunt huiuſmodi matrimonia à Papa ſoluta. S. Ant. refert ſe uidiſſe bullas Martini 5. & Eugenij 4. continentes talem matrimonij ſolutionem, & quod illi poſtea cũ alijs contraxerunt. Couarru. refert Iulium 3. & Paulum 4. hac uſos fuiſſe auctoritate, & illa ſoluiſſe. Idem dicit Nau. de Paulo 3. & Pio 4. probatur ſecundo ratione, quia in matrimonio rato, & non conſumato, non eſt illa indiſſolubilitatis ratio, quæ eſt in cõſummato. pro qua notandum eſt, quòd matrimonium dupliciter conſideratur, ut eſt officium naturæ, & ut eſt Sacramentum, quatenus eſt officium naturæ, eſt quidem in diſſolubile, ſed non ita quin diſpenſatione iuſta de cauſa ſolui poſsit, etiam poſt conſũmationem, ut patet de coniugio infidelium. quatenus uerò eſt Sacramentum, eſt ſimpliciter indiſſolubile, ſed quærẽda eſt cauſa ob quã eſt ſic indiſſolubile, & uidendum an militet in matrimonio non conſummato. Matrimonium quatenus eſt Sacramentum, duo habet ſuper ea, quæ ad officium naturę ſpectãt, aliquid in anima efficit, & eſt ſignum, cum autem non ſit cauſa alicuius indelebilis effectus (non enim cauſat characterem, ſed ſolã gratiam) ratione cauſæ, & effectus, non efficitur indiſſolubile, ſuper eſt igitur vt ſit indiſſolubile ratione ſignificationis, quæ duplex eſt, unio enim, quæ in matrimonio reperitur, duplicem unionem ſignificat, vnionem. ſ. Eccleſiæ cum Chriſto per gratiam, & hæc ali-

S. Ant. 3. p tit. 1. c. 21. §. 3.
Couar. in 4. decret. p. 2. c. 7. §. 4. nu. 14.
Nauar. in man. c. 22 nu. 21.

aliquo modo eſt indiſſolubilis, quia nunquam Eccleſia vniuerſalis eſt ſine gratia, & propterea in ſimbolo dicitur Sancta, & Oleæ 2. dicitur deſponſata in ſempiternum, ſed hæc vnio nõ eſt ſimpliciter indiſſolubilis, quia quo ad particulares ſępe tollitur per peccatum mortale; ſignificat etiam unionem inter Chriſtum & Eccleſiam per aſſumptionem naturæ humanæ in utero virginali, & hæc unio eſt ſimpliciter, & omnino indiſſolubilis, naturã enim, quam Deus ſemel aſſumpſit, nunquam dimittit, & Matrimonium quatenus ſignificat hanc inſeparabilem unionem, efficitur ſimpliciter indiſſolubile, & non ſoluitur niſi per mortem naturalem: Sed uidendum eſt an matrimonium antequam ſit conſummatum hanc unionem ſignificet. & dicimus, quod matrimonium ratum, & non conſummatum, eſt quidem Sacramentum, & per coniunctionem animorum, quæ fit per uerba de prę ſenti, ſignificat primam unionem Eccleſiæ, & animarum cum Chriſto, quæ fit per gratiam, ſed perfectam illam, & ſimpliciter indiſſolubilem vnionem per carnis aſſumptionem, non ſignificat niſi poſtquam conſummatum fuerit: Et probatur primo, quia Deus non dixit: *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet*, niſi poſt illa verba; *Et erunt duo in carne vna*, poſt quæ Apoſtolus etiam dixit, *Sacramentũ hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* 2. probatur ex cap. cum Societas 27. q. 2. ubi dicitur, Societas nuptiarum ita ab initio eſt conſtituta, ut præter commixtionem ſexuum, nõ habeat Chriſti, & Eccleſiæ Sacramentum. Nec obſtat ſi dicatur, quod iſtud cap. deſumptum eſt ex Epiſtola 90. Leonis 1. quæ ſic habet, Societas nuptiarum præter ſexuum coniũctionem habet in ſe Chriſti, & Eccleſiæ Sacramentum, nam eſt idem ſenſus, quia præter commixtionem habet Sacramentum, &c. ergo hoc Sacramentum fundatur in commixtione, & ubi non eſt ſexuum commixtio, non eſt Chriſti, & Eccleſiæ Sacramentum; & confirmatur quia Doctores hunc ſenſum dicti cap. recipiunt, & iuxta illum procedunt, & idem dicit Innoc. 3. ut modò dicemus. probatur 3. quia maritus relictæ ante conſummationem matrimonij, nõ eſt bigamus ext. c. debitum de bigamis, & ratio eſt; quia matrimonium ratum, & non conſummatum, non ſignificat hanc unionem, quæ eſt inter Chriſtum, & Eccleſiam, nam ſi illam ſignificaret, eſſet bigamus, quia non eſſet unus unius, ſicut Chriſtus unus vni tantum eſt unitus Eccleſiæ, ratio enim bigamiæ eſt defectus Sacramenti, & Innoc. 3. in d. cap. hanc rationem aſsignat, cuius verba ſunt, Cum duo ſint in coniugio, uidelicet conſenſus animorum, & commixtio corporum, quorum alterũ ſignificat chari-

Matt. 19.
Ad Eph. 5

ritatem, quæ conſiſtit in ſpiritu inter Deum, & iuſtam animam, ad quod pertinet illud, quod dicit Apoſtolus. Qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt cum eo, reliquum uerò deſignat conformitatẽ, quæ conſiſtit in carne, inter Chriſtum, & Eccleſiam, ad quod pertinet illud, quod Euangeliſta teſtatur: Verbum caro factum eſt, profectò coniugium illud, quod non eſt commixtione corporũ conſummatum, non pertinet ad illud coniugium deſignandum, quod inter Chriſtum, & Eccleſiam per incarnationis myſterium eſt contractum, &c. ex quibus manifeſtè ſequitur, quod matrimonium ratum, & non conſummatum, non habet perfectam rationem inſolubilitatis quatenus Sacramentum eſt, & ei non repugnat quod diſſoluatur, ſicut etiã ſoluitur vnio per gratiã illo ſignificata. Et confirmatur, quia ſi matrimonium non conſummatum ſignificaret inſeparabilem inter Chriſtum, & Eccleſiam coniunctionem, ſequeretur quod nec etiam per ingreſſum religionis ſolui poſſet, nam eius ſolutione daretur intelligi ſignificatam Chriſti, & Eccleſię coniunctionem ſolubilem eſſe, ob quã cauſam matrimonium conſummatum non ſoluitur per ingreſſum religionis, cum ergo illud ſoluatur, neceſſariò dicẽdum eſt, quod ut Sacramentum, non ſignificat illam perfectam, & indiſſolubilem vnionem inter Chriſtum, & Eccleſiam, & non habet illã perfectam rationem indiſſolubilitatis, ſed iuſta cauſa per Summum Pontificem ſolui poteſt. Nec obſtant rationes Theologorum, quia.ſ.ſic matrimonio iuncti, à Deo iuncti ſunt, & quos Deus coniuxit, homo non ſeparet, mat. 19. Et quia Papa non poteſt immutare Sacramenta, & ſuper illorum partes eſſentiales nõ habet auctoritatem; Nam cauſa deceptionis ipſorum eſt, quia ſolum propoſitiones vniuerſales, veluti maximas, & fundamenta reſpiciunt, & non aduertunt peculiarem materiam, in qua eſt aliquando peculiaris ratio, prout in Sacramento matrimonij, quod ita eſt Sacramentum, ut ſit etiam naturalis contractus, ratione cuius Papa habet ſuper illud, & ſuper illius partes eſſentiales quandam peculiarem poteſtatem, quam non habet ſuper alia Sacramenta, ut diximus. & propterea diſſoluens matrimonium non conſummatum, non ſeparat homo, ſed Deus quia auctoritate ſibi diuinitus tradita illud diſſoluit, quod ipſi fateri coguntur quando alter coniugum profeſsionem in religione emittit.

De ſeparatione quoad thorum, & habitationem, & an coniux innocens teneatur reconciliari alteri adulteræ poſt eius vitæ emendationem, uel poſsit ea, uel eo inuito, perpetuo continenter uiuere, in Religione uel extra.

Cap. XVII.

SI autem loquamur non de ſolutione uinculi, ſed de ſeparatione quo ad thorum, & habitationem, dicimus, quod coniuges etiam conſummato matrimonio, iuſtis de cauſis poſſunt ſeparari, ut propter fornicationem iudicis auctoritate, propter ſeuitiam coniugis, ſi à coniuge inducitur ad peccatum mortale, & non poteſt ab inducendo retrahi, non poteſt autem coniux à coniuge recedere propter morbum gallicum, nec etiam propter amentiam, niſi eſſet probabile periculum mortis.

Quoad thorum tantum diuiditur ob fornicationem per ſolam Euangelij auctoritatem, ſine alia iudicis ſententia, nam qui fornicationem committit, amittit ius exigendi debitum à coniuge innocente, non tamen amittit ius rogandi, ut illud concedat, ſi uoluerit, & uxor non peccat ſi non diſcedit à marito adultero, etiam in adulterio perſeuerante, etiam ſi ei reddit, uel petit debitum, dummodo id ei non placeat, & probabiliter arbitretur eum non deſtiturum, licet ipſa ei debitum neget. imo nec maritus peccaret idem faciendo cum uxore adultera, ſi ei adulterium diſpliceret, & conſideratis perſonarum, loci, temporis aliiſque circunſtantiis, probabiliter crederet eam non poſſe ab adulterio arceri ſine maximo ſcandalo, & damno publico uel priuato. Quod ſi coniunx innocens cæpit negare debitum adulteranti, & poſtea adulteretur, tenetur ei reddere, quia hoc crimen quoad poteſtatem negandi debitum, per compenſationem tollitur, & negans debitum ſine rationabili cauſa, qualis eſt petentis adulterium, & reddentis probabile ægritudinis, & uitæ periculum, mortaliter peccat, etiam ſi fuerit dies Paſchæ, in quo communicare debent.

Sed dubium eſt an ſi adultera pœnitentiam egerit, & adulterium reliquerit, cogi poſſit uir innocens, illam reſumere, & quod de uno dicitur, de altera etiam intelligitur, nam licèt peccatum uxoris ſit grauius, tamen quoad hoc iudicantur ad paria

X 32.q.5.

32.q.5.ca.Præcepit,& q.7.ca. Apoſtolus. Ad quod reſpondet S.Bonau. quod ad reconciliationem faciendam, aut uterq; concordat,aut uterq; diſcordat,aut unus petit,& alter repugnat: ſi uterque diſcordat, nec poteſt, nec debet fieri, niſi fiat propter ſcandalum Eccleſiæ,ſi uterque publicè fornicaretur; ſi uterq; cõcordat abſque dubio fit; Si autem alter petit,aut nocens petit innocentem,& ſic non debet cogi ad reconciliationem, aut innocens nocentem,ut uir caſtus uxorem, & ſic ipſa inuita debet reconciliari per iudicium Eccleſię, quia ſicut dicunt iura, quod in meum fauorem introductum eſt,in meum damnum nõ debet retorqueri.aut nocens nocentem petit,ut mulier quæ prius eſt fornicata repetit virum,qui eſt poſt diuortium fornicatus, & ſic eſt reſtituendus maritus uxori inuitus, non quia actio mulieris reſuſcitata ſit,ſed in pœnam fornicationis,quia abuſus eſt priuilegio libertatis; quantumcumque tamen mulier faciat pœnitentiam,nunquam acquirit ius in uirum ipſo nolente,niſi uir fornicetur,& hoc propter contumeliam, quam intulit matrimonio, quia directe peccauit contra bonum fidei. Eandem ſententiam tenent S.Thom.Palud. Tur. Crem. & uidetur communis, nam quando Canones, & Doctores dicunt uxorem cogendã eſſe, loquuntur,uel quando uir innocens illam repetit,uel quando ipſa quoque poſt diuortium adulterium comiſit, at quod innocens, qui continenter uiuit cogatur, hoc nunquam Canones tradunt, & confirmatur primo,quia ſi ſecundum communem adulter vel adultera, quæ igne de adulterio pœnituit,non poteſt repellere accuſantem,quia pœnitentia non tollit actionem 34.q.2. ca admonere, multo minus poterit poſt diuortium coniugem repetere,ad effectum ut cogatur, quia facilius tollitur actio, quam exceptio. Confirmatur ſecundo, uir aut uxor propter alterius adulterium,non ſolum põteſt ab adultera ſeparari, ſed etiam poteſt continentiam uouere, etiam illa inuita, & Religionem ingredi,& profeſsionem facere, & ſacros ordines accipere, ut probatur ex S.Tho.& ex Stylo Romanæ curiæ, quod non poſſet ſi poſt pœnitentia cum illa redire teneretur.

S. Bonau. Pet.de Palu.S.Tho. 4.ſ. d. 35. Tur. Cre. 32.q.7. in c.Apoſtolus.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Quid ſit Pœnitentia, ut eſt uirtus, & ut eſt Sacramentum, quid contritio, quid, & quotuplex ſit attritio, quæ ſit illa quæ ui Sacramenti efficitur contritio, & quomodo efficiatur. Cap. XVIII.

POenitentia, ut eſt uirtus, eſt deteſtatio, & odiū peccati cōmiſſi propter Deum, cum firmo propoſito emendandi uitam, & ſpe ueniæ diuinitus obtinendæ; ex qua deteſtatione ſequuntur dolor, & ſatisfactionis opera, & hæc pœnitentia in noua lege eſt pars Sacramenti pœnitētiæ, illi.n. deteſtationi modo adiungitur propoſitū confitendi, & Pœnitētia, ut eſt Sacramentū, ſic definiri pōt. Pœnitentia eſt Sacramentum abſolutionis, quo Sacerdos ſibi ſubditū cōfitētē legitimè peccata ſua, cū debita deteſtatione, & propoſito ſatisfaciendi, ab eis, ſalutari ſatisfactione impoſita, abſoluit, tres enim ſunt huius Sacramenti partes proximæ, Contritio.ſ.Confeſſio, & ſatisfactio. *Quid ut uirtus.* *Quid ut Sacramentum.* *Eius partes.*

Contritio eſt diſplicentia, & deteſtatio uoluntaria de peccatis proprijs commiſsis, ſupra omne odibile, quatenus eis Deus ſummè diligēdus offenditur, cū ſpe veniæ, & propoſito uitādi omnia peccata, ſaltē mortalia, ſuper omne vitabile, & confitendi, & ſatisfaciendi; Non.n. eſt contritio eſſentialiter dolor ſenſitiuus, ſed intellectiuus, ex quo ſequitur ſenſitiuus, tāquā illius effectus; & hæc peccati deteſtatio, & propoſitū illud euitandi, debet eſſe ſupra omne odibile, & uitabile, ſi nō intēſiuè, ſaltē appręciatiuè, ita ut potius velimus ſubijſse, & ſubire quæcūq; mala, quam peccaſſe, & peccare. Nec eſt ob id neceſſarium, quod pœnitens credat ſe nunquam peccaturum, aut ad experiendum propoſitū ſuū quod deſcendat ad particulares comparationes, quæ periculoſę ſunt imperfectis, & ſi fierent, & pœnitēs titubaret, dubitās de ſua infirmitate, potius eſt ſignum bonū, nā ut inquit S.Bonau. pręeligere omnē pœnā, eſt perfectę virtutis, dubitare eſt infirmitatis, ſed pręeligere culpā alicui pęnæ, hoc eſt iniquitatis, Et ſi alicui videtur, quòd non ita perfectè doleat, eum ſaltem pœniteat, quod talem dolorē non habeat, hoc enim ei ſufficiet, ut abſolui poſſit. *Contritio quid.*

Attritio eſt dolor, ſeu deteſtatio peccatorū imperfecta, & iuxta defectū qualitatū, ſeu circūſtātiarum cōtritionis diuidenda eſt, & eſt triplex. Prima eſt eorum, quos pœnitet peccaſſe, & uellent non peccare, ſed non omnino ſtatuūt à peccatis abſtinere, ſed in *Attritio qd & quotuplex.*

aliquo perſeuerare uolunt, Altera eſt eorum, quos pœnitet peccaſſe, & ſtatuunt non peccare, non propter Deum, ſed quia peccatum eis incommodat. Tertia eſt eorum, quos pœnitet peccaſſe, & ſtatuunt non amplius peccare, ob eam præcipuè causã, quia peccatũ eſt Dei offenſa, ſed nõ concipiunt peccatum, ut rẽ ſuper omnia deteſtabilia deteſtandã, nec ipsũ uitare proponunt ſuper omne uitabile, licet ſe ita concipere, & proponere credãt, & duæ quidẽ priores attritiones, nec per ſe, nec cũ Sacramẽto pœnitentiæ ſufficiunt ad obtinẽdã peccatorũ remiſsionem, imo peccarẽt ſic attriti, petentes abſolutionẽ, & Sacerdotes eos abſoluẽtes, im piũ.n.eſt ſperare à Deo dimidiã ueniã, & ſicut gratia, & peccatorũ remiſsio ſunt à Deo ultimo omniũ fine, ita etiã propter ipſum principaliter ſuper omnia deteſtabilia, peccata deteſtari, & relinquere debemus, Tertia autem attritio, licet per ſe non ſufficiat ad obtinendam gratiam, adiuncto tamen Sacramento informatur gratia, & ſic attritus ui Sacramenti efficitur contritus, & attritio iſta contritio.

Quomodo efficiatur contritio.

Aliqui nõ intelligẽtes quomodo attritio, ſine ſui mutatione, vi Sacramenti, per hoc, quod gratia informatur, poſſit fieri cõtritio, dicunt ui Sacramenti ex attrito fieri cõtritũ, ſicut ex nocte fit dies, quia deſinit ille dolor imperfectus, & ſuccedit perfectus per hoc, quod peccator dũ Sacramẽtũ ſuſcipit, conſiderat ſuorũ peccatorũ grauitatem, Dei iuſtitiam, & miſericordiam, Sacerdotis admonitionibus adiuuatur, & ſic diuina cooperante gratia peccata ſua perfectè deteſtatur, & efficitur contritus. Sed hac ratione non ſolum tertio modo attritus; ſed etiam omnino impenitens, uirtute Sacramenti efficeretur contritus, & hoc non eſſet proprium Sacramentorum, nam legendo, & audiendo uerbum Dei, poteſt quis ex impœnitente fieri contritus, & Sacramentum pœnitentię non daret primam gratiam, nam ſi accedẽs ad Sacramentum debet prius diſponi, & effici contritus, ut ſit diſpoſitus ad Sacramentalẽ gratiam, prima gratia erit ui contritionis, & tamen certum eſt Sacramentũ non ſolũ augere gratiam contrito, ſed etiã dare primã gratiã tertio modo attrito, in eadẽ attritione perſeuerante, quæ uirtute gratiæ Sacramentalis, ſine ulla ſui mutatione informatur, & dicitur & eſt contritio. nam ui gratiæ illa deteſtatio roboratur, vt ſit ſuper omne deteſtabile, ſicut inculpabiliter eſſe credebatur, in quo differt à perfecta cõtritione; deteſtatio.n.peccati ſuper omne deteſtabile habet quãdã latitudinẽ, ratione cuius cõtritio poteſt eſſe maior, & minor, cuius infimus gradus eſt ille, qui ex attritione efficitur, nam ante

Sacramentum illa deteſtatio peccati non erat in rei ueritate ſuper omne deteſtabile, & conſequenter facilè tentationibus euanuiſſet, & licet per gratiam Sacramentalem non fuerit immutatus uoluntatis actus, roboratur tamen voluntas, ut uirtute illius gratiæ, ſi ei cooperari voluerit, poſſit in actum perfectæ deteſtationis prorumpere, ac ſi perfectam deteſtationem haberet, ſicut ſe habere credit.

Quod Contritio, & Dei dilectio ſuper omnia non poſſint eſſe ſine gratia. Cap. XIX.

NOn poteſt autem dari contritio, ſine gratia, in quo errauit Caie. qui in tractatu de attritione, & cõtritione, duplicẽ diſtinguit contritionẽ, informem .ſ. & formatã, nã in cõtritione formata (inquit) duo ſunt, quorũ unũ eſt in poteſtate noſtra, & de eo certi eſſe poſſumus .ſ. diligere Deũ ſuper omnia, & quod hæc dilectio ſit in noſtra poteſtate, ex eo patere dicit, quia ſicut eſt in poteſtate noſtra conſtituere nobis pro ultimo fine delectationẽ ueneream, aut lucra, ita eſt in poteſtate noſtra habere Deũ, etiã ut eſt beatitudo ſãctorũ, pro ultimo fine ita quod intendamus, & deliberemus præferre ipsũ in uolũtate noſtra, omnibus quę deſiderari, haberiuè poſſunt; & cũ diſplicentia peccati, & propoſitũ nõ peccandi, quantificentur ex quantitate amoris, ſicut poſſumus amare Deũ ſuper omnia amabilia, ita etiã poſſumus habere propoſitũ vitandi peccatũ ſuper omnia uitabilia, & illud deteſtari, ſuper omnia deteſtabilia, Alterũ, quod in contritione formata requiritur eſt, ꝙ iſta dilectio Dei ſuper omnia, & deteſtatio peccati ſuper omne deteſtabile, quia eſt offenſa Dei, ſit informata charitate diffuſa à Spiritu Sancto in cordibus filiorum Dei, & hoc eſt ex diuina gratia, & nobis incertum, & tam dilectio Dei ſuper omnia, quã contritio poſſunt eſſe (inquit) ſine charitate, quod ex eo probat, quia multi ſciunt ſe habere hanc dilectionẽ, & neſciunt ſe eſſe in charitate, ſi autẽ huiuſmodi tã cõtritio, quã dilectio nõ poſſet eſſe informis manifeſtè ſequeretur, quod ſcire poſſemus euidẽter nos eſſe in Dei gratia, quia euidẽter certi ſumus de nobis ipſis, ꝙ habemus hãc uoluntatẽ deliberatã pręferendi omnibus Deum; unde concludit, quod eſt duplex cõtritio, prima cõtritio eſt acquiſita diſplicẽtia peccati ſuper oẽ odibile, cũ propoſito uitãdi peccatũ, ſup omne uitabile, ex amore Dei ſupra omne amabile, & hæc uocatur contritio informis, ſecunda contritio eſt hæc eadem diſplicentia,

Caietani ſententia.

cum dicto, tam propoſito, quam amore, charitate informata, & uocatur contritio formata.

Caietani ſententia impugnatur.

Hæc Caietani opinio, ut inquit Sotus diſt. 17. q. 2. ar. 5. uſq; ad ipſum non fuit audita, nec erit unquam, qui illam recipiat, eſt. n. falſiſſima, & contra Magiſtrum ſuum S. Tho. qui. 1. 2. q. 109 ar. 3. docet hominem in ſtatu naturæ corrupte, nõ poſſe diligere Deũ ſuper omnia naturaliter, ſicut poterat in natura integra, ſed ad hoc indigere auxilio gratiæ, naturam ſanantis, ex quo conſequẽ ter ſequitur, quod nec etiam poterit deteſtari peccatum ſuper omne deteſtabile propter Deum ſumme dilectum, cum hæc deteſtatio ex illo Dei amore ſequatur, qui ſine gratia haberi nõ po teſt. Et Caietani rationes nullius ſunt momenti, nam rem uenercam, lucrã, & huiuſmodi facile poſſumus ſuper omnia diligere, quia hoc eſt ſecũdum corruptionem naturæ, & corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & proni ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcẽtia ſua, at licet naturaliter cognoſcamus Deũ eſſe ultimum omnium rerum finem, & eſſe ſuper omnia diligendum, & peccatum quo Deus offenditur eſſe ſuper omnia deteſtã dum, & conſequenter etiam poſſimus naturaliter uirtute huius cognitionis deſiderare, & uelle hunc Dei amorem ſuper omnia, & hanc peccati deteſtationem ſuper omne deteſtabile propter Deum; non tamen poſſumus ex nobis ſic Deum diligere, & peccatum deteſtari, ſed indigemus auxilio gratiæ ſanantis naturã, quia hoc eſt priuatum naturæ corruptæ commodum contemnere, ſenſum rationi, & Deo ſubdere, animum à creaturis abſtrahere, & in ſolo Deo collocare, quod ubi facere attentauerimus, innumeras ex corruptione naturæ, & ex inimicis noſtris corporalibus, & ſpiritualibus ſentiemus difficultates, quas nos infirmi, & ſemiuiui iacentes, ſine Dei gratia ſuperare non poſſumus.

Solutio argumenti de dilectione Dei ſuper omnia.

Solutio argumẽti de certitudine gratiæ.

Ad id autem, quod ſubdit Caietanus, quod ſi hæc Dei dilectio, & cõtritio non poſſet eſſe ſine gratia, poſſemus euidenter ſcire nos eſſe in gratia, reſpondet benè Sotus, quòd adhuc iſta dilectione, & contritione informi, non fugit difficultatem, nam ſi Deus nõ dat tunc gratiam contrito, & eum ſuper omnia diligenti, illam dabit paulo poſt, cum dixerit Zach. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, & Ezech. 18. *in quacunque hora ingemuerit peccator, &c.* Si ergo homo certus eſt ſe habere ultimam diſpoſitionem, poſt paruum tempus certus erit ſe habere gratiã, Et addo, quod ſi iuxta argumentum Caietani, Deus ideo non dat ſtatim gratiam contrito, ne certus ſit ſe habere gratiam, ſicut certus eſt ſe habere cõtritionem, quibuſdam contritis nũquam debet dare, nam ſi dao

om-

omnibus,poſt diem,menſem,annum, uel annos, certi de eorum contritione,certi tandem erunt ſe eſſe in gratia;& ſi nec tũc erũt certi, quia Deus adhuc differt illam dare quando illam,dabit? vel quare ita differt?hoc profecto eſt à Chriſtiana ueritate,& pie tate aliẽnũ,quia nobis tribuitur, quod uiribus noſtris faciamus totum id, quod Deus à nobis requirit, & requirere poteſt.ſ.ꝙ illum ſuper omnia diligamus, & propter illum ſũmè dilectũ pec catum ſuper omne deteſtabile deteſtemur,& quod nihilominus Deus non propterea det nobis ſuã gratiã,& hoc non quia aliquid amplius à nobis requirat, ſed ne certi ſimus nos eſſe in gratia.

Dicamus igitur, quod Dei dilectio ſuper omnia, & contritio, nunquam poſſunt eſſe ſine gratia, & quod nos uiribus noſtris ſi ne gratia non poſſumus ſic Deum diligere,& cõteri,ſed dilectio, & contritio,ſunt ſimul à gratia,& à libero arbitrio,& gratia in ge nere cauſę efficientis eſt prior dilectione,& contritione,in gene re autem cauſæ materialis dilectio,& contritio, ut eſt à libero ar bitrio,eſt prior gratia,quia eſt diſpoſitio ad illam (poſſunt enim duo,vt etiã docet Ariſ.2.phy. eſſe ſibi inuicẽ cauſa in diuerſis ge neribus cauſarum,nam uentus aperiens,& intrãs feneſtrã, prior eſt in genere cauſæ efficientis aperitione, ſed aperitio, prior eſt in genere cauſæ materialis,quia niſi prius natura eſſet aperta,uẽ tus non ingrederetur) quæ gratia quantum eſt ex parte Dei ne mini denegatur,& qui illam non habent, eſt eorum culpa, quia noluerũt Dei ſpecialia auxilia,quibus ad ipſam diſponebãtur,ac ceptare,& illam, Deo offerente,& liberum arbitrium ad illam ex citante,cooperari;& acceptare noluerunt. Quod autem homo ſtante corruptione naturę, nõ poſſit uiribus naturalibus ſine gra tia Deum ſuper omnia diligere,multis rationibus à Sacra ſcriptu ra,à Concilijs,& Sanctis habemus. primo, quia declaratur dile ctionem Dei importare,& habere annexam obſeruationem man datorum Dei. Io,14. 2. quia uolentibus peccata relinquere, & Deo ſeruire,indicitur immane bellum, & multæ inſurgunt diffi cultates,ob quam cauſã admonentur,ut ſint in timore, & præpa rent animam ad tentationem Eccl.2. 3. quia admonemur dile ctionem qua Deum diligimus eſſe donum Dei.1.Io.4. & Ro.8. 4. quia à ſanctis condemnantur, & à Concilio Arauſicano ana thematizantur,qui non aſſerunt Dei donum eſſe,diligere Deum 5. quia Chriſtus docuit,quod ſine ipſo nihil efficere poſſumus. 6. quod eſt prædictorum ratio, quia homo incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum,& plagis impoſitis abierunt,ſemi uiuo relicto. Luc.10. 7. quia ſic à Spiritu ſancto edocti,quando

Veritatis explicatio & probatio.

Quod ſine gratia Deus ſuperomnia diligi non poſsit.

Quod cõtritio non ſit ſine gratia.

Quod nõ ob id ſim' certi de gratia, & quæ ſit caũſa.

Deus propter noſtram cooperationem nobis dicit,vt conuertamur,nos uiciſsim dicimus illi,*Conuerte nos Domine, & cõuertemur.* Hier.31.Quod etiam Dei dilectio,& contritio non poſſit eſſe ſine gratia,ex dictis ſequitur, & ex Sacra ſcriptura manifeſtè probatur,Ezech.18.*Cum auerterit ſe impius ab impietate ſua,ipſe animam ſuam viuificabit.*ideſt in eodem inſtanti. Zach.1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos.* Matt.10.*qui amat patrem,aut matrem pluſquã me non eſt me dignus*, ergo qui amat Chriſtum ſuper omnia, eſt illo dignus, Apoc.3.*ſto ad oſtium,& pulſo ſi quis aperuerit mihi intrabo ad illum*, quando? ſtatim, quomodo ei aperitur? per contritionem, & dilectionem ſuper omnia.

Nec ob id ſequitur,ut infert Caietanus, quòd certò ſcire poſſemus nos eſſe in gratia, nam incertitudo gratiæ non eſt ſumenda ex parte Dei,quaſi illam non det ſtatim diſpoſito, ſed quando vult, quia certi ſumus,quod illam ſtatim infallibiliter dat diſpoſito,ideſt contrito, & diligenti Deum ſuper omnia, etiam extra Sacramenta, & attrito, modo expoſito,virture Sacramentorum & præter auctoritates adductas, ita nos certos reddidit, & ſeipſum obbligauit,ut Eſa.1.dixerit. *Venite, & arguite me dicit Dominus,ſi fuerint peccata ueſtra ut coccinum,quaſi nix dealbabuntur.* Sed tota ratio incertitudinis gratiæ, ſumitur ex parte noſtra, quia non poſſumus eſſe certi, an uerè ſimus contriti, & diligamus Deum ſuper omnia, *prauum enim eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud?* Hier.17. ſæpe nobis uidetur, quod moueamur propter Dei gloriam, & reuera quærimus proprium commodum, uidetur aliquando nobis, quod ſimus ita conſtantes in Dei amore ſuper omnia, ut pro ipſo parati ſimus mori, & interim in angulo cordis latet quædam praua affectio,quæ uel data minima occaſione excitatur, & propter illam Dei mandata contemnimus. Petrus ita ſe firmum, & conſtantem in Chriſti amore credebat, & tantum ſibi tribuebat, ut audacter diceret, *Domine tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire, animam meam pro te ponam.* Cui ſcrutator cordium Ieſus reſpondit, *animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi in hac nocte prius quam gallus bis uocem dederit, ter me es negaturus.* at ille ſubiunxit, *& ſi oportuerit me mori tecum non te negabo.* qui eadem nocte, ſine tormentis, & minis, ad uocem ancillæ Chriſtum negauit,& cum unus ei diceret: *non ne ego te uidi in horto cum illo? capit anathematizare deteſtari, & iurare,quia neſcio hominem iſtum quem dicitis.* Accedentes etiam ad Sacramenta non ſolum nõ ſunt certi de eorum diſpoſitione, ſed nec etiam de miniſtri intentione. Si autem loquamur

quamur de probabilitate, ſicut probabiliter credimus nos eſſe contritos, ita etiam probabiliter credere poſſumus nos eſſe in gratia, quod ſufficit ad ſedandas conſcientias.

An præter generalem contritionem omnium peccatorum, ſit neceſſarium de ſingulis in particulari conteri.
Cap. X X.

CErtum eſt ad remiſſionem peccatorum, & ad acquirendã gratiam ſufficere unam contritionem generalem omniũ peccatorum, quia peccator in inſtanti poteſt conuerti, Ezech. 18. *in quacumque hora ingemuerit peccator, &c.* Eccleſ. 11. *Facile eſt in conſpectu Dei ſubito honeſtare pauperem*, diſcuſſio autẽ nõ poteſt fieri in inſtanti, & poteſt dari caſus in quo peccator nõ habeat tẽpus examinandi conſcientiã, & conterendi de ſingulis peccatis ſeparatim, quia ſubmergitur, præcipitatur, ab inimicis occiditur, quo caſu ſufficit, quod ex intimo cordis dicat ſolum, peccaui. Sed dubium eſt, an præter hanc generalem, & uirtualem omnium peccatorum contritionem, neceſſarium etiam ſit poſtea data oportunitate, de ſingulis in particulari conteri. Caiet. loco citato, dicit particulares deteſtationes eſſe ſolum neceſſarias in lege Euangelica, propter præceptum Sacramentalis confeſſionis, quod cum non eſſet in lege naturæ, & in lege ſcripta, ſufficiebat generalis, & virtualis contritio omnium peccatorum, & non erant neceſſariæ particulares deteſtationes; & ſi obijciatur, quòd illa generalis, & momentanea contritio fert ſecum propoſitum ſpecialis contritionis de ſingulis mortalibus in ſe ipſis, ſicut baptiſmus flaminis, fert ſecum propoſitum baptiſmi fluminis; reſpondet, quod uoluntariè hoc dicitur, quia neque ex ſacra Scriptura, neque ex doctoribus habetur neceſſitas particularium contritionum, quod etiam probat, quia ſufficit illa generalis contritio. In quo non eſt audiendus Caietanus ſpecialis cõtritio ſingulorum peccatorũ ultra generalem, non ſolum eſt neceſſaria in ordine ad Sacramentalẽ cõfeſſionẽ, ſed fuit ſemper neceſſaria, non propter remiſſionem peccatorum, & gratiam obtinendam, quia (vt diximus) ad hoc ſufficit generalis, & momentanea contritio, ſed propter præceptũ, quod eſt de contritione ſingulorum peccatorum in particulari. Pro huius explicatione, & probatione notandũ eſt, quòd licet ante legẽ euangelicam non eſſet Sacramentalis confeſsio, ſemper tamen fuit

Caietani ſententiæ de particulari cõtritione ante Euãgelium.

Caietani ſententiæ impugnatio.

Quod particular. diſcuſsio cõtritio, & confeſſio fuerint ſẽper neceſſaria.

fuit neceſſarium confiteri peccata ſua deo, & pro tali confeſsione diſcutere conſcientiam ſuam, & propria peccata in memoriā reducere, & de illis omnibus ſigillatim conteri, quod præceptū obligabat ſaltem in periculo mortis, & fortè etiam antequā immineret periculum obliuionis, & quòd hoc ſemper fuerit in omni tempore neceſſarium, probatur ex Sacra Scriptura, ubi innumerę ſunt auctoritates, ſed duas ſolum breuitatis cauſa adducam, pſ. 55. *Deus vitam meam annunclaui tibi*, confitendo. ſ. tibi peccata mea, *poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo*. Iſa. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, ideſt recogitando, tibi confitebor omnia peccata uitæ meæ, & hoc in amaritudine animæ meæ, ubi habentur lachrymæ, & contritiones ſingulorum peccatorum, quæ diſcuſſa conſcientia deo confeſſa fuerunt. Probatur etiam ratione, quia Deus eſt omnium iudex, tam malorū, quam bonorum, & cum durum ſit incidere in manus Dei uiuentis, conceſſit nobis, ut nos ipſos iudicemus ne tanquam mali ab ipſo iudicemur, de eſſentia autem iudicij eſt, quod examinētur, & diſcutiantur merita cauſæ, duplex autem eſt dei iudicium, ad puniendum. ſ. & ad remunerandum, iſtud non debemus præueniendo uſurpare, quia illi ſoli reſeruatur, remuneratio enim eſt ex mera dei gratia, in qua fundatur omne noſtrum meritum, at perditio eſt à nobis, ob quam cauſam nobis timendum eſt, & nō de bonis operibus gloriandum, & cum bona omnia fecerimus, adhuc dicere debemus, *ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus*. Luc. 17. Iudicium autem, quod eſt ad puniendum pręuenire poſſumus, & debemus, quia eſt iuxta noſtra demerita, & prouenit ex eo, quod ex nobis eſt, & hæc eſt differentia inter pœnitentes, & impœnitentes, quod impœnitentes nolunt hoc iudicium præuenire, & ſe ipſos iudicare, ſed expectant à iudice examinari, & iudicari; & ita ſine ulla ſpe ueniæ in morte efflata anima, iudicantur, & ad ignem deputantur æternum, iuxta eorum demerita. At pœnitentes hoc iudicium præueniunt, ſe ipſos iudicant, & condemnant, ut non condemnentur, ſed cum miſericordia iudicentur. Potuiſſet quidem deus differre remiſſionem peccatorum vſque ad finem iudicij, & ad ſatisfactionem, quam pœnitens facere debet. Similiter, & in noua lege, uſque ad realem Sacramētorum ſuſceptionem, ſed eſt adeo miſericors, quod ſimulatque peccator ex corde proponit facere id ad quod tenetur, ei remittit peccata, & dat ſuam gratiam, ſed non propterea illum liberat ab obligatione præcepti, imo magis obligat, vt citius & feruentius illud exequatur; quemadmodum, & apud nos, domini

mini ſoluentes mercedem operariorum antequam operas ſuas exhibeant. Concludamus igitur, quod licet per generalem, & momentaneam contritionem omnium peccatorum nobis remittātur peccata, non ſolum modo propter Sacramentalem cōnfeſſionem, ſed ſemper fuit neceſſarium ultra illam generalem contritionem, conteri de ſingulis peccatis in particulari, & illa Deo in amaritudine animæ confiteri.

Quomodo intelligatur particularis contritio.

Vidēdum nunc eſt quomodo intelligatur iſta particularis ſingulorum peccatorum cōtritio, Caietanus, qui in ordine ad Sacramentalem cōfeſsionem ſpeciales deteſtationes peccatorum mortalium neceſſarias eſſe admittit, reſpondet dupliciter hoc poſſe intelligi. primo, vt ſint tot numero deteſtationes quot fuerunt numero peccata. 2. vt ſint tot numero deteſtationes, quot ſunt ſpecies peccatorum, ut una deteſtatio ſit pro omnibus fornicationibus, alia pro omnibus adulterijs, alia pro omnibus blaſphemijs, & dicit, quod hoc ſecundo modo intelligitur neceſſitas particularium deteſtationum, ſubdit etiam non eſſe neceſſarias ſpeciales contritiones, ſed ſpeciales deteſtationes, quas prę cedere, uel ſubſequi debet generalis contritio, & iſta ſententia eſt etiam S. Tho. 4. ſ. ubi dicit, quod contritio dupliciter poteſt conſiderari, quantum ad principium, & quantum ad terminum, principium contritionis eſt cogitatio, qua quis cogitat de peccato, & dolet, ſi non dolore contritionis, ſaltem dolore attritionis, terminus autem contritionis eſt, quando dolor ille iam gratia informatur; quantum ad principium contritionis, oportet (inquit) quod ſit de ſingulis peccatis, quæ quis in memoria habet, sed quantum ad terminum, ſufficit quod ſit una communis de omnibus, tūc enim ille motus agit in uim omnium diſpoſitionum præcedentium.

Caietani ſententia.

Caietani ſententiæ impugnatio.

Primum, quod hic dicit Caietanus cō tritionem generalem coexigere ſpeciales deteſtationes peccatorum in ſe ipſis, ſed non ſpeciales contritiones, non uidetur bene dictum, quia non eſt hoc loco facienda diſtinctio inter deteſtationes imperfectas, & contritiones, nunquam enim nobis datur præceptum de attritione, ſed ſemper de contritione, ſed excuſamur cum credimus nos eſſe contritos, & ſumus ſolum attriti, & cum Sacramento non ſolum ſufficiunt attritiones particulares, ſed ſufficit etiam generalis attritio, nec de neceſſitate requiritur, quòd ſit contritio, at extra Sacramentum nulla attritio ſufficit. Quod etiam requirantur tot ſpeciales deteſtationes numero, quot ſunt ſpecies peccatorum, quę quis in memoria habet, non eſt ſimpliciter neceſſarium; nam cum pręceptum de con-

tri-

tritione ſingulorum peccatorum in particulari poſſit facilius intelligi, alleuianda eſt confeſſio, & facilitanda eſt pœnitentibus via ſalutis, ne ſint in continuo ſcrupulo, an ſemper tot habuerint particulares, & diſtinctas deteſtationes, & conſequenter an integrè fuerint confeſsi, quia non putabant tot numero deteſtationes illis neceſſarias eſſe. Dicimus igitur bonum, & ſanctum eſſe tot habere contritiones, ſeu deteſtationes, quot fuerũt numero peccata, uel quot fuerunt peccatorum ſpecies, ſed neutrum eſt neceſſarium, nam poteſt dari cum Medina tertius modus quo contritio ſit formaliter de ſingulis peccatis, qui talis eſt, ut ſingula peccata, per conſcientiæ diſcuſſionem ad memoriam reuocetur, & illa omnia, unico, uel pluribus actibus, in principio, uel in medio, uel in fine diſcuſsionis deteſtentur, quæ contritio, licet ſit vna generalis, eſt etiam formaliter de ſingulis memoriæ, & uolũtati oblatis, & uirtualiter de oblitis, nam ſicut oculus vnico actu videt omnes ſibi præſentes, & ſingulos in particulari, & ſicut intellectus poteſt in multa obiecta ſimul repræſentata, unico, uel pluribus actibus tendere, ita etiam uoluntas, poteſt in multa peccata, uel bona, ſimul ei oblata, unico uel pluribus affectibus tendere, iſta eligendo, & illa deteſtando, & qui ſic vnico actu conteritur, de ſingulis peccatis in particulari menti oblatis conteritur, qui autem generaliter conteritur, nulla facta diſcuſsione, nõ formaliter, ſed uirtualiter de ſingulis conteritur. quod autẽ ſufficiat iuxta hunc tertium modum, unico actu de ſingulis conteri, probatur etiam tali exemplo de meretrice, quæ licet nolit relinquere peccatum, vult nihilominus in Paſchate integrè confiteri, & diligenter conſcientiam examinat, & omnia peccata, quaſi hiſtoriam narret, ſine ullo dolore confitetur; Sacerdos cupiẽs illius conuerſionem, licet nullam in ea percipiat peccati deteſtationem, patienter audit, & exquirit, ut integrè omnia cõfiteatur, audita illius confeſſione, illam redarguit, & propoſito Dei iudicio, & miſericordia, illã ad pœnitentiam hortatur, quæ in lachrymas conuertitur, emendationem promittit, & dat ſigna veræ cõuerſionis, peccata ſua deteſtatur, & pro illorum abſolutione inſtat, & orat ne differatur abſolutio, quæ licet non habuerit ſpeciales deteſtationes quando conſcientiam examinauit, & quando confeſſa eſt ſua peccata, poteſt & debet abſolui, & non eſt neceſſarium, ut tunc iterum confiteatur, ut tot actus contritionis habeat, quot fuerunt peccata, aut peccatorum ſpecies, quia illa generalis contritio eſt formaliter de ſingulis confeſſis, & uirtualiter de oblitis.

Veritatis explicatio
Medina Cod. de Pœn. q. 3.

Tra-

Præceptum de Contritione quando obliget.
Cap. X X I.

PRæſupponimus tanquam certum, eſſe peculiare præceptũ de Pœnitentia, ſeu Contritione, & dubitatur modo quando obliget, & de peccato quidem dimiſſo, etiam ſi memoriæ practicè ſe offerat (licet contrarium dicat Caietanus) non tenemur iterum conteri, ſed poſſumus cogitationem diuertere; quia Deus non iudicat bis in id ipſum Nahum. 1. loquendo autem de peccato non dimiſſo, Caietanus dicit præceptum contritionis eſſe partim affirmatiuum, & partim negatiuum; quatenus eſt affirmatiuum, obligat ſemper, ſed non ad ſemper, quatenus uerò eſt negatiuum, obligans ad non manendum in inimicitia Dei, obligat ſicut & cætera negatiua, ſemper, & ad ſemper, & ad ſtatim, & ſicut qui tenet alienum, tenetur ſtatim reddere, ſic qui eſt in ſtatu inimicitiæ Dei, tenetur ſtatim ab illo exire, quod etiam probatur Eccl. 5. *Ne differas conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem, nam cito uenit ira Dei.* Apoc. 2. *Age pœnitentiam ſin autẽ ueniam tibi cito.* Contra hanc Caiet. ſententiam arguit Sotus; & certè aſſerere, quod peccator teneatur ſtatim commiſſo peccato, peculiari præcepto, pœnitentiam agere, uidetur durum, tum quia pœnitentiam differendo infinities peccaret, cum in omni tempore dilationis, infinita ſint partialia tempora, in quibus poteſt pœnitere; tum etiam, quia nemo à Sacerdotibus uſum clauium habentibus repræhenditur, quaſi denuo peccauerit, per hoc, quod non ſtatim pœnituit. Accedit etiam, quod non eſt in contrarium conuincens ratio, aut auctoritas, nam pręceptum de pœnitentia agenda, eſt affirmatiuum, quod obligat loco, & tempore, quod autem dicit Caiet. eſſe etiam negatiuum, ut bene notat Sotus, eſt falſum, quia ad non manendum in inimicitia Dei, non tenemur nouo præcepto, ſed alijs particularibus, Non occides, non furtum facies, &c. & homicida differens pœnitentiam, non committit aliud peccatum impœnitentiæ, ſed ſolum auget culpam homicidij, idem etiam poſſumus dicere de fure non ſtatim reſtituente, quod auget peccatum furti, ſed non committit nouum peccatum quouſque noua ratio neceſſitatis creditoris, uel alia nouum peccatum inducat. & ſi concedamus, quod nouum etiã peccatum committit non reſtituendo, adhuc eſt diuerſa ratio, nam dominus rei furto ſublatæ, vult rem ſibi ſtatim reſtitui, at Deus

Caietani ſententia tract. 17. q. 1.

Caietani ſententiæ impugnatio.

Deus pœnitentiam pro offenſa non ſtatim à nobis ſingulari præcepto exigit,ſed conſulit,ut ſtatim pœniteamus,& pericula pœnitentiam differentibus oſtendit, loco autem, & tempore obligat,iuxta uim præceptorum affirmatiuorum.

Quando obliget. Duo autẽ ſũt caſus in quibus hoc ſingulare cõtritionis præceptũ obligat. Primus eſt in articulo mortis; ꝙ intelligas quando percipitur periculũ.Secũdus eſt quãdo aliquid faciẽdũ,uel ſuſcipiẽdũ eſt,ꝙ requirit gratiã,huiuſmodi ſunt Sacramẽta, quę ſi in peccato mortali ſuſcipiũtur,uel adminiſtrãtur ſacrilegiũ cõmittitur.Scotus addit tertiũ caſũ,dicit.n.obligare etiã diebus feſtis quia feſtorũ cultus nobis præceptus eſt,ut Deũ colamus, alij negãt,Doctores graues ſunt pro utraq; ſẽtẽtia,cõſulatur tutior, & nõ cõdẽnetur altera. Caietanus ponit quartũ caſũ quãdo.ſ.peccata practicè memoriæ occurrũt,ut opere cõplenda, aut cogitatione in eorũ delectatione ſiſtẽdo, quæ ſẽtẽtia eſt etiã Alex.Ric. Gab.& Palud.& probãt,quia tũc peccatũ occurrit,tanquã Dei offenſiuũ,& eſſet dei cõtẽptus,niſi illud homo deteſtaretur.Sed dicimus cũ Soto ſatis eſſe,quãdo peccatum practicè memoriæ occurrit cogitationẽ ab illo dimouere, ſi ſic periculum conſenſus euitamus,nec ullus ob id eſt Dei contemptus, ſicut nec etiam ſi dilectionis actum non elicimus, cũ dei bonitas,& eius in nos beneficia memoriæ occurrunt. Accedit etiam, quod contritio eſt de peccatis commiſsis, & poteſt menti occurrere peccatum perpetrandum, quod nunquam fuit commiſſum. Adrianus addit quintum caſum,quando aliqua maxima populi neceſſitas inſtat, cui abſque orationis feruore prouideri non poſſit.

Quid ſit Confeſsio, & quæ peccata, & peccatorum circunſtantiæ neceſſario confiteri debeant.
Cap. XXII.

CONfeſſio Sacramentalis eſt ſecreta ſuorum peccatorum accuſatio coram proprio Sacerdote, ut ab illis Sacramẽtaliter abſoluatur. Neceſſario confitenda ſunt omnia,& ſingula peccata mortalia,& illa de quibus pœnitens dubitat an ſint mortalia quantumuis occulta, etiam ſola cogitatione à pœnitente poſt baptiſmum commiſſa, quæ aliàs legitimè cõfeſſa non fuerunt, cum illis omnibus circunſtantijs,quæ mortaliter aggrauant,cuiuſmodi ſunt illę, quæ opus in ſe bonũ, uel ueniale,mortale reddũt, qualis eſt relatio illius operis in finẽ mor-

ta-

talem, & quæ opus mortale ob unã cauſam, ob aliam etiã cauſã mortale efficiunt, quales ſunt illæ, quæ mutant ſpeciem in genere moris, Omnes autem circunſtantiæ hoc uerſu continentur *Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* quibus, additur, quoties, ſed hoc potius pertinet ad ſubſtantiam actus, quã ad circunſtãtiam. Circunſtãtiæ peccati propter diuerſa præcepta ſubordinata, prohibentia peccatum illud cui ſunt annexæ, nõ ſunt neceſſario confitendæ, quia ſubintelligũtur. qui.n. confitetur ſe commiſiſſe homicidium conſequenter etiam confitetur ſe feciſſe cõtra præcepta declinandi à malo, de dilectione Dei, & proximi, & alia huiuſmodi generalia.

Circunſtã tię quot.

Illę etiam circunſtantiæ, quæ ſunt uia ad unum peccatum, licet in ſe ſint pecccata mortalia, tamen quia non mutant ſpeciem, nec ſpeciali præcepto prohibitæ ſunt, ſed eo ſolum quo peccatũ illud prohibetur, tanquam uia ad ipſum, ſi peccatum illud opere completum eſt, non ſunt neceſſario confitendæ, ſed ſatis eſt confiteri peccatum in quo uirtualiter intelliguntur, cum ratione vnius actus uoluntatis continuati, unum ſit peccatum, licet materialiter ſint multa, & interrupta, propter multos actus illicitos, ut qui adulterium commiſit ſatis eſt, quod confiteatur adulterium, nam colloquia, oſcula, amplexus, neceſſariò intelliguntur; illas autem circunſtantias, quæ non ſunt illi peccato neceſſario annexæ confiteri tenemur, ut ſi alterius opera uſi ſumus, quia fuimus cauſa, quod ille etiam mortaliter peccauerit. quod ſi peccatum non fuit opere completum, non ſufficit dicere uoluntatem adulterandi, ſed debent exprimi colloquia oſcula, &c. quia iſtæ circunſtantię non ſunt neceſſario annexæ uoluntati peccandi, ſicut peccato completo. Si autem poſt colloquia, & oſcula quis pœnitentia ductus non uult peccatum illud proſequi, & poſtea ad eadem colloquia reuertatur, & peccet, non ſatisfacit ſi ſolum hoc peccatum, & hęc colloquia confiteatur, ſed debet etiam neceſſario confiteri priora colloquia, & oſcula cum mutatione uoluntatis, quia cum non proceſſerint hæc, & illa ab uno uoluntatis actu continuato, uel etiam ita interrupto, ut uirtualiter perſeueret, ſed à duobus actibus numero diſtinctis, quibus intermediat contrarius uoluntatis actus, uel illius obliuio, ſunt duo peccata.

De circũſtãtiis ſub intellectis.

Circũſtantia diei feſti ſecundum Scotum, & qui illum ſequuntur, neceſſario eſt confitenda, at ſecũdum S. Thomã, & Thomiſtarũ ſcholã nõ eſt neceſſario confitẽda, & hãc ſẽtẽtiã ſequẽtes, dicimus, quod licet diei feſti, & loci Sacri circunſtantię aggrauent;

De circũſtãtia diei feſti, & loci ſacri.

non

tur hominibus facilior, & amabilis, & iugum Domini ſuaue, quod plurimum intereſt ad ſalutem animarum, Et confirmatur, quia Concil. Trident. cui interfuerunt uiri doctiſsimi, qui de his opinionibus in ſcholis diſſeruerunt, declarauit circunſtātias, quę mutant ſpecies eſſe confitendas, ſignificans à contrario ſenſu aliàs non eſſe neceſſariò confitendas, In tribus tamen caſibus circunſtantia aggrauans eſt confitenda. Primus, quādo peccatum ratione ipſius reſeruatur, ſicut ſolent Epiſcopi furta, & damna certæ quantitatis ſibi reſeruare, uel ſtatuere, quòd abſolutio ſiue reſtitutio fiat certo modo. Secundus, quando habet annexam excommunicationem, uel efficit, ut ſit Papalis, ut eſt grauis clerici percuſsio. Tertius eſt, quando Confeſſarius de illa interrogat, per quod ſoluitur præcipuum argumentum Soti, nā ſi non eſſet neceſſario confitēda ſequeretur (inquit) quòd ſi pœnitens mentiretur, dicens ſe non eſſe furatum niſi decem, cum furatus ſit mille nō redderet confeſsionem inualidam Pro cuius explicatione, & pro ſolutione argumentorū Soti, notādū eſt, duplex eſſe Dei iudicium, unū quod ad exactam, uel punitionem, uel præmiationem ordinatur, & hoc eſt exactiſsimū, quod particulariter fit in morte vniuſcuiuſque & uniuerſaliter fiet in die iudicij, aliud eſt, quod non ordinatur niſi ad bonum perſonæ quæ iudicatur, & hoc eſt iudicium Sacramentale, quod fit per Sacerdotes ad ſalutem pœnitentium ordinatum, & hoc nō exigit, tā exactam peccatorū confeſsionē, quia nec etiam pęnitentia eſt tam ad unguem taxanda, nec medicina adhibenda, ſed ad arbitrium confeſſarij claue non errante, & propterea nō tenemur cōfiteri niſi ſola mortalia, nec etiam tenemur confiteri omnes circunſtantias peccaui mortalis, etiam aggrauantes, ſed ſolum mutantes ſpeciem in genere moris, ut ſic Cōfeſſio ſit integra, cū vnū peccatum in genere naturæ, ſit multiplex in genere moris. Eſt vlterius notandū circa mendaciū in Confeſſione dictū de his, quæ cōfiteri non tenemur, Caiet. 2. 2. q. 69. ar. 2. putat omne mēdaciū in cōfeſsione eſſe peccatū mortale, qui tamen in ſumma moderatius loquitur, alij è contra dicunt nullum mendacium de his, quæ non tenemur confiteri eſſe mortale. Sed ueritas in medio conſiſtit, nam licet pœnitentes obligentur ſolum confiteri illas circunſtantias, quę habent rationem noui peccati mortalis, tamen Confeſſarius poteſt etiam de alijs interrogare, & ſi interrogat de impertinentibus, & etiam de uenialibus, quæ non ſunt materia neceſſaria Confeſſionis, pœnitens mentiendo non peccat mortaliter, at ſi interrogat de circunſtantijs peccatorum

Cōc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5 & can. 7.

Duplex Dei iudicium.

De mēdacio in confeſſione.

mortalium aggrauantibus,puta an domi habeat occaſionem pec candi,an in alijs etiam confeſsionibus promiſerit reſtituere,uel dimittere occaſionem peccandi, gradum conſanguinitatis cum qua peccauit,quantum furatus eſt, tenetur reſpondere ad rem, & mentiendo peccat mortaliter;& ratio eſt,quia indulgētia,quæ fit pœnitentibus,ut non teneantur omnes peccatorum circūſtan tias confiteri,eſt ad tollendos ſcrupulos, & ſedandam eorū conſcientiā, & quia aliæ circunſtantiæ remittuntur prudentiæ cōfeſ ſarij,ut de illis interroget quātum iudicauerit expedire,ut ſciat an pœnitens ſit ſufficienter diſpoſitus, an debeat ante abſolutionem iniungere ſatisfactionem, & quod remoueat occaſionem peccandi,quam domi habet, ut poſsit ex circunſtantia multum aggrauante pœnitentem ad maiorē cōtritionē diſponere, & opor tuniori remedio in futurum prouidere,quas circunſtantias tanquā iudex poteſt exquirere, & pœnitēs interrogatus tenetur cō fiteri,& ſi excuſatur dū nō interrogatur de illis eſt, quia ad tollē dos ſcrupulos erat danda generalis regula,non tamen excuſatur mētiendo quādo interrogatur,uel ante,ne de illis interrogetur, quia ſic augentur ſcrupuli,& conſcientia confunditur, nā confeſ ſarius, ut iudex poteſt plura interrogare, quam pœnitens per ſe teneatur confiteri,hoc enim exigit natura iudicij. Alia argumen ta Soti facilè ſoluuntur, quia licet plura furta æquiualeant vno magno,& plures occidantur unico ictu ſulphureo,ſunt nihilominus plura furta,& plura homicidia, & propterea ut confeſsio ſit integra,debent diſtinctè confiteri.

De circūſtātiis minuētibus. Circūſtantiæ,quæ minuūt grauitatē peccati,nō ſūt neceſſariò cōfitēdæ,& melius eſt illas ſubticere:dicere.n.quod prouocatus adulteriū cōmiſit,potius ad excuſationem pertinet. At ſi ita minuunt, ut opus ex ſe mortale ueniale reddant, neceſſario confitendæ ſunt. De circunſtantijs autem impertinentibus, certum eſt,quod ſunt à Confeſsione tanquam ſuperfluæ reiiciendæ.

De numero. Numerus peccatorum mortaliū eſt neceſſario confitendus, & ſatis eſt dicere certum numerum peccatorum cuiuſq; ſpeciei,ut decies,cēties, tale peccatū cōmiſi:at ſi aliquod horū aggrauatur circunſtantia mutante ſpeciē, illud cum ſua circunſtantia ſpecificandum eſt, quod ſi certus numerus ignoretur conſiderare debemus quoties in die,hebdomada, uel menſe plus minuſuè peccatū illud admiſerimus,& ueriſimiliorē numerum exprimere.Et quādo hūc numerū Sacerdos ex pœnitētis ſtatu colligere pōt,illū manifeſtare ſufficit,ut ſi publica meretrix dicat ſe per decennium paratam,& expoſitam fuiſſe ad fornicandum,cum omni ge

nere hominum, etiam cum clericis religioſis, &c. debet autem in manifeſtatione ſtatus, & temporis, exprimi an frequenter in illud peccatum inciderit, quia poteſt quis per multum temporis in ſtatu peccati manere,& rarò peccare. Eorum autem cautela, qui numerum maxime excedentem dicunt, omnino caueri debet, nam qui pluries ſe peccaſſe affirmat, quam peccauerit, peccat contra diſcretionem Confeſsionis, infamando ſeipſum. Et non eſt numerus ſumendus ex ſolis peccatis opere completis, ſed etiam ex reiteratione uoluntatis, non quidem ſimpliciter interruptæ,ſed mutatæ,niſi interruptio æquiualeat mutationi.

Qui obliuiſcitur cõfiteri circũſtantiã neceſſariò confitendam (ut benè inquit Nau.) non tenetur iterum confiteri illud peccatum,quod iam eſt confeſſus, ſed ſatis eſt, ut ſolam illam circunſtantiam confiteatur, dicendo exempli gratia,toties licita iuramenta tranſgreſſus ſum,uel contra uotum feci,quam circunſtantiam in alia confeſſione ex obliuione ommiſi. De circũſtãtia oblita. Nau.ibid. nu. 10.

Peccata uenialia utiliter quidem confitentur, & ſunt materia Confeſſionis,ſed non neceſſaria,ſicut nec etiam peccata mortalia legitimè confeſſa quidam tamen uoluerunt, quod qui non habet niſi uenialia, ratione præcepti Eccleſiaſtici de confitendo ſemel in anno,teneatur illa confiteri;ſed dicimus, quod hoc caſu non tenetur confiteri, ſed ad euitandum ſcandalum debet ſe præſentare Confeſſori, & dicere quomodo nullum ei mortale peccatum occurrit,quod confiteatur, nam Eccleſia quando præcipit, ut ſemel in anno confiteamur, intelligit ſi habemus mortalia,hæc enim ſola iure diuino neceſſario ſunt confitenda,& Eccleſia non poteſt materiam non neceſſariam,neceſſariam facere. Poteſt tamen dari caſus in quo iure diuino confeſsio ſit facienda de ueniali, quando .ſ. non habetur niſi unum mortale, quod ſine periculo uitæ confiteri non poteſt, & neceſſario eſt celebrandum, de quo diximus in p.p.lib.3.cap.10. Religioſi tamen qui vi ſuarum conſtitutionum tenentur ſingulis hebdommadibus, vel menſibus confiteri, quorum uita præſupponitur aliena à peccato mortali, ſi non habent mortalia debent uenialia confiteri, & hoc quia ipſimet ſe obligarunt, ſubdendo ſe illis conſtitutionibus: quæ cum ſint, non ut laqueum inijciant, ſed ut ad perfectionem inducant, non ita obligant, ut neceſſarium ſit confiteri omnia peccata uenialia, ſed poterunt eligi aliqua præcipua uenialia, uel aliqua etiam mortalia aliàs legitimè confeſſa, & reliqua ommitti, & ſi interrogati à Confeſſario de aliquo ue- De peccatis uenialibus.

niali, uel mortali legitimè confeſso negant, non ob id peccant mortaliter, quia cum non ſint materia neceſſaria, poſſunt accipere pro materia, illa quæ uolunt, hæc dicta ſint, ut explicetur natura præcepti, nam illi quibus Deus concedit, ut ſine mortali uiuant, non ſolum in paſchate, ſed etiam ſæpius ſola uenialia confitentur, religioſorum perfectionem imitantes.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ, & quomodo verificetur in contrito, & aliàs confeſſo, & plenariam indulgentiam conſequuto.

Ca. XXIII.

FOrma eſſentialis huius Sacramenti eſt, te abſoluo, ſed quia nullus poteſt abſolui à peccatis, quin prius fuerit abſolutus ab excommunicatione, ſi aliqua tenetur, ob id maiorem cautelam ſolet præmitti abſolutio ab excommunicatione, quatenus Confeſſor abſoluere poteſt, alia etiam præmittuntur, & poſtponuntur, tanquam maximè congruentia, & ſunt iſta Miſereatur tui, &c. Dominus noſter Ieſus Chriſtus per ſuam piiſsimam miſericordiam te abſoluat, & ego auctoritate illius mihi licet indigniſsimo conceſſa, abſoluo te in primis ab omni uinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, in quantum poſſum, & indiges, de inde te abſoluo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c. Aliqui ſolent addere abſoluo te ab omnibus peccatis tuis mortalibus ue nialibus, contritis, confeſsis, oblitis, & huiuſmodi, quę relinquenda ſunt, tanquàm ſuperflua, & aliquando parum uera, non enim abſoluit ſolum à contritis, ſed etiam ab attritis, neq; ab omnibus uenialibus, cum fortè pœnitens multa habeat, quæ non vult relinquere, nec impediūt remiſsionem aliorum peccatorū.

De ueritate formæ. Quomodo autem verificetur forma in contrito, & aliàs legitimè confeſſo, & multo magis in illo, qui conſecutus eſt plenariam indulgentiam, cui remiſſa eſt non ſolum culpa, ſed etiam omnis pœna. Magiſter ſententiarum facile ſe ab his difficultatibus expediret, cum enim ſolius Dei ſit peccata remittere, non vult, quod Sacerdos illa remittat, ſed à Deo remiſſa eſſe declaret, ita ut ſenſus formæ ſit, te abſolutum oſtendo, qui meritò hac ex parte ab omnibus derelinquitur, eſt enim iſta ſententia falsa, & à Sacro Concilio Tridentino tanquam hæretica cōdē nata.

Falſa mag. ſent. ſententia 4. ſ. dis. 18.

ſeſſ. 14. can. 9.

nata, nam cum formæ Sacramentorum debeāt accipi in ſuo proprio ſenſu, Sacerdotes uerè à peccatis abſoluunt, ut Dei miniſtri, quod manifeſtè apparet in his qui attriti ad hoc Sacramentum accedunt. Sotus ad propoſitas difficultates reſpondet, ſenſum formæ eſſe quantum in me eſt, & per ſe áttinet ad uirtutem Sacramenti, Ego te abſoluo, hoc eſt Sacramentum abſolutionis tibi impendo, cuius uirtute ſi eſſes attritus, & ſic in peccatis exiſteres, abſolutus fieres, & ita ſemper ſaluatur veritas formæ, quia per accidens eſt, quod qui confitetur ſit in gratia, uel non ſit legitimè diſpoſitus, & ueritatem formę in abſolutione data contrito ſic oſtendit, quia contritio includit uotum confeſsionis pro ſuo tempore, & in virtute futuri Sacramenti peccata remittit, & propterea dum quis abſoluitur, applicatur Sacramentum, cuius virtute eſt abſolutus: in quo ſenſu vera eſt forma, Ego te abſoluo, quia tunc Sacerdos, complet, quod pœnitens in uoto gerebat, ſicut cum baptizatur adultus contritus, uera eſt forma; Ego te baptizo, cuius virtute, & uoto fuerat ab originali ablutus. Sot. ſentētia 4.d.14. q.1. ar. 3.

Hæc expoſitio eſt bona, & eſt etiam S. Thom. in 4. Sed non plenè euacuat difficultatem, ſaltem quoad abſolutionem datam aliàs legitimè confeſſo, & plenariam indulgentiam conſecuto, licet enim quantum eſt ex parte Sacramenti ſemper abſoluatur pœnitens, in rei tamen ueritate ille pœnitens cui prius remiſſa fuerunt peccata non abſoluitur, non defectu Sacramenti, ſed quia non eſt quod remittatur, & quamuis abſolutio data contrito uerificetur, quia eius virtute fuerunt per contritionem peccata remiſſa, non ſic poteſt uerificari abſolutio data iteranti confeſsionem legitimè factam; nam Sacramentalis abſolutio præcedentis confeſsionis non remiſit peccata uirtute abſolutionis iterum dandæ eandem confeſsionem iteranti; & ſi dicatur, quod uerificatur, quia pœnitens abſoluitur à parte pœnæ in purgatorio debitæ, ponamus, quod per plenariam indulgentiam, uel per propriam ſatisfactionem, plenè ſatisfecerit, & ad nullam teneatur pœnam, & quod hoc per reuelationem conſtet, & exemplum ſit de Petro, qui confitetur ſe negaſſe Chriſtum, & de Paulo, quod perſecutus eſt Eccleſiam, qui etiam teſtantur illa, & omnia alia iuuentutis peccata, quæ confitentur, fuiſſe ſibi remiſſa, ſimiliter, & omnem pœnam eis debitam, ſed nihilominus ad augmentum gratiæ, virtute huius Sacramenti ſe petere abſolutionem, ſi nullo ligantur vinculo, tam culpæ, quam pœnæ, & ab utroque Expoſitio Soti nō euacuat difficultatē.

liberati ſunt, non virtute huius abſolutionis, ſed alterius præcedentis, quomodo poſſunt nunc abſolui? & ſi uerè non abſoluuntur, uerè non eſt Sacramentum, & non confertur gratia ex opere operato; Si dicatur, quod ſi certò ſciretur pœnitentē reiterātem confeſsionem ad nullam pœnam teneri, non eſſet ei danda abſolutio, hoc uidetur falſum, & contra uſum Eccleſiæ, quia ſi ratione incertitudinis poſſet reiterari Sacramentum, omnia Sacramenta reiterari poſſent, quia non ſolum non habetur certitudo de attritione, ſed nec etiam de intentione dantis, & ſuſcipientis Sacramentum, ſed ſufficit moralis certitudo, quod cum ſerio agant, intendunt quod efficiunt, ut ſic non debeat reiterari Sacramentum; præterea uſus Eccleſiæ eſt, quod reiteranti confeſsionem ſemper detur abſolutio, etiam ſi confeſſarius iudicet, & credat præcedentem confeſsionem vigore iubilei eorundem dumtaxat peccatorum factam, tenuiſſe, non quod neceſſarium ſit eadem pluries confiteri, ſed quia infinities ab eiſdem peccatis, ſi infinities pœnitens confiteretur, poteſt abſolui, quomodo ergo uerificatur in his caſibus forma abſolutionis?

Triplex peccati uinculum

Pro quo notādum eſt, quod peccatum eſt uinculum, quod triplici ligamine ligat, Primum eſt culpæ, ſecundum etiam dimiſſa culpa, eſt pœnæ. tertium etiam dimiſſa culpa, & pœna, eſt reliquiarum peccati, huiuſmodi ſunt naturæ infirmitas, & procliuitas ad peccandum, ex peccatorum actibus contracta, mentem eorum memoria perturbare, & ad peccandum allicere, Eſt vlterius notandum, quod proprius, & immediatus effectus Confeſsionis eſt gratia, ut tollit peccata, & ita eius forma ſumpta eſt ab effectu gratiæ quam confert, qui eſt peccata quibus ligamur tollere, Sed quia culpa eſt in peccatis præcipua, qua Dei gratia priuamur, ob id primo, & principaliter hoc Sacramentum inſtitutū eſt ad tollendas culpas, minus autem principaliter inſtitutū etiā eſt ad tollenda alia duo peccatorum uincula, quæ dimiſſa culpa, alijs etiam medijs tolli poſſunt; quod manifeſtè probatur, quia ſi propter ſolam culpam, & non etiam propter alia peccatorum vincula eſſet inſtitutum, ſequeretur quod illa dimiſſa, nihil operaretur, & quod non eſſet danda abſolutio reiteranti confeſſionem legitimè factam, quod eſt falſum, & contra vſum Eccleſiæ: ſicut ergo Confeſſio ſæpius reiterari poteſt, pro diminutione pœnæ (quod etiam docet S. Tho. 4. d. 18. q. 1. ar. 3. q. 2. ad 4. ubi dicit, quod poteſt toties reiterari eorundem peccatorum Confeſſio, & abſolutio, ut ui Sacramenti tota remittatur pœna) ita etiā poteſt reiterari, remiſſa etiam tota pœna, pro diminutione impu

De uero ſenſu formæ.

rita-

ritatum, & reliquiarum peccatorum, ut contra nos minus poſſint,& multo magis, quam pro remiſsione pœnæ, quia illis magis ligamur, quam pœna, quæ non inclinat nos ad peccandum, ſicut iſtæ reliquiæ, quæ cum uerecundiam tollant, rationem perturbent, uoluntatem alliciant, deuotionis feruorem minuant, & mentem diſtrahant, ad ſimilia peccata perpetranda nos inclinant,& hac ratione poteſt infinities reiterari, quia nunquam totaliter deleantur, ſed ſemper remanent ad exercitium, ob quam cauſam Propheta dixit, *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Et peccatum meum contra me eſt ſemper.* Et quamuis dimiſſa culpa, Sacramentalis abſolutio ſit à pœna, & etiam ea dimiſſa, ſit à peccatorum impuritatibus, infeſtationibus, & reliquijs, ſimpliciter tamen dicendum eſt, quod abſolutio eſt à peccatis, quia eſt à uinculis peccatorum, & ſicut dicitur, quod peccata his tribus modis nos ligant, ita etiã dicimur his tribus modis à peccatis abſolui, nam quot modis dicitur vnum contrariorum, tot etiam dicitur, & alterum, & Propheta remiſſa culpa, nõ dixit peccati pœna, uel peccati reliquiæ, ſunt contra me ſemper *Sed peccatum meum contra me eſt ſemper. Et ab iniquitate mea, & a peccato meo, amplius laua me, & munda me.*

Qui poſsint audire Confeſsiones poteſtate ordinaria, & delegata, An petens, & non obtinens à proprio Parocho facultatem alteri confitendi poſsit ob id alteri confiteri, Qui poſsint eligi, & quamdiu duret iuriſdictio delegata. Ca. XXIIII.

CVm Sacramentum pœnitentiæ ſit iudicium, quo homines uirtute clauium ad regnum cœlorum admittuntur, aut inde excluduntur, ſolus Sacerdos erit miniſter huius Sacramenti, & non quilibet, ſed ille, qui ſupra pœnitẽtem habet iuriſdictionem ordinariam, uel delegatam, duplex enim poteſtas in Confeſſario requiritur ordinis. ſ. & iuriſdictionis, & hoc iure diuino, unde abſolutio data à Sacerdote non habente iuriſdictionem, uel à non Sacerdote, etiam iuriſdictionem habente, eſt nulla, & non eſt Sacramentum. Qui poſſint audire.

Proprius Confeſſarius eſt ille, cui ex proprio officio animarũ cura incumbit, & tres ſunt cuiuſcunque ſecularis proprij Confeſſarij, Papa, qui eſt uniuerſalis totius Eccleſiæ, Epiſcopus in Qui ſit proprius Cõfeſſarius.

ſuo Epiſcopatu, & Parochus in ſua parochia, proprius Parochi Confeſſor, eſt Epiſcopus, & Epiſcopi, Archiepiſcopus; Papa cum nullum habeat ſupra ſe, ille eſt eius proprius, quem ipſe ſibi eligerit, & cui ſe ſubijciens iuriſdictionem tribuit, Religioſi ſub Pontifice, habent etiam ſuos ordinarios Prælatos.

Nullus alius Sacerdos poteſt Confeſſiones audire, niſi ab aliquo proprio Confeſſario facultatem habuerit (excepto mortis articulo in quo omnes Sacerdotes, & ab omnibus peccatis, & cẽſuris abſoluere poſſunt, & excepto etiã caſu quo pœnitẽs non habet niſi uenialia, uel mortalia legitimè confeſſa, nã cũ non ſint materia neceſſaria, poteſt abſolui ab illis, à quocunque Sacerdote) quam facultatem delegatus alteri dare non poteſt, niſi à proprio Confeſſore id ei expræſsè concedatur. Proprius autem Confeſſor ſolum pro ſibi ſubditis illam dare poteſt, & ita ſolus Papa poteſt concedere facultatem audiendi Confeſſiones omnium fidelium totius mundi. Qui iuriſdictionem ſuper aliquos habent ordinariam, uel delegatam, poſſunt illos abſoluere etiam intra terminos alienæ iuriſdictionis, nec illorum locorum Ordinarijs iniuriam efficiunt, cum hæc abſolutio ſit ſine ſtrepitu, & figura iudicij.

Vbiq. poſſunt audire ſuos.

Facultas audiendi dupliciter conceditur.

Hæc facultas dupliciter cõcedi poteſt, uel ipſis Sacerdotibus, vel alijs, ut ſibi Confeſſarium eligant, & ſi à maiori, puta à Papa, vel ab Epiſcopo habetur, non tenetur pœnitens petere à Parocho licentiam, ut delegato confiteatur, etiam in Paſchate.

De Religioſis.

Facultas audiendi Confeſsiones à Papa, & à iure data eſt Religioſis mendicantibus, non abſolutè omnibus, ſed fratrũ Prælati debẽt eligere fratres idoneos, & in numero cõueniẽti, & eos præſentare Epiſcopis, & ab eis petere, ut bona eorũ uenia, in ſuis Diœceſibus pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare poſſint, qui ſi præſentatos ſine iuſta cauſa admittere noluerint, poterunt præſentati Confeſſiones audire ac ſi admiſsi fuiſſent iuxta formam Clem. dudum de ſepult. Et licet ſatis pateat per eandem Clem. Epiſcopos habuiſſe ius illos examinandi, quia iuſta de cauſa poterant illos non admittere (quo caſu Prælati debebant alios eorum loco præſentare, ut ſic conſtito, quod in illorum odium, & nõ quia innepti eſſent, nõ admittebãtur, Cõfeſſiones audire poſſent, ac ſi admiſsi fuiſsẽt) hoc tamẽ eſt expreſsè declaratũ, & determinatũ per Conc. Trid. & poterunt Epiſcopi illos approbare, uel ſimpliciter, uel ad Tempus, uel quo ad Cõfeſſiones uirorũ tãtũ, uel mulierũ tantum, uel puerorũ tantum, habito reſpectu ſufficientiæ, & iuuenilis ætatis, quam aliqui præſeferunt licet 25. annum excedant,

ſeſſ. 23. de reform. c. 15

dant, omni fraude ceſſante, & ſemel præſentatus, & admiſſus, etiam ſi aliquoties extra diœceſim exeat ad quam præſentatus fuit, non indiget noua præſentatione, Religioſi ſic pręſentati, & admiſſi vigore priuilegij Sixti 4. poſſunt audire confeſſiones omnium, qui ad ſua loca confitendi cauſa venerint, licèt non ſint ex Epiſcopatu ad quem præſentati fuerunt, nec ob id poſſunt extra loca pro quibus præſentati fuerunt confeſſiones audire, niſi illorum tantum, qui ſunt ex Epiſcopatu, ad quem fuerunt præſentati, licet aliqui hoc negent, & dicant ſolos proprios Confeſſarios poſſe audire Confeſsiones ſuorum ſubditorum ubique; inter quos eſt Sylu. & fundantur in uerbis d. Clem. ubi dicitur, quod extra ciuitates, & diœceſes pro quibus ſunt deputati, non poſſint illam facultatem exercere, Sed ut benè inquit Sotus in 4. Clementina hoc ſolum vult, quòd Religioſi, per hoc, quod approbantur ab uno Epiſcopo, non putent ſe habere facultatem in ſubditos aliorum Epiſcoporum, & ſi Parochus poteſt ſuos parochianos ubique audire, & dare illis facultatem, ut dum iter agunt confiteantur cui uoluerint, poterunt etiam Parochus, & Epiſcopus dare facultatem Præsbyteris, & Religioſis, ut ſibi ſubditos ubique audiant. Quorum Confeſsiones audire poſſint

Facultas eligendi Confeſſorem conceditur à iure Epiſcopis, & tam inferioribus, quam ſuperioribus Prælatis exemptis, cap. ne pro dilatione. de pœn. & remiſ. & utraq; facultas audiendi cōfeſsiones, & confeſſorem eligendi multis alijs conceditur, & Parochi debent eſſe faciles in dāda facultate ſuis, qui alteri idoneo confiteri uolunt. Facultas eligēdi cōfeſſorem quibus cōceſſa.

Peregrini, & uagabundi debent confiteri Parochis in quorum Parochia exiſtunt, uel alteri habenti facultatem audiendi Confeſſiones omnium, non enim debent eſſe melioris conditionis, quam incolæ, nec video cauſam propter quā Caietanus Confeſsionem eis ad ſolū tēpus quo cōfiteri tenētur reſtrinxerit, ſed puto cū Soto, quòd poſsint quotieſcumque voluerint. De peregrinis.

Verum occurrit hoc loco dubium, an quis poſſit confiteri alteri non habēti iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam ſuper eū, per hoc quod petiuit licentiam à proprio Parocho alteri confitendi, & non vult illi confiteri, uel propter illius imperitiam, vel nequitiam, quia eſt confeſſionum detector, aut ſolicitator ad malum, & Parochus petitam licentiam concedere noluit. Hoſt. Palud. Rich. Adr. & Sylu. tenent, quod poſſit, moti auctoritate Vrbani Papæ in cap. Placuit de Pœnit. diſt. 6. & ratione, quia Deus neminem abſque eius culpa beneficio pœnitentiæ deſtituit, at proprij Sacerdotis iniquitas eū priuat iure audiendi De petente, & non obtinente licentiam alteri confitendi.

Con-

confeſſionem,ergo relinquitur ius ſubdito alium exquirẽdi, qui ſibi expediat. Sed relicta iſta ſententia tanquam falſa, contrariam quæ eſt S.Tho.Marſ.Caiet.& Soti ſequimur,nam ad audiendas confeſsiones iure diuino eſt neceſſaria iuriſdictio,quam propter ſolam proprij Sacerdotis nequitiam nullus alius acquirit, & ita cap.omnis utriuſq; ſexus,iubetur,vt ſi quis iuſta cauſa vult alieno Sacerdoti confiteri,à proprio licentiam petat, & obtineat huc etiam accedit, quod daretur unicuique anſa fingendi malitiam,& periculum in proprio Sacerdote, & etiam in ſuperiore cui propter caſus reſeruatos confiteri debet: & ſi propter proprij Sacerdotis abſentiam, uel mortem alteri nullam ſuper nos iuriſdictionem habenti, confiteri non poſſumus, multo minus poterimus eo licentiam denegante. quare ſi nullus alius eſt, qui ſupra pœnitentem illum iuriſdictionem habeat, nec eſt ad Superiorem recurſus,poterit ei confiteri(ut dicemus c.27.)relictis illis peccatis,quę ſine periculo ei confiteri non poteſt,cum propoſito illa confitendi cum primum illorum idoneum confeſſarium inuenerit. Nec obſtat d. cap. Placuit. nam ſenſus, & caſus illius cap. eſt, dum quis habens facultatem, uel priuilegium eligendi confeſſarium,committit ſe ſua ſponte alicui Sacerdoti, & Sacerdos ille pœnitentiam iniunxit, uel eum abſoluere noluit, & ob id ad alium accedit, vt pœnitentiam impoſitam minuat, uel vt eum abſoluat,Papa vult,quod iſte ſecundus electus ſi uiderit primum rectè functum fuiſſe ſuo officio in pœnitentia iniungenda, vel in non danda abſolutione, uel ſi ipſe nouit prioris ſufficientiam;remittat pœnitentem ad illum, & ſine eius conſenſu nõ abſoluat. Non igitur loquitur ibi Pontifex de proprio Confeſſore, & Gloſa,quæ ait ſe commiſit, ideſt cuius parochianus eſt, uerbi ſenſum peruertit,nam ſe committere arguit libertatem in committente,& quod ſequitur,cui prius confeſſus eſt, denotat hanc poſteriorem confeſsionem eſſe reiterationem prioris.

Qui eligẽdi. ſeſſ.23. c. 15.

Circa prædicta ſunt duo notanda. Alterum eſt, quòd modo poſt Conc.Trid.habens facultatem eligendi confeſſorem non poteſt eligere quemlibet Sacerdotem,ſed ſolum ex approbatis, & ad Confeſsiones audiendas admiſſis,quemcumq; uoluerit.Similiter,& Parochus non niſi approbatum poteſt ſubdelegare.

Facultas delegata quãdo ſpiret.

Alterum eſt,quòd qui audiunt Confeſſiones non iure ſuo,ſed auctoritate ſibi delegata,mortuo delegante, uel ammoto ab officio,iuriſdictionem ammittunt,niſi forte hæc facultas data ſit à iure,ſicut datur Prælatis exemptis,ut ſibi Confeſſorem eligant, uel à Papa, ſeu ab inferiore de illius auctoritate per modum gratiæ,

tiæ,& priuilegij perpetui,qualis eſt facultas data mendicãtibus, at ſi ſit data à Papa non per modum gratiæ,& priuilegij perpetui, ſed per modum commiſsionis,ſpirat eius morte, quia nõ eſt ſimpliciter gratia,ſed delegatio quædam : & delegati iuriſdictio re integra,ideſt quoad ea in quibus nõ cæpit uti iuriſdictione ſua, ſpirat per mortem delegantis, uel eius ammotionem. cap. ſi cui de præb. in 6. At Prælati inferiores Papa licet poſsint concedere indulgentias perpetuas,quia eſt gratia quæ non præiudicat; gratias tamen,quæ præiudicant,ſine cognitione cauſæ, & conſenſu Capituli,in perpetuum concedere non poſsunt, huiuſmodi ſunt facultates audiendi Confeſsiones,& eligendi confeſſorem, quæ proinde eorum morte, uel ammotione ſpirant. Licet autem notoriè excommunicatus,uel ſuſpenſus non poſsit delegare, cum non habeat uſum iuriſdictionis ſuæ, ſi tamen aliquem prius delegauit per eius notoriam ſuperuenientem excommunicationem non tollitur vſus iurisditionis delegati, & ita poterit Confeſsiones audire.

Quod inferiores non poſsint abſoluere à reſeruatis Superioribus, A quibus poſſint Epiſcopi, & ab eis electi, Quod Regulares non poſſint abſolui à ſuis Superioribus à caſibus Bullæ Cænæ. Et quod non poſsint abſoluere à caſibus reſeruatis Epiſcopis. Cap. XXV.

SAcerdotes inferiores non poſſunt abſoluere à caſibus, & peccatis Superioribus reſeruatis, niſi de illorum licentia; & ſi abſoluunt, abſolutio eſt nulla, defectu iuriſdictionis. Illi qui habent delegatam facultatem audiendi confeſsiones,non poſſunt abſoluere à reſeruatis niſi id eis in eorum priuilegio, uel facultate ſpecificetur. Sed magis ad particularia deſcendamus.

Epiſcopi uigore Conc. Trid.ſeſſ.24.c.6. poſſunt abſoluere ſibi ſubditos ab omnibus caſibus,etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, occultis tamen,& in foro conſcientiæ,per ſe, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputatum,at à crimine hæreſis ipſi ſoli, & non eorũ Vicarij poſſunt,in foro tantum conſcientiæ abſoluere, hoc tamẽ priuilegium quoad caſus bullæ Cænę domini, eſt eis ſublatũ vigore dictę bullæ,propter clauſulas derogatorias in illa cõtẽtas. Ex quo à fortiori colligitur Regularium priuilegia à Sixto 4. & Iu- (Epiſcopi a quibus abſoluere poſsint.)

regulares a caſibus bullę vigore ſuorum priuilegiorum non poſſunt abſolui.

Iulio 2. cōceſſa, quod poſsint abſolui à ſuis Superioribus ab omnibus caſibus, etiam contentis in Bulla Cœnæ Domini, exceptis quatuor, aut quinque, & hoc perpetuo, & quod per dictam Bullam nunquam intelligatur hoc priuilegium reuocatum; nihilominus quoad abſolutionem à caſibus dictæ bullæ, fuiſſe ſublata, propter clauſulas derogatorias, etiam illorum priuilegiorum, de quibus facienda eſſet ſpecialis mentio, nam ibi Papa magis reuocare intendit aliorum priuilegia, quam in Concilio Tridentino expręſſe contenta, nec poteſt in Bulla deſiderari clauſula derogatoria clarior, per quam intelligantur eorum priuilegia quo ad caſus in illa contentos eſſe reuocata; Vnde collector priuilegiorum de hoc dubitauit, & aſſeruit, quod Superiores ordinum deberent ſingulis annis accedere ad Papam, ut mentem ſuam ſuper hanc rem aperiat, alias ab eis abſolutus non erit tutus in conſcientia. Auctoritas etiam, quę datur in plenarijs Indulgētijs abſoluendi ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ Domini, non ſe extendit ad abſolutionem à crimine hæreſis, ut Superius diximus in tractatu de excommunicatione cap. 27. Cum autem Papæ nullum peccatum reſeruetur niſi ratione cenſuræ ipſi reſeruatæ, parochus abſolutum à cenſura reſeruata Papæ, poterit abſoluere ab illo peccato ob quod incurrit in illam cenſuram, niſi ſit reſeruatum Epiſcopo.

De abſolutionib⁹ uigore indulgentiarum.

De auctoritate electorum ab Epiſcopis Palud. 4. d. 17. q. 3. ar. 2. cōc. 2.

Confeſſarij electi ab Epiſcopis, uel à Prælatis exemptis uigore d. cap. Ne pro dilatione ext. de pœn. & rem. vt inquit Petr. de Palude, contra Hoſt. poſſunt illos abſoluere ab omnibus cenſuris, & peccatis, iuramenta relaxare, & commutare uota præterquam in reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, etiam Archiepiſcopo inuito: Iſti enim Confeſſarij non habent auctoritatem ab eligente, ſed à iure committente, & Pontificis intentio fuit prouidere Epiſcopis, & Prælatis exemptis per Confeſſarium ab eis electum, ſicut per Epiſcopos prouiſum eſt inferioribus, ita ut abſolutiones omnes, & diſpenſationes, quas Epiſcopi in foro conſcientiæ ſuis ſubditis dare poſſunt, eas omnes electi Confeſſarij eis concedere ualeant, quia eis nimis graue, & eorum gregi parum utile eſſet, ſi ſemper ad Archiepiſcopum, uel Papam recurrere deberēt. Non tamen poterunt abſoluere à ſententia lata ab Archiepiſcopo, uel à Superiore, a quo non ſunt exempti. & hoc priuilegium non habent omnes Prælati, nec omnes exempti, ſed ſoli Prælati exempti, & quamdiu ſunt Prælati exempti.

Epiſcopus concedendo alicui facultatem audiendi confeſſiones, non propterea concedit, vt poſſit abſoluere à ſibi reſeruatis,

ſed dubium eſt an id concedat per hoc, quod dicit ſe illi conce-dere omnem ſuam facultatem,& auctoritatem ad audiendas cõ feſsiones: & respondeo, quod quãdo apparet intentionẽ Epiſcopi fuiſſe concedere caſus ſibi reſeruatos, poterit ab illis abſolue re,ſecus ſi non cõſtat de illius intentione, argum.c. ſi. de Officio Vic.in 6. Si ſermo eſt de approbatione, & conceſsione facultatis abſoluendi, uel de particulari caſu, nõ intẽdit cõcedere caſus re-ſeruatos, ſed quod omni ſua facultate illum ad confeſsiones ha bilitat, at ſi ſermo eſt de facultate, quam confitẽdo exercere de-bet, illos cõcedit. Et cũ Epiſcopo reſeruentur caſus, & cenſuræ, concedendo caſus reseruatos, ut inquit Nau. non propterea vi-detur concedere abſolutionem à cenſuris ſibi reſeruatis, & mul to minus concedendo abſolutionem à ſuis caſibus, & cenſuris concedit diſpenſationem uotorum, aut irregularitatum, quia à diuerſis non fit illatio, & iſta diſpenſatio non eſt neceſſaria ad ab ſolutionem peccatorum.

Quomodo intelligatur conceſsio ampliæ facultatis abſoluendi.

Nauar. in Man.c.27. nu.255.

Dubium eſt an Regulares uigore ſuorum priuilegiorũ, & ma-ris magni, poſſint abſoluere à caſibus Epiſcopis reſeruatis. Multi Regulares putant ſe poſſe; Sylu. dicit eos poſſe abſoluere ab om-nibus caſibus exceptis præcisè reſeruatis Epiſcopo in iure, uel Superiori, quantũcunq; reſeruẽtur Epiſcopo ex cõſuetudine, vel cõſtitutione, uel beneplacito, niſi caſui reſeruato eſſet per cõſti-tutionẽ annexa excõmunicatio reſeruata Epiſcopo, uel Superio ri, quã opinionẽ multi ſequũtur, & mouẽtur pp Clem. Dudũ de ſepult. quia eorũ priuilegiũ audiendi Confeſsiones, nõ eſt ab Epi ſcopis, ſed à Papa: & Epiſcopi eis præbent nudũ miniſterium, & ſi nõ concederent, nihilominus poſsẽt audire confeſsiones, per cõ ceſsionẽ eis à Papa factã in d. Clem. Dudũ, gratiã autẽ quã Papa concedit, inferior arctare non poteſt. Iſta ſententia eſt falſa ideo contrariam ſequemur, quæ eſt multorũ quos citat Sylueſter, ſed eorum argumentis non ſatisfacit, eſt etiam Soti d. 18. qui ex ea-dem Clem. prioris ſententiæ falſitatẽ oſtendit, ibi enim expreſ-sè dicitur. Per huius cõceſsionẽ nequaquã intẽdimus ampliorẽ poteſtatem Fratribus impendere, quã eſt Curatis, & Parochiali-bus Sacerdotibus à iure conceſſa, niſi forſan eis Eccleſiarũ Præ-lati uberiorem in hac parte gratiam ſpecialiter ducerent facien-dam; at Parochi non poſſunt abſoluere à reſeruatis Epiſcopo, & confirmatur, quia licet eorum priuilegium ſit Papæ, nihilominus vult religioſos recipere facultatẽ ab Epiſcopo, ut ſint tãquã eius Coadiutores. Probatur ſecũdo ex Cle. Religioſi de Priu. ubi excõ municantur religioſi ſi tẽtauerint abſoluere à caſibus reſeruatis

An regulares poſsint abſoluere a reſeruatis Epiſcopis.

Sylu. V. Confeſſor 2.§.5.

Quod nõ poſſint.

Sedi

Sedi Apoſtolicæ, uel locorum Ordinarijs, nec ualet reſponſio dicentium, quod prohibetur abſoluere à caſibus reſeruatis quibus eſt annexa excommunicatio, nam ſunt duæ inhibitiones diſtinctæ, prior ne abſoluant excommunicatos, poſterior ne abſoluant à reſeruatis etiam citra excommunicationem; nec etiam ualet reſponſio Sylu. quod hæc Clem. intelligenda ſit de caſibus reſeruatis à iure communi, & non à ſtatuto, uel conſuetudine, nã abſolutè loquitur, & falſum eſt quòd dicit, hanc .ſ. limitationem deduci ex d. Clem. Dudum, nam ex ea deducitur oppoſitum, per hoc, quod eis non conceditur maior facultas, quàm ſit à iure Parochis conceſſa, at Parochi non poſſunt abſoluere à reſeruatis Epiſcopo. Accedit, quòd per Conc. Trid. iſta priuilegia quoad hunc effectum, dato quod ſic intelligerentur, ſublata ſunt, quia religioſi ſine approbatione Epiſcopi non poſſunt confeſsiones audire, ſi ergo Epiſcopi modo poſſunt regulares in totum ſuſpendere ab audientia Confeſſionum, & admittere cum limitatione, ut pro mulieribus tantum, uel pro viris tantum, poterunt etiã eis prohibere ne à quibuſdam peccatis abſoluãt, de quo eſt etiã determinatio Sacræ Congregationis Illuſtriſsimorum Cardinalium Concilij Tridentini, & Greg. xiij. auctoritate, cuius uerba ſunt (in Epiſtola reſponſiua, & habetur in inſtructione Confeſſorum Io. Bapt. Eugubini) Hac de re vbi Congregatio accuratè egiſſet, deinde ad S. D. N. retuliſſet, illius Sanctitas etiam de ſententia Congregationis cenſuit ex facultatibus per hoc Mare Magnum, aliaue priuilegia regularibus conceſsis, factam eis non eſſe poteſtatem abſoluẽdi in caſibus ſibi ab Epiſcopo reſeruatis.

ſeſſ. 23. c. 15.

De peregrinis quoad caſus reſeruatos. Quid faciendum cum occurrit caſus reſeruatus, An poſsit dari abſolutio ſolum à reſeruatis, uel à non reſeruatis, Quid faciendum cum fuit abſolutus, qui non potuit, & qui ſint caſus reſeruati. Cap. XXVI.

De peregrinis quoad reſeruata.

Peregrini quoad caſus reſeruatos ſubduntur legibus illius diœceſis cui applicuerunt, à caſibus enim illius loci Epiſcopo reſeruatis non poſſunt abſque eius licentia abſolui. Sed dubium eſt de peregrino, qui in propria diœceſi commiſit peccatum reſeruatum ſuo Epiſcopo, an poſſit abſolui in alia diœceſi à Confeſſario habente auctoritatem à ſuo Epiſcopo abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis, Nau. dicit, quod poteſt, &

probat ex conſuetudine. Sotus negat, quia peregrini quamdiu non mutarunt domicilium non uidentur abſolui in alia diœceſi niſi de licentia interpretatiua ſui proprij Sacerdotis, imo dicit, quod etiam ſi Epiſcopus ei conceſſiſſet facultatem peregrinandi, vt moris erat in primitiua Eccleſia, adhuc non poſſet abſolui à reſeruatis commiſſis in eius diœceſi, etiam ſi non eſſent reſeruata in alia in qua confitetur, quia licet illi eo ipſo concedat facultatē confitendi ubicumq; non tamen propterea concedit, ut abſoluatur à ſibi reſeruatis. Si non poſſet dari Sacramentalis abſolutio à non reſeruatis cum iniunctione, ut data commoditate confiteatur reſeruata proprio Epiſcopo, uel ab eo ad id deputato, dicerem, quod ſi non ſe tranſtulit fraudulenter in aliam diœceſim, vt ibi abſoluatur, & non ſe præſentet proprio Epiſcopo, ſed ſine vlla fraude, poſſet abſolui ab habente auctoritatem abſoluendi à reſeruatis, neque hoc reſtringerem ad Paſcha, ſed abſolutè concederem, nam ex hoc, quod non reſeruatur amplius peregrinandi licentia, uidetur conceſsū omnibus peregrinātibus, quod poſſint ubique confiteri, & ſumere Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum, ſed quia credo (ut modo dicemus) quod pœnitēs poteſt pro reſeruatis remitti ad ſuum Superiorem, data ei interim abſolutione à non reſeruatis, propterea dico, quod poterit abſolui, & pro reſeruatis remitti, & iniungi, ut cum primum ſui Epiſcopi copiam habuerit, ei peccata reſeruata confiteatur, uel alteri habenti ab eo facultatem ab illis abſoluendi. At uagabundi cum nullibi habeant domicilium, non tenentur niſi legibus Epiſcopi loci vbi ſunt.

Nauar. in man. cap. 27. n. 255. Sot. 4. d. 18. q. 4. ar. 2.

Auctoris ſententia.

De uagabundis.

Quid autem faciendum ſit cum occurrunt caſus reſeruati, uariæ fuerunt Doctorum ſententiæ, ſed dicimus, quod ille, qui habet caſus reſeruatos debet primo ſuperiorem adire, & niſi uelit ei confiteri, facultatem petere, ut ab inferiori abſolui poſsit, uel mittat Confeſſarium pro facultate abſoluendi, quam ſi concedere nolit, Superiori confiteatur, qui omnium peccatorum confeſſionem audire deberet, quod ſi nolit, poterit ſola reſeruata audire, ut ei ſalutare remedium adhibeat, & à cenſuris abſoluat, & pœnitentem ad inferiorem remittat, qui ab omnibus eum abſoluat. Quod ſi ſuperior cum longe abſit adiri non poſſit, ſi peccatis illis eſt annexa excommunicatio Superiori reſeruata, inferior neque à reſeruatis, neque a non reſeruatis abſoluere poteſt, cū excommunicatus non ſit capax Sacramentalis abſolutionis, at ſi nulla ſit excommunicatio, poterit inferior auditis omnibus peccatis à ſolis non reſeruatis directè abſoluere, & pro reſerua-

Quid faciendum cū occurrūt caſus reſeruati.

tis pœnitentem ad Superiorem remittere, pro illorum abſolutione, qui tenetur illum adire, & ei confiteri, ſimiliter & inferiori quando abſolutus à Superiori à reſeruatis, miſſus eſt pro non reſeruatis ad inferiorem, licet conſecutiue, & per extenſionem ab omnibus fuerit coram Deo abſolutus; Et cum confeſsio debeat eſſe integra, abſolutus à Superiori tantum à reſeruatis, debet poſtea inferiori confiteri etiam reſeruata, ſimiliter, & quando confitetur primo inferiori, ut abſoluat à non reſeruatis, cum non poſsit adiri Superior, & per accidens eſt, quod pœnitens teneatur bis confiteri idem peccatum propter integritatem Confeſsionis.

Adri. contrarium tenet de Cõfeſ. q 4.

Adrianus inquit, quod non poteſt Superior Sacramentaliter abſoluere tantum à reſeruatis, nec inferior audita confeſſione omnium à non reſeruatis, ſed Superior, uel audiat integrã Confeſsionem, uel det facultatem inferiori, ut à reſeruatis abſoluere poſsit, & eius ratio eſt, quia Sacramentalis abſolutio ſimul omnia remittit, uel nulla ex opere operato, & ui Sacramenti, ergo ſi ſit unus caſus quem remittere non poſſit, penitus nihil operatur, & uitiatur utile per inutile, quia non recipit diuiſionem, quemadmodum ſi abſolueret ab expræſsis, & de induſtria tacitis, uel ſi omnibus expræſsis, uelit ſolum abſoluere ab uno, & nõ à duobus alijs eiuſdẽ ſpeciei, nihil operaretur. Sed nihilominus dicimus, quod, & Superior, & inferior poſſunt abſoluere eo modo quo diximus, ille directè à reſeruatis, & iſte directè à nõ reſeruatis, & ita etiam tenent S. Tho. Pet. de Palude Caiet. & Sotus.

S. Tho. 4. ſ. d. 17. q. 3 art. 4. q. 2. ad 4. Palud. ead d. q. 5. Caiet. V. Confeſsio Sot. 18. q. 2. ar. 5. Reſponſio ad argumenta Adriani. Obiectio. Solutio.

Ad argumentum autem Adriani reſpondetur, quod Sacramentalis abſolutio, uel remittit omnia, uel nullum, & ita in caſu noſtro remittit omnia, ſed reſeruata directè, alia uero conſecutiue, uel è contra. & eſt inſtantia manifeſta, nam ſicut Sacerdos abſoluit ab omnibus, ita etiam pœnitens debet omnia confiteri, & tamẽ, vt ſequenti capitulo dicemus, poteſt dari caſus in quo pœnitẽs poſsit data opera aliquod peccatum omittere, ergo qua ratione pœnitens petit abſolutionem directè à Confeſsis, & conſecutiuè à ſcienter omiſſo, quia non eſt illius idoneus confeſſor, eadem etiam poteſt, & Confeſſor illam dare à non reſeruatis, nam æque Sacrilegium eſt dimidiare confeſſionem, & dimidiare abſolutionem. Nec obſtat ſi dicatur, quod non poteſt ſcienter omitti aliquod peccatum niſi propter ius fortius ſuperueniens. ſ. periculum vitæ, uel animæ, uel famæ, quale non eſt in danda abſolutione, caſuum reſeruatio, quæ eſt Eccleſiaſtica ab Epiſcopi uoluntate dependens; Nam licet reſeruatio ſit à libera Superioris voluntate, ius tamen reſeruandi eſt à iure diuino, ut determinauit

Conc.

Conc. Trid. quæ reſeruatiō eſt merè medicinalis,& nōn pœna, ſicut eſt excommunicatio, & propterea non priuat participatione Sacramentorum, ob quã causã propter Prælati occupationẽ non ualentis audire integrã Confeſsionem, uel propter Prælati abſẽtiam, non eſt differenda peccatoris pœnitentia, & reconciliatio, ſed poterit abſolui eo modo quo diximus. Inſtãtiæ autem, quas in contrariũ adducit Adrianus, nihil faciũt ad rem, quia ſunt de formaliter,& per ſe dimidiante cõfeſsionẽ, uel abſolutionẽ, ꝙ eſt ſacrilegium. Accedit etiã, ꝙ Eccleſia Romana, ut dicunt Palu. & Caie. ſic utitur, abſoluit à maioribus mortalibus, remittens pro minoribus abſoluendũ, & ut inquit Caie. cũ talis ſit vſus Eccleſiæ, nõ oportet ſapere pluſquã oportet, ſed ſapere ad ſobrietatẽ. Seſſ. 14. c. 7. & can. 11.

Si Sacerdos aliquem à caſibus reſeruatis, cũ non poſſet abſoluit, uel ad reſtitutionẽ, ad quã tenebatur, nõ obligauit, pœnitẽtẽ cõuenire debet, & dicere errorẽ graue in audiendo Confeſsionẽ ſuã fuiſſe cõmiſsũ, & ideo ſaluti ſuæ conſulens, uel iterum confiteatur, uel ei facultatẽ det, ut quid faciendũ ſit illi dicere poſsit, & pœnitens Confeſſoris conſilium acceptare tenetur, uel alteri idoneo confeſsionem illam reiterare: at ſi ſit abſens non debet ad eum ſcribere, uel mittere, ſed illum Deo commendare. Quid faciendũ eſt ſuit abſolutus, qui nõ potuit.

Papę nullũ peccatum reſeruatur, niſi rõne alicuius cẽſuræ ipſi reſeruatæ, de quibus ſuperius, unde Parochus abſolutũ ab excõmunicationibus reſeruatis Papæ, poterit abſoluere à peccatis pp quæ illas incurrit, niſi ſint reſeruata Epiſcopo. Epiſcopis non ſolum reſeruantur cenſuræ, ſed etiã peccata. De cẽſuris diximus ſuperius ſuo loco. Peccata à iure eis reſeruata, ut inquit Bened. 11. ſunt tria, Primum eſt peccatũ clerici, pp quod incidit in irregularitatẽ. Secundũ eſt incẽdium domorũ, frugũ, aut aliarum rerum ex propoſito factum, & cõſilium, & auxilium ad id præſtitũ. Tertium eſt peccatum ob quod imponenda eſſet ſolẽnis pœnitẽtia, licet modo nõ ſit in vſu, hoc autẽ eſt ſolũ peccatũ notoriũ, & vulgatiſsimũ graue ſcãdaloſũ, ꝙ vniuerſã cõmouit urbẽ. De uniuerſali autẽ cõſuetudine, quinq; adhuc eis reſeruãtur, ut idẽ Bened. declarauit. Primũ eſt homicidiũ uoluntariũ, aut mẽbrorũ mutilatio. Secundũ eſt peccatũ falſitatis, falsificãdo ſcripturas, dãdo teſtimoniũ falsũ, tacẽdo uerũ corã iudice, & peccata falsitatis cõmiſſa ab aduocatis, procuratoribus, & notarijs, oſtẽdẽdo ſcripturas parti aduerſæ. Tertiũ eſt uiolatio Eccleſiaſticæ libertatis, quia. ſ. iniuſtè perſonę, aut res Eccleſiæ grauãtur. Quartum eſt uiolatio Eccleſiaſticę immunitatis, quia ſcilicet in Eccleſia uel loco Sacro, quis in perſona, uel rebus proximum offendit, Peccata Epiſcopis reſeruata, quę. Extrau. inter cũctas de priu. 26. q. c. fin.

Z vel

vel aliter eius immunitatem lædit, & ita omne ſacrilegium videtur de conſuetudine reſeruari Epiſcopis. Quintum eſt ſortilegium, & diuinatio. Alia etiam multa peccata reſeruari ſolent, & poſſunt, quæ ab ipſis ſciri debent.

Quæ ſint conditiones legitimæ Confeſsionis, & quomodo poſsit integre Confiteri, qui habet peccata, quæ ſine proprio uitæ, uel animæ periculo, uel alterius infamia dici non poſſunt. *Cap. XXVII.*

MVltæ aſsignantur conditiones Confeſſionis, quæ omnes in hoc conſiſtunt, ut pœnitens contritus, uel ſaltē ſufficienter attritus, ſecretè eidem Confeſſori confiteatur omnia ſua peccata mortalia, & quæ dubitat an ſint mortalia, & eorū ſpeciē, & numerū, cum ſuis circunſtantijs mortaliter aggrauātibus, quæ diligēti pręmiſſo examine memoriæ occurrunt, ita ut Confeſſor illa intelligere poſſit, rebus alijs impertinentibus relictis. Sic.n. Confeſſio erit ſimplex, humilis, pura, fidelis, nuda, diſcreta, libens, uerecunda ſortis, integra, &c.

De integritate. Quoad Confeſſionis integritatem attinet, nullus tenetur ſua peccata ſcribere, ut integrè confiteatur: & ſi peccata ommittuntur ex obliuione, diligenti conſcientiæ examine præmiſſo, uel quia non poſſunt omnia exprimi, ut mutis, & grauiter infirmis accidit, Confeſſio integra cenſetur, ſi non materialiter, ſaltem formaliter, cum non relinquantur ex intentione.

An propter proprium uitæ uel animę periculum poſſit omitti aliquod peccatum. Dubium tamen eſt, an peccatū illud, quod ſine periculo ſalutis propriæ corporis, uel animæ confiteri non poteſt, alijs peccatis confeſſis, ſilentio prætermitti poſsit, ſi nullus alius ſit Confeſſor, cui ſine periculo confiteri poſſit, ut ſi pœnitens Confeſſarij fratrem occidiſſet, ſi confiteretur ſe aliquem occidiſſe, ſtatim crederet ſuū fratrem ab illo occiſum, & mulier probabiliter crederet, quod ſi ſuū peccatū illi Confeſſori confiteretur, Confeſſor illam ad peccandū prouocaret, vel ſaltem illā cōcupiſceret, & mortaliter peccaret. Prima ſententia, ꝙ nō poſsit. S. Th. 4. ſ. d, 17. q. 3. ar. 3. q. 4. ad 5. Aliqui putant vinculū integritatis Confeſsionis eſſe adeo arctum, ut dicant tunc potius abſtinendū eſſe à Confeſſione, quā illā dimidiandā, quæ ſententia eſt S. Tho. & dicit, ꝙ hoc caſu perinde eſt ac ſi nō haberet copiā cōfeſſoris, & potius confitendū eſſet laico, non quod uelit licitū eſſe confiteri laico, ſed ut ſic magis explicet neceſſitatem integritatis Cōfeſſionis, Caiet. & Sylu. dicunt, quod Cōfeſsio debet differti quouſq; poſsit fieri integra, & ita faciendū eſt ſi cōmodè poteſt, at ſi nō ita cito expectatur

tur cõmoditas, ſi illud peccatũ poteſt ommitti, nõ eſt quod ꝑ nequitiã Sacerdotis omittat pęnitens cõfiteri, præſertim cũ poſſit eſſe ſolũ attritus. Pro huius igitur ſolutione notãdũ eſt, quod quãdo duę leges cõtrariæ in aliquo caſu cõcurrunt, in quo alterius obſeruatio omittenda eſt, tunc illa quæ maior eſt, debet minori anteferri, & hæc illi cedere, quo caſu minor omnino non ceſſat, ſed debet obſeruari, quoad alias partes in quibus nõ contrariatur Superiori: Confeſſionis integritas eſt de iure diuino poſitiuo, cõſeruatio ſalutis corporis, uel animæ, eſt de iure diuino naturali, quod eſt fortius, hoc autẽ nõ contrariatur Cõfeſsioni niſi aliquãdo rõne alicuius certi peccati, vel circũſtantiæ, ergo quando occurrit caſus, per hoc fortius, non tollitur ſimpliciter Cõfeſſio illi Sacerdoti facienda, ſed ſolũ Cõfeſsio illius peccati, uel circunſtantiæ, ne quod pro charitate inſtitutũ eſt, contra charitatẽ militet; neq; reſtringendũ puto ad tẽpus neceſsitatis Confeſsionis, q̃a licet Cõfeſsio non ſit neceſſaria quãtũ eſt ex parte p̃cepti, niſi ſemel in anno, & in periculo mortis, & dũ eſt cõmunicãdum; volenti tñ conſulere ſaluti animæ ſuæ, ut ſẽper ſit paratus in quacũq; hora dñs uenerit, & ex attrito efficiatur cõtritus, ſæpius illi neceſſaria eſt, & ſicut Confeſſio pro charitate inſtituta cõtra charitatẽ militaret, ſi cũ tãto periculo cõfitendũ eſſet illud peccatũ, ita etiã ceſsio iuris diuini poſitiui, iuri diuino naturali, quæ eſt ꝓ charitate, cõtra charitatẽ militaret, ſi in dicto caſu omittenda eſſet cõfeſsio, nã infirmo tolleretur medicina, & ꝓ Superiorẽ legẽ, nõ ei ſuppleretur, nã ſic cõfeſsionẽ omittẽs uigore legis naturalis nõ ob id efficeretur ex attrito cõtritus. Concludamus igitur, ꝙ qñ occurrit ſimile periculũ, nec poteſt haberi copia alterius Cõfeſſoris, poterit pęnitẽs cætera peccata cõfiteri, & illud omittere donec habeat copiã alterius cõfeſſoris, cui tute illud cõfiteri poſſit; Iſta ſentẽtia eſt Adriani, Altiſiodorenſis Maioris Soti, & Nau.

Cõtraria tenetur ſẽtentia, ꝙ poſsit.

Adr. in 4. de Conf. q.4. col.8. Verſ. adargumenta. Maior.4.ſ d.17. q.5. col.5. Sot. d.18. q.1. ar.5. Nauar. in Man. c.7. nu.3.

Sed dubiũ eſt an poſsit etiã omitti illud peccatũ, quod ſine alterius infamia cõfiteri non põt, cũ conſeruatio famæ proximi ſit de iure diuino naturali, ꝙ præualet iuri diuino poſitiuo de integritate cõfeſſionis, & ſit exẽplũ de pœnitente, qui cõmiſit inceſtũ cũ propria matre, uel filia, quæ ſunt Confeſſori notæ, & pro tunc nõ põt haberi alius Cõfeſſor, q̃ fœminas illas non cognoſcat, dubium eſt an teneatur tacere cognationis gradũ Confeſſori, qui illas agnoſcit, pro cõſeruatione famæ illarum, & circunſtantiã illã differre donec occurrat Confeſſor, qui illas non cognoſcat. Communior ſentẽtia in 4. ſent. eſt, ꝙ illa circunſtantia, ſeu illud peccatũ ſit neceſſario cõfitẽdũ, etiã ſi manifeſtetur perſona ſocia cri-

An poſsit etiã omitti pro conſeruatione famę proximi.

minis Cõfeſſori nota, quia in Cõfeſſione nõ contrahitur infamia, & Confeſſor ſeruabit ſecretũ, & ſigillũ Confeſsionis. Iſta ſentẽtia eſt S.Tho. Bon. Dur. & Soti. Pro huius ſolutione videndũ eſt an in Confeſsione contrahatur infamia, & dicimus, quòd contrahitur, ſed cũ medico ſit detegenda infirmitas, licet conſeruare propriã famã ſit de iure naturali, ius naturale in hoc cædit iuri diuino poſitiuo, Dei ordinatione à quo eſt omne ius; ſicut etiã cędit in ſigillo confeſsionis, ꝙ in nullo caſu uiolari põt, licet ſecretũ in multis caſibus iure naturali ſeruari non debeat, & ita propria peccata quãtũuis enormiſsima, & occulta, confiteri debemus, ꝙ ẽt eſt cõſonũ ipſimet iuri naturali, qa pro ſanitate medico detegenda eſt infirmitas, hoc præmiſimus ne quis ſtatim argumẽtetur pro ſe, quaſi ad euitãdã hãc infamiã nõ teneat̃ cõfiteri, nã tenet̃ ꝓ ſalute aĩæ illã ſubire, cui Deꝰ ẽt cõſuluit ſigillo Cõfeſsionis. Quod aũt in Confeſsione cõtrahat̃ infamia probatur, qa ſi alterius peccatũ dicatur Cõfeſſori, Cõfeſſor in poſterum non habebit de illo eam opinionẽ quã habuit; Nec obſtat, quod peccatũ dicitur Deo & Sacerdoti, ut eius miniſtro, q illud nullo modo reuelare põt, nã ex tali Cõfeſsione illud ẽt ſcit homo, cũ Dei miniſter ſit homo & ſi Cõfeſsionis ſigillũ tolleret infamiã, nõ eſſet etiã infamia dicere viro ꝓbo extra Cõfeſsionẽ, q illud ſecreto penes ſe cõſeruabit, ut tenet̃, Præterea dicere in Cõfeſsione impertinentia ad peccatorũ noſtrorũ manifeſtationẽ, nõ eſt peccatũ mortale, atſi inter hæc impertinentia alterius peccatũ mortale dicatur, uel ſecretũ reueletur, erit peccatũ mortale, nõ qa impertinẽtia dicuntur, ſed qa in Confeſsione ius diuinũ naturale violatur, dũ alterius fama tollitur, & ſecretũ reuelatur, caſu quo illa ſeruare tenemur ſine vllo maioris boni præiudicio: ob quã cauſã. S. Bonau. inquit, ꝙ illi Sacerdotes, qui ramuſculos in Cõfeſsionibus inquirũt, & audiũt de alijs malũ, & ſuſtinẽt, uix, aut nũquã à peccato detractionis excuſari poſsũt, & neſciũt mederi animabus, dũ patiunt̃ eos, qui ueniunt ad medicinã, alios accuſando ſibi infligere vulnus graue. Quo ſuppoſito eſt alia ſentẽtia Inn. Hoſt. & Nau. circunſtãtiã illã proprij peccati per quã manifeſtatur peccatũ alterius Cõfeſſori noti, eſſe omnino tacendam ne proximum diffamemus; nam pręceptum de integritate Confeſsionis eſt de iure diuino poſitiuo, pręceptum verò de conſeruanda fama proximi, eſt de iure naturali, quod eſt fortius.

Ego quidẽ hãc ſentẽtiã ſequor, ſed cũ aliqua modificatione, & propterea dico, ꝙ propria peccata, quæ ſine alterius perſonę Cõfeſſori notæ manifeſtatione explicari nõ poſsũt, relinquenda ſũt

S.Th. 4. ſ. d. 16. q. 3. ar. 2. q. 5. S. Bonau. 4. d. 21. 2. p. ar. 1. q. 3. Dur. d. 16. q. 4. Sot. d. 18. q. 2. ar. 5.

Duo caſus in quibus ius diuinũ poſitiuum præualet naturali.

An in Cõfeſsione contrahatur infamia.

S. Bon. 4. d. 21. ar. 4. q. 3.

Contraria ſententia, quod poſſit.

Innoc. in ca. omnis de pœn. & rem. Hoſt. ibid. Nauar. in Man. ca. 7. nu. 3.

Auctoris ſententia.

ne

ne perſona illa apud eum infamata remaneat, niſi ius famæ ſuæ conſeruandæ amiſerit, tunc autem illud amittit, cum eius famæ, ſine præiudicio animæ, uel uitæ propriæ, uel alterius conſeruari non poteſt, quia peccatum alteri nociuum relinquere non vult; nam bona animæ, uel uitæ ſunt altioris ordinis, quam famæ, quo caſu non ſolum in confeſsione, ſed etiam extra illam poteſt prodeſſe alterius peccatum dici poteſt, extra hunc caſum iure naturali habenda eſt ratio famæ illius, cum ſine præiudicio maioris boni conſeruari poſſit, & quod etiam in Confeſſione, probatur ratione iam dicta, quia integritas Confeſsionis eſt de iure diuino poſitiuo, & conſeruatio famæ alterius eſt de iure naturali, quod prævalet, Et probatur etiam ex differentia conditionum requiſitarum, nam aliquæ ſunt ſimpliciter neceſſariæ, ut diſplicentia, quæ ſit ſaltem attritio, firmum propoſitum relinquendi peccatum, ſine quibus abſolutio non tenet; At integritas eſt quidem neceſſaria, ſed non ita ſimpliciter, nam poteſt contingere in multis caſibus, quod materialiter, & per accidens non ſit integra, & tamen abſolutio teneat, quia formaliter, & per ſe cenſetur, & eſt integra quantum fieri poteſt, & ratio differētiæ eſt, quia priores conditiones nunquam poſſunt militare contra charitatem, ſicut aliquando poteſt militare integritas confeſſionis, ut in præcedenti dubio diximus de illis, qui ſine periculo, uel uitæ propriæ, uel inducendi confeſſarium ad mortale peccatum, non poſſunt aliquam neceſſariam circunſtantiam confiteri, præcedenti etiam capitulo oſtendimus Prælatum poſſe audire ſolum reſeruata, & ab illis Sacramentaliter abſoluere, Omnes etiam concedunt neminem teneri ſua peccata ſcribere, ut integrè cōfiteatur, & quod infirmo danda eſt abſolutio ſi ſaltem vnum peccatū confiteatur, cum non poſſit reliqua. & quod eadem ratione pro conſeruatione famæ alterius, poſſit aliquod peccatnm, uel circunſtantia relinqui, non ſolum facit dicta ratio naturalis, ſed etiam, quia ex confeſsione huius circunſtantiæ ſequitur probabiliſsimum periculum reuelandi confeſſionem, uel maxima alterius infamia; & ſit iſte caſus, aliquis cum propria ſorore peccauit, & pœnitentia ductus confitetur proprio parocho, uel alteri, qui eius ſororem optimè nouit, quæ etiam ſolita eſt ei confiteri, & hanc circunſtantiam dicit, Soror ad alium confeſſarium, qui illam non agnoſcebat acceſsit, & integrè confeſſa eſt, pro Communione ad ſuum ordinarium Confeſſarium accedit, cui etiam recōciliata eſt, nec dixit ſe alteri confeſſam fuiſſe, Si confeſſor, qui in alia confeſsione eius inceſtum nouit, præter morem illam etiam à longe interro- Differētia cōditionū

gat, quæ ei reſpondeat nihil aliud ſibi occurrere, illa de Confeſſore ſcandalizata remanebit, quia ex inſolita inquiſitione confeſſionis ſibi factæ reuelationem infert, & ipſa apud Confeſſariũ magis diffamata erit, qui illam fictè ad confeſsionem acceſſiſſe exiſtimabit. Concludamus igitur, quod licet Confeſſio ob aliquam ex his cauſis non ſit integra, hoc tamen eſt per accidens, & materialiter, ſed per ſe, & formaliter eſt integra, quia ſi pœnitens aliquod peccatum, uel aliquam neceſſariam circunſtantiam relinquit, non uolens, ſed coactus facit, uel quia ſimpliciter non poteſt integrè confiteri, ut in mutis, & in infirmis accidit, uel ſi poteſt, quia non habet reſpectu alicuius peccati idoneum confeſſarium.

De cauſis ex partè Confeſſoris ob quas eſt reiteranda Confeſsio & de prima cauſa ex parte pœnitentis an ſit reiteranda quando conſtat fuiſſe informem.
Cap. XXVIII.

Tres cauſæ ex parte Confeſſoris.

CAuſæ ob quas eſt reiteranda Confeſſio, ex duplici capite ſumuntur, uel ex parte pœnitentis, uel ex parte Confeſſoris, Ratione Confeſſoris eſt reiteranda Confeſſio, Primo ſi Confeſſor non habuit iuriſdictionem ſuper illum pœnitentem, ordinariam, uel delegatam. 2 ſi fuit ita ignarus in ordine ad pœnitentem, ut inter eius lepram, & lepram iudicare neſciuerit, niſi fortè pœnitentis ſcientia ſuppleuerit. 3. ſi fuit excommunicatus, non quacumque excommunicatione, ſed una harum, vel propter notoriam clerici percuſsionem, uel quia fuit nominatim excommunicatus, cap. Ad euitandum ex Conc. Conſtant. iuxta quorundam relationem. Sed iuxta ueriorem relationem dicti Cap. & vigore Conc. Lateranenſis, ut diximus in prima parte lib. 3. cap. 11. per quamcumquem notoriam excommunicationem, uel ſuſpenſionem, quacumque ex cauſa proueniat, ſuſpenditur eius iuriſdictio, & eſt conſequenter reiteranda Confeſſio illi facta.

De cõfeſſione informi an ſit reiterãda.

Ex parte pœnitentis tribus etiam de cauſis eſt reiteranda Cõfeſſio. 1. ſi ſine contritione, uel attritione facta fuit, ſi non fuit integra, & ſi pœnitens erat excommunicatus. Prima ergo cauſa eſt ſi conſtat Confeſsionem fuiſſe factam ſine cõtritione, uel ſaltem ſine illa tertia attritione exiſtimata contritione. de qua tamen cauſa eſt controuerſia inter Doctores, & quia huius ueritatis cogni-

gnitio,eſt omnibus maximè neceſſaria, in eius explicatione aliquantulum immorabimur. Omnes quidem in hoc conueniunt contra Bernardum de Ganaco, de quo apud Capreolum, quod Confeſsio facta ſine ulla peccatorum deteſtatione,ſit nulla,& reiteranda, At ſi aliqua adſit peccati deteſtatio, quantumuis minima,& imperfecta,quæ nec etiam cum Sacramentali abſolutione ſufficiat,ad obtinendam peccatorum ueniam,multi Doctores inſignes in ea fuerunt ſententia,quod Confeſſio ſi integra fuit, teneat,& non ſit reiteranda,quia licet tunc non conferat gratiam, illam tamen confert (vt dicunt) recedente pœnitentis fictione, virtute ornatus,quem in anima imprimit,uel (ut magis placet hunc ornatum reijcientibus) ob diuinam pactionem. huius ſententiæ fuit S.Tho.quem poſtea eius diſcipuli ſunt ſequuti, Petr. de Palu.Caiet.Sylu. & alij eiuſdem ſcholæ,Immo (quod maius eſt) Petrus de Palude, Caiet. & Sylu. addiderunt, quod ſi quis ita dolet de peccatis commiſſis,ut non proponat aliquod peccatum relinquere,ſed in eo perſiſtere uelit, & hanc ſuam fictionem confiteatur,quamuis à Confeſſore abſolui non debeat, ſi tamen abſoluatur,eſſe verum Sacramentum, quod recedente fictione confert gratiam, at ſi pœnitens aduertens ſuam fictionem eſſe peccatum neceſſario confitendum,& illud non confitetur, non erit Sacramentum,& erit reiteranda Confeſsio,non defectu contritionis,ſed quia Confeſſio non fuit integra, quòd ſi reliquit fictionem illam,quia non aduertit,uel ſi aduertit, quia non putauit eſſe neceſſario confitendam;dicunt, quòd ſufficiet ſolam hāc præcedentis Confeſsionis fictionem confiteri,cum cōfeſsio fuerit formaliter integra. quam ſententiam duplici ratione probāt, Prima eſt,quia cum nullus ſit certus an ueram contritionem ſufficientemq; ſuorum peccatorum dolorem habeat, nullus etiam eſſet certus,an ſit legitimè confeſſus, & ita Sacramentum, quod nobis ad placandas conſcientias datum eſt, illas potius perpetuo inquietas redderet, Secunda ratio eſt Caiet. quia ſuperueniente Sacramentali abſolutione illi Confeſsioni, eſt uerum Sacramentum,etiam tenendo,quod contritio ſit pars huius Sacramenti;quia contritio non eſt pars Sacramenti per ſe, sed relata ad Confeſsionem, hoc eſt quatenus eſt ſpontanea uoluntas ſe accuſandi,& ſubijciendi confeſſoris iudicio,quod in hac confeſſione repetitur,quæ cum materiam, formam, & debitum miniſtrū amplectatur,erit uerum Sacramentum,& fructuoſum, non quidem tunc,ſed cum aderit contritio,& conſequenter non erit neceſſario reiterandum,ueri enim Sacramenti informitas, non pa-

Capr.4.d. 17.q.2.

Prima ſententia, q nō ſit reiterāda dū modo ſit integra, & cum aliquali dolore.

S.Th. 4.ſ. d. 17.q.3. ar.4.

Palud. d. 17.q.8.

Caiet. V. Confeſſio & q. de cōfeſsione informi.

Syluef. V. Confeſſio 1.§.26.27.

rit eiuſdem Sacramenti iterationem,ſed fructum futuro tempore;quod in alijs Sacramentis patet,ut in Baptiſmo,Confirmatione,& Ordine,in quibus character,& quod nõ ſint iterabilia, per accidens ſe habent ad fructum pro futuro tempore, ut patet in Extrema unctione, quæ data in contrito confert gratiam poſtea quando conteritur.

Contraria ſententia tenenda. S. Bon. 4. d. 17. ar. 4. q. 4. Panor. in cap. quod quidã de pœn. & rem. Arch. de pœn. d. 3. in fine. Hoſt. de pœn.& re. nu. 56. Adr. de Conf. q. 5. dub. 5. Roſ. v. Cõfeſsio 1. §. 3. Ang. V. Confeſsio 1. §. 14.

Sed nos contrariam ſententiam ſequimur, quæ eſt S. Bonau. Panor. Arch. Hoſt. Adri. Ros. Ang.& aliorum, & excepta Thomiſtarum ſchola communis,& ſi S. Tho. hanc quæſtionem tractaſſet in Summa,eſſet etiam eorum ſententia,iuxta quam ſit hæc generalis Concluſio. Illa Confesſio,quam conſtat fuiſſe informem eſt reiteranda, & pœnitens vbi ei conſtiterit tantum fuiſſe ſuæ attritionis defectum,ut ob eum Confeſſio fuerit informis,ad illius reiterationem tenetur. Et huius ſufficiens probatio, erit exacta contrariæ ſententiæ argumentorum ſolutio,in quibus tota poſita eſt difficultas;ſed probatur etiam,quia Contritio, ſeu attritio exiſtimata contritio,eſt pars eſſentialis, tanquam materia proxima huius Sacramenti, ergo ea deficiente Sacramentum non tenet,& eſt reiterandum,conſequentia eſt nota, quia omne Sacramentum in quo deeſt aliquid eſsentialiter requiſitum, eſt irritum,& nullum. Antecedens probatur,primo auctoritate, & determinatione Concilij Florentini,& Tridẽtini, in quibus ſtatuuntur tres partes Sacramenti pœnitentiæ.ſ.Contritio, Confeſſio,& Satisfactio, Reſpondent,quòd in hac Confeſsione reperitur materia,ſed impura,& quod Contritio non eſt pars Sacramenti pœnitentię,ut eſt uirtus gratia informata, ſed quatenus dicit ordinem ad Confeſsionem,puta deteſtationem, ut Confeſsio ſit per modum accuſationis. Sed iſta ſolutio nihil valet, nam contritio eatenus eſt materia huius Sacramenti,quatenus eſt peccatoris ad Deum uirtute Sacramenti conuerſio,& quando Concilia dicunt contritionem eſſe eius materiam,de ea loquuntur, ut eſt uirtus,ut patet ex definitione,quam aſsignant, quare Contritio non eſt pars Sacramenti,ut refertur ad Confeſsionem, ideſt, ut dicit quamcunque deteſtationem, ratione cuius Confeſsio ſit per modum accuſationis,ſed ut refertur ad formam Sacramẽti, nimirum ad peccatorum abſolutionem, materia enim propriè formam reſpicit, eſt igitur in Confeſsione ſine contritione, uel ſine ſufficienti attritione facta, materia impura, ſed ita impura, ut ſit incapax abſolutionis, & ueritatem formæ à ſe excludat; Quomodo etiam eſt uerum, & quis patienter audire poteſt, id quod (ut diximus) aliqui ipſorum concedunt,& aſſerunt,nimirum

tum Confeſsionem ficti,& in aliquo peccato ſcienter,& obſtinatè commorantis,ſi hoc ipſum Cōfeſſori dicit,ut Cōfeſſio ſit integra,obtenta abſolutione ob Sacerdotis ignorantiā, uel malitiā, eſſe uerū Sacramentū,& nō iterandum? Contra quod pro confirmatione concluſionis ſecundo argumentor, quia cū Sacramētū pœnitentiæ,ſit Sacramentum reconciliationis,eſt eorum,qui cū per proprium actū,& uoluntatē ſint auerſi à Deo,eadē uolūtate, ad ipsū conuertūtur, at quē peccati quatenus eſt offenſa Dei nō pęnitet,aut qui ita dolet,ut in aliquo peccato perſeuerare uelit, certè non cōuertitur ad Deum,ergo qui ita non dolet, ut in hoc Sacramento Deo reconcilietur,non eſt capax huius Sacramenti, cui ſuam proximam materiā ſubtrahit;nec ualet ſi dicatur,quod eius uirtute reconciliabitur cum erit contritus; nam tota huius Sacramenti eſſentia in reconciliatione conſiſtit, ergo dum cōfertur debet peccatorem reconciliare,quē ſi nō reconciliat,ſignum eſt aliquid ei eſſentiale defuiſſe.& uirtute cōfeſsionis ſic factæ,ſi poſtea atteratur,non fiet ex attrito contritus. Præterea illi omnes concedunt,quod huius Sacramēti materia ſunt peccata cum aliquo dolore Sacerdoti cōfeſſa, adeo quod ſi ſine ullo dolore ei dicantur,ac ſi narraretur hiſtoria,cōfeſſio ſit nulla,& reiteranda. Vbi peto quare non ſufficiat integra omniū peccatorū Cōfeſsio, ſine ullo prorſus eorū dolore,cū Sacerdotis abſolutione,ad illorū ueniā,& gratiā obtinendā recedēte poſtea fictione? dicēt,quia materia Confeſſionis nō ſunt peccata nudè,ſed per modū accuſationis cōfeſſa, nullus autē ſe uerè accuſat niſi aliquē ſuorum peccatorū dolorē habeat, Vlterius peto,ut quid requiratur in ipſa Cōfeſſione dolor,& accuſatio?dicēt,quia hoc eſt recōciliationis Sacramentum;ex quo neceſſario infero,quod etiā tunc requiritur talis dolor, ut uirtute ſuperuenietis abſolutionis ſtatim peccator Deo recōcilietur;nā ex fine nō ſolū ſumitur neceſſitas mediorū,ſed etiā neceſſaria eorūdē mediorū cōditio,& qualitas.Et ad hominem confirmatur. Si Deus uirtute abſolutionis datæ illi quē ita pœnituit,ut Cōfeſſori ſe aliquod peccatū relinquere nolle ingenuè ſit confeſſus, dat ei Sacramentalem gratiam recedēte fictione, & ille nō tenetur reiterare confeſſionem,ut ipſi dicunt, quare nō dabit etiā illi,virtute Cōfeſſionis integrè factæ ſine vllo dolore,& abſolutionis obtētæ,recedente fictione, ſed illū ad reiterandam confeſſionem obligat, & eſt contentus de alterius ſacrilega confeſſione,in qua aſſeruit ſe peccatum mortale nolle relinquere? certe nulla huius differentiæ poteſt aſſignari ſufficiens ratio, ſed ſimpliciter dicendum eſt omnes iſtos teneri ad

rei-

reiterationem confeſsionum, quas eis conſtat ſine debita ſaltem attritione fuiſſe factas. Probatur tandem, quia formę Sacramentorum non ſunt verba materialiter ſumpta, ſed formaliter, ideſt quatenus ſignificant, ex quorum ſignificationibus ſumuntur Sacramentorum materiæ, & earum ultimæ diſpoſitiones, ſine quibus non ſaluatur uerborum, nec conſequenter Sacramentorum ueritas, ut patet diſcurrendo per omnia Sacramenta, At forma Sacramenti pœnitentiæ eſt, Ego te abſoluo, ergo eius materia erunt peccata ita diſpoſita, ideſt contrita, uel ſic attrita, ut uirtute illorum uerborum remittantur, aliàs non ſaluaretur eorum ueritas, & conſequenter non teneret Sacramētum, ob defectum ueritatis formæ: per quod patet reſponſio ad ſecundum argumē-

Solutio ſecūdi argumenti.

tum contrarię ſententiæ, nam hæc eſt differentia inter Sacramentum pœnitentiæ, & reliqua Sacramenta, quia aliorum Sacramentorum materia, eſt res extrinſecus ſuſcipienti appoſita, at materia Sacramenti pœnitentiæ, ſunt proprij actus pœnitentis, nimírum Cōtritio, Confeſſio, & Satisfactio, ſaltem quoad propoſitū, & per conſequens cum contritio, ſeu attritio putata contritio, ſit ſolius pœnitentiæ materia, ob eius tantummodo defectūm, reliqua Sacramenta non deſinunt eſſe Sacramenta, ſed non conferūt ſuſcipienti gratiam, at in hoc Sacramento non ſolum non datur Sacramentalis gratia, ſed nec etiā tenet Sacramentū, quia deeſt illi pars eſſentialis, ſeu conditio materiæ eſſentialiter requiſita.

Quod nō omnia Sacramenta recedente fictione cōferant gratiam.

Ad id autem, quod dicunt Sacramenta in peccato mortali ſuſcepta cōferre gratiā recedēte fictione, Reſpōdeo hoc nō eſſe uniuerſaliter uerū, quia opera facta in peccato mortali ſūt mortua, & non reuiuiſcūt, & ſuſceptio Sacramēti in peccato mortali, non ſolum eſt opus mortuum, ſed mortiferum, quià ſic illa ſuſcipiēs peccat mortaliter, Sed hoc eſt priuilegium ſolum Sacramentorū imprimentium characterem, quia illis Deus per poteſtatem indelebilem quam dat, miniſtros ad certa opera diuini cultus, aſſummit, & deputat, & Deus miniſtros ſuos idoneos facit, & licet Sacramenta illa in peccato mortali mortiferè ſuſcipiantur, tamē ſic etiam ſuſcepta ſunt opus Dei, & ad diuinum cultum, & miniſterium deputant, & indelebilem poteſtatem .ſ. characterem tribuunt, & reiterari non poſſunt; propterea licet ſic ſuſcepta ex parte noſtra ſint mortua, noluit tamen Deus, ut ſunt eius opera irreiterabilia, eſſe omnino mortua, ſed quod ratione characteris indelebilis, recedente fictione conferrent poſtea gratiam, ut ſuperius diximus de Baptiſmo, lib. 1. cap. 9. quæ ratio ceſſat in alijs Sacramentis, quæ etiam præter gratiam non tribuunt aliquem ef-

ſe-

fectum permanentem ratione cuius poſsit dici, quod recedente fictione conferant gratiam,ut diximus eod. lib.1. c.5. In quo S. Tho.ut inquit Sotus à ſe ipſo uariare uidetur. nam 4.ſ.d.4. q.3. ar.2.ql.3.ad 3.dicit omnia, & ſola Sacramenta imprimentia characterem in peccato mortali ſuſcepta, poſtea recedente fictione reuiuiſcere,& conferre gratiam, & quod Euchariſtia in peccato ſuſcepta recedente fictione non habet ſuum effectum, cum non imprimat characterem,& diſt.17.q.3.ar.4. idem S. Tho. inquit de Sacramento pœnitentiæ,quod ſi confeſsio fuit illegittima, & informis,non ex eo,quod fuit dimidiata, ſed quia ponitur obex gratiæ,recedente fictione,fictus percipiet fructum abſolutionis ſicut etiam in alijs Sacramentis;& Sotus infert,ſed hoc S.Thom. de alijs Sacramentis non imprimentibus characterem nũquam tenuit,quod recedente fictione conferant gratiam, ſed oppoſitũ docuit, ergo quod hic dicit intellexit cum communi vulgo, & correxit in diſt.4.dum aſſeruit ſola Sacramenta imprimẽtia characterem hoc habere,quod recedente fictione conferant gratiã, quod etiam in ſumma magis correxit. nam 3.p.q.69.ar.10. hoc ſoli baptiſmo attribuit,& clarius correxiſſet, ſi tractaſſet de Confeſsione informi. hæc Sotus d.18.q.3.ar. 3. quę contradictio eſt etiam apud Petrum de Palude,& Syluestrum, qui tenuerunt (vt diximus)confeſsionem informem,dummodo fuerit integra, recedente fictione habere ſuum effectum, & Petrus de Palude 4.ſ. d.4.q.5.citatis uarijs ſententijs,tenet cum S.Tho.ead.d.quod ſola Sacramenta imprimentia Characterem conferunt gratiam recedente fictione,& in confirmationem addit, quod in Sacramentis imprimentibus characterem,eſt ſpecialis neceſſitas,quod ſortiantur effectum ſuum recedente fictione, quia aliàs non poſſet eorum effectus haberi,quia non poſſunt iterari,ſed ſi aliquis cõmunicando,confitendo,& huiuſmodi faciendo, non habuerit effectum,poterit iterum communicare,confiteri,& habere,iterando,quod prius non habuit. Et idem cum ipſo dicit Sylu.Verbo Baptiſmus 4.§.17.Ex quorum contradictione,noſtra ſentẽtia magis probatur,& auctoritate etiam contrarium tenentium confirmatur.

Sot.4.d.6. q.1.ar.8.

Sot. d.18. q.3.art.3.

Sed reſpondendum eſt ad primum argumentum, in quo conſiſtit tota difficultas,quia niſi confeſsio informis admittatur ualida,pœnitentium conſcientiæ erunt perpetuo inquietæ, & dicimus,quòd licet nemini conſtet, quòd ſit legitimè confeſſus, ſicut nec etiam,quod ſit in gratia, non tamen ob id ſequitur, ut inferunt conſcientias perpetuò inquietas reddi,nam ad cõſcientias

Solutio primi argumenti.

tias ſedandas, nō requiritur certitudo, ſed probabilitas, & quod de contrario manifeſte non conſtet, ut patet diſcurrēdo per omnia Sacramenta, quia in omnibus dubitare poſſemus, de miniſtri ordinatione, & intentione, niſi ergò manifeſtè pœnitenti conſtet, quod in præterita Confeſsione non habuit propoſitum relinquendi aliquod peccatum, uel quod eius peccatorum dolor, nō fuit propter Deum, ſed principaliter propter infamiam, uel aliud proprium incommodum, non eſt, quod ſollicitus ſit de illius reiteratione ob contritionis defectum, cum ſufficienter diſpoſitus credatur, quod ſi in rei ueritate non fuit ſufficienter attritus, excuſatur ignorantia, & licet uirtute illius Cōfeſsionis nō fuerint remiſſa peccata, & Confeſsio illa non reiteretur, cum credatur legitimè facta, nihilominus illorum peccatorum remiſsio habetur per ſubſequentem contritionem, & confeſsionem, quemadmodum etiam, & peccatorum illius confeſsionis factæ à ſufficiēter attrito, illi qui non habuit iuriſdictionem, quam credebatur habere; non ergo iſta ſententia ſcrupuloſos nos reddit, ſicut nec etiam aliorum Sacramentorum doctrina de intentione, ſed potius feruentes, & ſerenos, & ad ueram nos pœnitentiam inducit, & à ſacrilega Confeſsione retrahit, dum docet falſum eſſe quemcumque dolorem, etiam cum uolunrate perſeuerandi in aliquo peccato, ſi confeſsio ſit integra, obtenta abſolutione, ſufficere. Ad ſecundum argumentum ſuperius reſpondimus.

De Confeſsionis reiteratione ex eo, quod fuit dimidiata, uel pœnitens fuit excommunicatus, An ſit reiteranda ab ommiſſam pœnitentiam, & quomodo ſit reiteranda.

Cap. XXIX.

Si confeſſio nō fuit integra.

SEcunda cauſa ob quam ex parte pœnitentis eſt reiteranda Confeſsio, eſt, ſi Confeſsio non fuit integra, quod intelligas ſi per ſe, & ex intentione fuit dimidiata, nam ſi non ex intentione, ſed per accidens, quia aliter fieri non poteſt (ut in caſibus de quibus ſuperius) dimidiatur, Confeſsio eſt ualida: ſecus ſi per ſe dimidiatur. quod bifariam contingit, directè. ſ. & indirectè, directè dimidiatur Confeſsio, cum quis ſcienter omittit aliquod peccatum mortale, uel quod probabiliter dubitat eſſe tale, uel aliquam neceſſariam circunſtantiam, præ pudore, aut hypocriſi, uel alia iniuſta cauſa, uel cum data opera, & ſtudioſè Confeſſus eſt peccatum mortale alicui Sacerdoti, à quo non be-

Confeſsio dimidiatur directè, & indirectè.

nè in-

nè intelligebatur, uel uſus eſt uerbis obſcuris ne intelligeretur, uel conſultò noluit aliquam diligentiam facere, ut ſuorum peccatorum recordaretur, quibus de cauſis Confeſſio tanquam ſacrilega, & nulla, eſt reiteranda; Indirectè dimidiatur Confeſsio cum pœnitens non adhibet debitā diligentiam, qua peccata cōmiſſa in memoriā reuocet, culpabilis.n. negligentia redigit actū in naturā ſuæ formæ, & lata culpa æquiparatur dolo cap. ut animarum de Conſt. in 6. hæc autem diligentia debet eſſe ſaltim tāta quanta in arduis, & grauibus negocijs magni momenti adhiberi ſolet, habita ratione qualitatis, & conditionis pœnitentis, quo etiam caſu eſt reiteranda Confeſsio ſi ex huiusmodi negligentia fuit dimidiata, At ſi pœnitens probabiliter credit ſe debitam conſcientiæ diſcuſsionem feciſſe, & poſtea alicuius peccati obliti recordetur, ſatis eſt, quod peccatum illud confiteatur, nec eſt opus, quod confeſsionem reiteret.

Si pœnitēs fuit ex cōmunicat. etiā minori.

Tertia cauſa reiterationis Confeſsionis eſt pœnitentis excommunicatio, quæcumq; illa ſit, ſiue maior, ſiue minor, ſiue notoria ſiue etiā occultiſsima, ſi.n. pœnitens fuit excōmunicatione ligatus, abſolutio à peccatis nō premiſſa abſolutione ab excōmunicatione nō tenuit, & eſt reiterāda Cōfeſsio. Iſta ſentētia eſt Pet. de Palu. S. Ant. & Sylu. idē etiā tenent, & extendūt etiā ad excommunicationē inuincibiliter ignoratā, Sed ut diximus p.p. lib. 3. ca. 4. excōmunicatio inuincibiliter ignorata apud Deū nō ligat; Sotus hanc cauſā reſtringit ad excōmunicationē maiorē, ſed dicimus, quod etiā minor excōmunicatio reddit Confeſsionē nullam. Et probatur, quia Cōfeſsio eſt actus iudicialis, & requirit in Cōfeſſario iuriſdictonē ſuper pœnitentē, ſine qua Confeſsio eſt nulla; hæc autē iuriſdictio tripliciter tollitur, ſeu ſuſpenditur, uel rōne Confeſſoris, per ipſius publicā, & notoriā excōmunicationē, uel ratione peccatorum, per ipſorum reſeruationē, vel ratione pœnitentis per quācumq; ipſius excōmunicationē, cū.n. quælibet excōmunicatio etiam minor, priuet excōmunicatum paſsiua receptione Sacramentorum, illum etiam quoad hoc eximit à iuriſdictione Confeſſorum, ut non poſsit ab eis abſolui à peccatis, niſi prius ſit abſolutus ab excommunicatione, & per conſequens abſolutio à peccatis data excommunicato eſt nulla ob defectum iuriſdictionis eſſentialiter requiſitæ.

Palu. d. 17 q. 5.
S. Ant. 3. p tit. 14. §. 4.
Sylu. V. Confeſsio 1. §. 6.
Sot. d. 22. q. 1. ar. 1.
Contraria ſententia.
Caiet. V. Abſolutionis impedimenta, & V. Confeſsio iteranda.
Ang. v. Cōfeſsio. 5. §. 10.
Nauar. in man. ca. 9. n. 3. & 4.
Couar. in cap. Alma mater. de ſent. exco. §. 6.

Caietanus tamen Angel. Nauar. & Couarru. dicunt, quod ſi excommunicatus ſuam excommunicationem confitetur, & ab ignaro Sacerdote peccatorum abſolutionem obtinet, confeſſio tenet, & non eſt reiteranda, quia licet tunc priuetur fructu

Sacra-

Sacramenti, illum tamen poſtea recedente fictione percipiet, ſicut & de Confeſsione ſine ſufficienti attritione facta dixerunt, Ad quod duplici ratione mouentur, Prima quia reliqua Sacramenta, ut Confirmatio, Ordo, Matrimonium, excommunicato exhibita tenent, ut per multos canones probant, ergo eadem ratione tenet Sacramentalis abſolutio à peccatis. Secunda, quia licet Sacramentalis abſolutio ſit iure prohibita excommunicato, nullo tamen iure eſt irrita ſi de facto ſuſcipiatur, ſicut nec reliqua Sacramenta. Sed miror tantos viros non conſideraſſe infirmitatem harum rationum, & maximam differentiam, quæ eſt inter Sacramentum pœnitentiæ, & reliqua Sacramenta, nam ad Sacramentum pœnitentiæ cum ſit actus iudicialis, præter poteſtatem ordinis, requiritur etiam poteſtas iuriſdictionis, ſine qua Sacramentum non tenet, ad alia uerò Sacramenta, ſufficit poteſtas Ordinis, quę per excommunicationem non ſuſpenditur, ſicut ſuſpenditur poteſtas iuriſdictionis, & cum hoc Sacramentũ eſſentialiter requirat iuriſdictionem Confeſſoris ſuper pœnitentem, quæ per excommunicationem ſuſpenditur, ſatis conſtat de iure abſolutionem à peccatis excommunicato datam eſſe nullam, Et confirmatur, quia ſicut Sacerdoti notoriè excommunicato excommunicatione maiori prohibetur abſoluere, ita cuilibet excommunicato prohibetur pœnitentiæ Sacramentum, ſed ſi Sacerdos notoriè excommunicatus aliquem Sacramentaliter abſoluit, abſolutio non tenet, & Confeſsio eſt reiteranda iuxta communem, ergo eadem ratione non tenet Sacramentalis abſolutio à peccatis data excommunicato, quia etiam per excommunicationem pęnitentis ſuſpenditur, quoad ipſum iuriſdictio Cõfeſſoris, ut manente excommunicatione non poſsit illum abſoluere à peccatis, quod ſi ex parte Confeſſoris non ſuſpendit quæcumque excommunicatio, ſed notoria, hoc non eſt in illius, ſed in aliorum fauorem, ut ſuperius diximus, & propterea quilibet excommunicatus prohibetur à paſsiua participatione Sacramẽtorum. Confirmatur ſecundo, quia ſi abſolutio à peccatis data excommmunicato tenet, tenebit etiam abſolutio data ab inferiori à caſibus reſeruatis; quod ipſi concedere debent ſi uolunt conſequenter loqui, quia magis arcetur quis à Sacramentali abſolutione à peccatis per excommunicationem, quam per peccatorum reſeruationem. Sed abſolutio data à reſeruatis non tenet, per Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 13. & can. 11. ergo etiam non tenebit abſolutio data excommunicato. Aliqui moderatius loquuntur, & dicunt, quod tunc tenet, quando bona fide datur, &

Impugnatio cõtrariæ ſententiæ.

ſuſci-

ſuſcipitur, credendo quòd pœnitens poſsit prius abſolui à peccatis,& remitti pro abſolutione ab excommunicatione ;Sed hoc nihil eſt,nec ſic etiam tenet,cum iuriſdictio,ut diximus,ſit ſuſpēſa,& ligata, & Sacramentalis abſolutio eſt actus iuriſdictionis, ſine qua non tenet per Conc. Trid.Hinc eſt, quod uſus Eccleſiæ habet,ut ante peccatorum abſolutionem præmittatur abſolutio ab excommunicatione in quantum Confeſſarius poteſt, & pœnitens indiget, uirtute cuius abſolutionis ſi pœnitens eſt ligatus aliqua excommunicatione,cuius non recordetur,ſi confeſſarius ille poterat ab ea abſoluere, Confeſsio tenet, ſi eſt reſeruata ſuperiori,& pœnitens eſt illa ligatus,confeſsio eſt reiteranda,quia Confeſſarius ab illa abſoluere non poterat.

Petrus de Palude S.Ant.Ang.& Sylu. addunt quartam cauſam ob quam ex parte pœnitentis eſt reiteranda Confeſsio, quando ſcilicet pœnitens non fecit pœnitentiam ſibi impoſitam. Sed diximus, quod nunquam eſt neceſſario reiteranda Confeſsio ob defectum ſatisfactionis,ſiue ſit facta in peccatò mortali,ſiue nullo modo ſit facta, & hoc ſiue per obliuionem, ſiue per negligentiam,ſiue etiam per contemptum contigerit, niſi fortè propoſitum non ſatisfaciendi fuerit in ipſa Confeſsione, tunc enim reiteranda eſſet,non ob ſatisfactionis omiſsionem, ſed ob defectū contritionis, & integritatis Confeſsionis, & ita etiam tenent Caiet.Nau.& alij multi,& probatur efficaciſsima ratione, quia illa peccata cum fuerint legitimè confeſſa,condonata fuerunt:& per conſequens propter ſuperueneniens peccatum, non redeunt, ut iterum confiteri debeant, ſine pœnitentia enim ſunt dona Dei, Rom.11.

De omiſſione pœnitentię. Palud. d. 17.q.5. S. Ant. 3. p. tit. 14. §.4. Ang.v. cōfeſsio 1. §. 13. Sylu. V. Confeſſio.1.§ 19 Caiet. V. Cōfeſsio Nau. c. 9. nu.14.

Eſt autem hoc loco notandum, quod quando pro reiteratione Confeſsionis acceditur ad eundem Confeſſarium, qui præcedentem Confeſsionem audiuit, ſi recordatur peccatorum prę cedentis Confeſsionis, uel ſaltem pœnitentiæ iniunctæ, aut ſtatus pœnitentis,in confuſo in quo erat quando confeſſus eſt,non erit neceſſarium iterum confiteri in particulari illa peccata, ſed ſatis erit confiteri cauſam in particulari, ob quam præcedens Confeſsio fuit nulla, & ſi Confeſſarius dicit ſe recordari illius Confeſsionis, ſatisfaciet dicendo culpam in genere de omnibus ei Confeſsis, ſi Confeſſarius nihil recordatur, uel ſi accedit ad alium omnia in particulari ſunt confitenda.

Quomodo ſit reiteranda.

Quanta

Quanta debeat eſſe fidelitas Confeſſoris in ſeruando ſigillo Confeſsionis, & quæ ſunt illa, quæ cadunt ſub ſigillo. Cap. XXX.

Confeſsionis ſigillum eſt de iure naturali, & de iure diuino poſitiuo,& Eccleſiaſtico, & ad Confeſsionis conſeruationem neceſſarium; ita ut quamuis alia ſecreta ſæpe poſsint, & debeant reuelari, quando.ſ. ſuperior iubet, vel eorum occultatio nocet animę,corpori,honori,aut rei familiari alterius,Confeſsionem tamē in nullo caſu (præterquam de pœnitentis licentia,quæ non ſine maxima neceſsitate acceptari debet) reuelare licet,ſiue ille qui confitetur pœniteat,ſiue non ſiue confiteatur peccatum perpetratum,ſiue perpetrandum:ſiue peccatum ſit in moribus,ſiue in fide, etiam ad ſaluandam vitam,ſiue temporalem ſiue ſpiritualem propriam, Principum,& totius reipublicæ,quia quę in Confeſsione dicuntur Deo, & nō homini dicuntur, & Confeſſor illa ſcit non ut homo,ſed ut tenet locum Dei, & ad idem Confeſsionis ſigillum tenentur etiam illi omnes,qui quomodolibet peccata dum confiterentur audierūt de quo S.Bonau. 4.ſ.d.21. narrat miraculum factum in quadam naui, nam cum periclitaretur,quidam confeſſus eſt publicè peccata ſua, & poſtquam uentum eſt ad portum nemo nouit, quid dixerit. Vnde ſi Confeſſor falſis teſtibus conuictus de homicidio ab altero,qui illud ei confeſſus eſt,perpetrato,ſuſpendendus ſit, à qua morte per Confeſsionis reuelationem ſe facile liberare poſſet,potius mortem ſubire,& totius mundi ſubuerſionem pati debet,quam Confeſsionem reuelare, in hoc enim caſu ius diuinum poſitiuum præualet iuri diuino naturali,nam Chriſtus tanquam uerus Deus, & auctor iuris naturalis ei derogat, vt cum in eo nullum obliget ſecretum iure naturæ, obliget, ſecretum Confeſsionis; quod eſt etiam conforme iuri naturæ, nā conſeruatio in Eccleſia ſacramenti pœnitentiæ eſt bonum uniuerſale, quod alijs temporalibus præualet. Et ſi Epiſcopus in Confeſsione nouit aliquem ſibi ſubditum,qui ordinari petit, eſſe paganum,& minime baptizatum, & Parochus eos, qui matrimonio iungi uolunt eſſe affines, & ex alterius Confeſsione aliquem fictè confiteri uidet,non poſſunt Confeſsionem reuelare, ſed ſi alia via eos impedire non poſſunt,Epiſcopus ordinare, Parochus coniungere, & Confeſſor abſoluere tenentur, Imo Con-

feſſor

ſeſſor de his, quę in Confeſſione audiuit, non poteſt cum ipſo met pœnitente extra Confeſsionem, uel cum alio pœnitente in Confeſſione loqui, qua in re uigilent, qui Confeſſiones audiunt viri, & uxoris, patris, & filiorum, domini & ſerui.

Quod ſi Confeſſor de his, quæ in Confeſsione audiuit interrogetur, & ei iuramento præſtito ſub pœna mortis, & excommunicationis, etiam à Summo Pontifice, ut ea reuelet præcipiatur, potius debet mortem ſubire; imo de eo, quod in Confeſſione audiuit, ſecurè dicere poteſt, & iurare ſe neſcire, & ſe non audiuiſſe, quia neſcit ut homo, ſed ut Dei miniſter, & caueat ne tacendo, uel in reſponſione titubando, illam uirtualiter reuelet, & ſi ulterius interrogetur an ſciat, ut Cōfeſſor, liberè dicat ſe neſcire. ſ. vt dicat, quia etiam ſi ſciat, ut Confeſſor, non tamen, ut illi dicat, & ſi interrogans replicet, Scis ne, vt Confeſſor, ut mihi non dicas, & faciat quot reflexiones uoluerit, poteſt liberè dicere, & iurare ſe neſcire, quicquid dicat Sotus, quia nō eſt periurium, cum enim non teneatur ei reſpondere ad rem, ſemper ad omnes ſuas reflexiones, altera verè ſuperaddi poteſt. ſ. neſcio etiam hoc modo, ut tibi dicam, non enim debet cum interrogatur an ſciat, ut Confeſſor, & ut Deus, increpatione reſponſionem ſubterfugere, vt uoluit Sotus, quia virtualiter affirmaret, ſed audacter neget, & poſtea Chriſtiana libertate grauiter eum reprehendat, de ſua ſacrilega temeritate, & interrogatione; De publicis etiam concubinarijs, & uſurarijs non poteſt Confeſſor dicere eos peccata illa ſibi eſſe Confeſſos, nam licet illa peccata ſint notoria, tamen quatenus in Confeſsione ſunt dicta, de eis loqui non licet, ſed interrogatus an illos abſoluerit, reſpondeat ſe ſuo officio functum fuiſſe, & ſi illos ad Communionem accedentes uiderit, caueat ne aliquid dicat, quod Confeſsionis reuelationem ſignificet, ut eos non fuiſſe abſolutos; ſed eis Sacramentum Euchariſtiæ denegare poterit dicendo, iſti quantum apparet hucuſq; in peccato publico permanent; & propterea quouſq; etiā cōſtet eorum emendatio Euchariſtiæ Sacramētū eis miniſtrari nō debet. Si occurrit in Confeſſione caſus de quo Confeſſarius dubitet, quid ei faciendum ſit, & uelit peritiorem conſulere, non ſtatim eat relicto pœnitente, qui eum expectet; & ita conſilium petat, quod non poſsit deueniri in cognitionem pœnitentis, & ſi ille à quo vult conſilium petere, ſcit illum ei eſſe tunc confeſſum, alium expectet diem, quia eſſet tacita Confeſſionis reuelatio. Et ſciat Confeſſor, quòd ſi dubitaretur an alicuius Confeſſionem reuelauerit, ei incumbit onus probandi, quòd id alia via

Quomodo ſit reſpondendum confeſſori etiam iuramento accepto.

4.d.18.q.4.ar.5.

ſciuerit. Plura de ſigillo Confeſsionis dici poſſent, quæ ſciens prætermitto.

De quibuſdam notandis à Confeſſarijs dum Confeſsiones audiunt; & quam fugienda ſit ab eis ſuarum filiarum ſpiritualium familiaritas.

Cap. XXXI.

MVlta ſunt Confeſſori notanda in adminiſtratione huius Sacramenti, & pauca, eaq; præcipua hoc loco adducemus. Pœnitente ante eum decenter conſtituto, & hilari vultu ſuſcepto, ſi illum non ſatis nouit, ante Confeſſionem aliqua ab illo petere debet, quibus illius diſpoſitionem cognoſcat. Primum an ſit ſibi ſubditus, & ſi nō eſt, an habeat facultatē confitendi cuicumque, ut ſciat an illum abſoluere poſſit. 2. interroget de illius ſtatu, conditione, & officio, ut ex proprijs cū eo procedat. 3 de tēpore à quo non eſt Confeſſus, & an ſit cōfeſſus habenti iuriſdictionē ſuper eum. 4 an eum cōſcientia remordeat de aliqua negligentia, uel culpa in præcedēti ſeu præcedentibus Confeſsionibus cōmiſſa, ut ſciat an ſit reiteranda præcedens Confeſsio. 5 an fecerit ea, quæ ſibi in alia Cōfeſsione iniuncta fuerunt; & ſi aliqua ſibi adhuc peragenda eſſe dicat, petat quæ nā illa ſint, & quæ fuerit cauſa tantæ negligētiæ, ſi enim hæc ad ammouendas peccandi occaſiones, uel ad reſtitutionē pertinent, & commodè ab ipſo fieri potuerunt, & poſſunt, dimittendus eſt donec illa perficiat, & eo minus ei credēdū eſt, quo pluries id Confeſſori promiſit, quo caſu Confeſſor multis eius promiſſionibus reſpondeat, ꝙ illi benè credit, ſed quia ipſe eſt huius Sacramenti miniſter, non poteſt ſine maximo Sacrilegio abſolutionis beneficium impendere niſi ei, qui Eccleſiæ iudicio ſufficiēter diſpoſitus iudicatur, talē autē Eccleſia nō iudicat illū, qui cū aliàs Confeſſori promiſerit ſtatum peccādi relinquere, & alteri ſatisfacere, abſolutione obtenta nihil amplius de eo cogitauit; & quāuis tunc uerè eum pœniteret, & ex animo proponeret ſe omnia factur ū, nihilominus hoc etiā ab eo exigit Eccleſia, ſic magis eius ſaluti cōſulens. 6 an ſe ad illam Confeſſionē præparauerit examinando conſcientiā ſuam, ſi dicat ſe minime paratum eſſe, & ueriſimile eſt, quod poſt redibit paratior, dimittendus eſt, ut redeat conſcientia diſcuſſa, at ſi mors uel phreneſis immineret, uel creditur, ꝙ dimiſſus nō redibit, vel ſi dicit ali-

quo modo, licet obiter ſatis, ſe conſcientiam ſuam diſcuſſiſſe, monendus erit, ut in poſterum diligentius ſe præparet, & ut quod recordatur omni cum humilitate, & peccatorum diſplicentia ſincerè dicat, idem faciendũ eſt ſi reiteranda ſit præcedens Confeſſio. 7 an ſit in aliquo peccato, quod relinquere nolit, qualis eſt vſura, concubinatus, odium, habere beneficia incompatibilia ſine ſufficienti diſpenſatione, nolle reſidere, nolle incedere in habitu, & tonſura, & huiuſmodi; ſi enim admonitus, & perſuaſus non vult peccatum relinquere, dimittendus eſt, ne ipſe poſtea de Sacerdote conqueratur, quia cum uiderit eum non eſſe abſoluendum uoluit omnia eius peccata audire, at ſi hoc periculum non timetur, & occupationes non vrgent, pium eſt eum audire, ſi forte Deus miſereatur, eius cor mutando in cõfeſsionis decurſu. 8. an habeat aliquem caſum reſeruatum, uel aliqua detineatur excõmunicatione, à qua illum abſoluere non poſſit, ut ad Superiorem remittat, uel ipſe ab eo facultatem abſoluendi obtineat. Circa quæ notandum eſt (vt tollatur ſcrupulus quem inijcit Nauarrus) quod Confeſſor omnia, quę ſic interrogando nouit, tenetur ſeruare ſub ſigillo Confeſsionis, etiam ſi abſolutionis beneficium non impendat, & contra Nauarri ſcrupulum facit c. quod quidam ext. de pœn. & rem. ubi dicitur audiendam eſſe cõfeſsionẽ illorum, qui aſſerunt ſe à criminibus abſtinere nõ poſſe, non ut abſoluantur, ſed ut conſilijs, & admonitionibus iuuẽtur. Nauar. in man. c. 10. nu. 3.

His præmiſsis prout oportere iudicabit, Confeſſor pœnitentem admoneat, ut omnia ſua peccata, quorum memoriã habet, ſincerè, & fideliter dicat, nihil præ uerecũdia relinquens, quod mortale peccatũ eſſe ſciat, uel dubitet. Quod ſi pœnitens malit interrogari, illum hortetur, vt prius dicat, quod meminit, eo modo quo poteſt, licet inordinatè, & confuſè; dicitur enim hoc Sacramentum Confeſsio, & non interrogatio, quia ille, qui peccauit, ſe accuſando, ſua peccata Sacerdoti manifeſtare debet, ut ab eo abſolutionem obtineat, cuius proprium officium eſt pœnitentem audire, & non interrogare, niſi ubi uiderit ob pœnitentis ignorantiam Confeſsionem non eſſe integram; hoc enim differt ſacramentale iudicium à forenſi, & criminali, quod cum ad punitionem procedat, iudex reum interrogationibus examinare, & per uim coactiuam ueritatem ab eo extorquere debet.

Et dum pœnitens ſua peccata dicit, illum pro libito ſuo quantumcumque rudi, & craſſa minerua, & ſine ordine dicere patiatur, nec interrumpat (niſi forte uideretur obiter monendus, ne aliquam perſonam nominet, uel ne dicat ſuperflua, & ad rem nõ

pertinentia, uel aliquid huiuſmodi, quod non impediat confitentis curſum, ſed potius dirigat ſi in eo erraret) ſed illum attentè audiat, & diligenter conſideret quibus peccatis magis implicatus exiſtat, & de quibus eum poſtea interrogare debeat. Caueat etiam ne ſi aliquod graue, & enormè peccatum ab ipſo audierit, aliqua ſigna admirationis abominationis, aut pauoris oſtendat, ſed ac ſi nihil intellexiſſet illum audiat, & uſque ad finem Confeſſionis diſsimulet, cum peccatorum grauitas, & enormitas illi oſtendenda erit.

Poſtquam pœnitens dixit, quæ illi memoriæ occurrerũt, ſi Cõfeſſor uiderit eum omnia dixiſſe, quæ neceſſariò dici debebant, non eſt, ꝙ eum interroget, at ſi uiderit eum non perfectè fuiſſe confeſſum, cum circunſtantias, & alia peccata omiſerit, illum interrogare tenetur, & in interrogationibus habenda eſt ratio pœnitentium, ut interrogentur ab eis, quæ debent, & iuxta eorum Confeſsionem auditam neceſſaria uidentur, & non Confeſsionalium, quæ vulgo circunferuntur, in quibus eſt maximus interrogationum aceruus, quod ideo dixi, quia aliqui Sacerdotes ad propriam memoriam, & eruditionem, ne dicam in ſcitiam commendandam nullam prætermittunt, & de omnibus peccatis, quæ committi poſſunt, pœnitentes omnes interrogãt, atq; adeo in hac exacta interrogatione ſunt occupati, ut parum curent de pœnitentium contritione, & propoſito relinquendi peccata; qua de re nullum eis uerbum faciunt, uel quia ſunt interrogando defeſsi, uel quia muneri ſuo ſe ſatisfeciſſe putant; exacta omnium peccatorum interrogatione.

Nouẽ in interrogationibus notanda.

Debet autem Confeſſor in ſuis interrogationibus nouem obſeruare. Primum, ut ſimpliciter, & non conditionatè interroget, vt ſcilicet petat an fecerit hoc uel illud, & non caſu, quod hoc, aut hoc peccatum feceris, non ne dicis tuam culpam? nam ad has conditionatas interrogationes debet affirmatiuè reſpondere, & non confitetur ſe illa peccata feciſſe, aut non feciſſe, & confeſsiones ſic factæ non fuerunt validę, & ſunt reiterandæ. Secundum, ne uana, inutilia, & ad Confeſsionem minimè pertinentia interroget, non nomen pœnitentis, non ubi habitet, non ſocios criminum. Tertium, vt non interroget pluries de eadem re, neque de his, quę pœnitens per ſe dixit, niſi propter aliquam circunſtantiam id ſit neceſſarium, & tunc ita interroget, vt pœnitens intelligat non idem, quod dixit, ſed aliquid aliud peti. Quartum, ut à pœnitente interroget de peccatis, quę ſolent eſſe communia hominibus illius conditionis,

non

non enim omnes interrogandi ſunt de omnibus peccatis. Quintum, vt non fiat explicita interrogatio niſi de illis peccatis, quæ omnibus manifeſta ſunt; de alijs autem adinuentionibus, ita debet à longe interrogare, ut peccator ſi fecit dicat, ſi non fecit, & ſubtilia illa peccata non nouit, non illa diſcat. Sextum, ne nimis deſcendat in peccatis carnalibus ad particulares circunſtantias ne ſe ipſum, uel pœnitentem in aliquam, tentationem, & peccatum inducat, & quando audit confeſſiones virginum, & puellarum, à longe interroget de uanis cogitationibus, an frequententent feneſtras, & ſi puras illas inuenit, non deſcendat ad magis particularia, ne illas doceat, & laqueum illis inijciat. Septimum eſt, ut ordinatè interroget, ſumpto initio à decem præceptis decalogi, quod ſi timetur pœnitentis mors, phreneſis, uel linguę impedimentum, tunc ſummus ordo eſt, non ſeruare alium ordinem, quam illum, quem diſcretio dictauerit, ut prius grauiora, & illa, quæ magis infirmi conſcientiam grauare uidentur interroget. de numero autem peccatorum ita interrogare debet, ut ſubtili computatione pœnitenti faſtidium non generet, ſatis enim eſt, ut plus minus ſecundum exiſtimationem ſuam quiſq; quoties peccauit dicat. Octauum, ut poſſit etiam melius pœnitentem iuuare, interroget etiam de bonis operibus quibus eſt deditus, quomodo tempus diſpenſet, quas orationes facit, an ſæpe confiteatur, ut ſic illum doceat non ſolum declinare à malo, ſed etiam facere bonum. Tandem nono, illum interroget an aliquid aliud habeat, quod ſuam conſcientiam grauet. Dum autem pęnitens, uel per ſe, uel interrogatus peccata dicit, Confeſſarius non debet illius peccata aggrauare, nec repræhenſionibus eum deterrere, præſertim ſi huiuſmodi ſit (quales, ut plurimum ſunt iuuenes, & mulieres) de quo dubitetur ne aliquid propter timorem, uel uerecundiam reticeat, ſed illi potius compatiatur eumque benignè moneat, ut cum fiducia, & ſincerè omnia ſua peccata dicat, & illi ſignificet ſigillum Confeſſionis, & quàm graue ſacrilegium eſſet aliquod peccatum ſciēter omittere, quibus omnibus dictis, illũ arguat, hortetur, ꝓut expedire iudicauerit.

Eſt tandem hoc loco Confeſſoribus diligenter notandum, ne mulieres, quæ Confeſſiones frequentant, diù in Confeſſionibus detineant, ſed ſolum quantum ad Confeſsionem ſatis eſt, & illas doceat, & admoneat, quod non memoriæ mandata, ſed ea ſolum peccata, quę ab vltima Confeſsione fecerunt, relictis circunſtantijs non neceſſarijs dicere debent, eſt enim

ſcandalum uidere, quod mulieres, quæ ferè quotidie confitentur, per integram ferè horam, ſemper manent ad pedes Confeſſoris, quod non eſt ſimpliciter paſsiuum, cum enim Confeſſio debeat eſſe pura, & ſimplex, non eſt uerſimile, quod illa mulier quæ quotidie, uel ſingulis diebus feſtis confitetur, tam multa commiſerit, ut ſemper ita immorari debeat, quod ſufficeret ad integram totius uitæ Confeſſionem faciendam. Scio, quod conſilijs, & hortationibus adiuuantur; ſed non ſemper ſunt nutriendæ lacte, & erga illas Confeſſarij ſeueriores eſſe debent. Et ſi Chriſtus dixit diſcipulis ſuis. *Si ego non abiero Paraclitus non ueniet ad vos*, ſignificans iuxta Aug. & Greg. quod debebant à ſenſibili conuerſatione Chriſti ſeparari, quæ quamuis eſſet ſanctiſsima, & utiliſsima, tamē iam in ſpiritu perfectos, oportebat, quod ſenſibile erat, ad ſpiritum conuertere, multo magis debent cauere Confeſſarij, ne illis mulieribus quarum Confeſſiones audiũt, etiam in ipſiſmet Confeſsionibus, ſe familiares exhibeant. Liceat aliqua ex S. Th. opuſc. 64. breuiter adducere, Nouerint inquit ſpirituales, quod licet carnalis affectio ſit omnibus periculoſa, & damnoſa, eis tamen pernicioſa eſt magis, maxime quando cõuerſantur cum perſona, quæ ſpiritualis uidetur, nam quãuis eorum principium uideatur eſſe purum, frequens tamen familiaritas domeſticum eſt periculum, delectabile detrimentũ, & malum occultum, bono colore depictum; quę quidem familiaritas quanto plus creſcit, tanto plus infirmatur principale motiuum, & utriuſque puritas maculatur; ſicque ſpiritualis deuotio paulatim conuertitur in corporalem, & carnalem, & ipſorũ mentes, quæ ſolebant in oratione cum Deo abſque intermedio loqui, nunc inter ſe, & Deum, alter ponit alterius corporalem effigiem, & cum proprium errorem percipere, & emendare deberent, in ipſius potius nutrimento erroris, totum illud iudicant ex maxima charitate procedere, cuius merito (puto) & ſibi inuicem mentientes referunt, quod in oratione unus alteri præſentatur magis eis delectabile, ac ſi pro ſe inuicem orare cogantur, gratia, & virtute diuina, & ſic ſenſualem ſimpliciter conſolationem affirmant eſſe ſpiritualem gratiam, & diuinam. Et paulo inferius, quod ille calor ignitus, quem in oratione ſentiunt, ſit à ſagittario illatus, & non à Spiritu ſancto immiſſus, probat duplici ſigno, Primum quia deliberant ſe tanquam ſpiritualiter unitos poſſe ſecurius, ac prolixius ſimul loqui, atque in hoc tempus nõ perdere, ſed lucrari; proinde modos inſolitos, & cautelas mirabiles adinueniũt, quibus procurant ſimul colloqui, & frequẽter.

Se-

Secundum, quod non niſi mora ſerotina, aut alia ineuitabili cauſa ab inuicem diſcedere poſſunt, & tunc inuitè, & triſtes diſcedunt. & poſt multa ſubiungit ex Hieronimo, Fœminam, quam vides bene conuerſantem mente dilige, non corporali frequentia. Si mulier potuit vincere eum, qui iam erat in paradiſo, non eſt mirum ſi eos impediat, qui nondum ad paradiſum peruenerunt. Ne in præterita caſtitate confidas, quia nec tu Sanſone fortior, nec Salomone ſapientior. Si fortè dicas, iam corpus mortuum eſt, dico tibi, quoniam diabolus viuit, cuius flatus prunas extinctas ardere facit, Ex Auguſtino, Sermo. breuis, & rigidus cũ mulieribus eſt habendus, nec tamen quia Sanctiores fuerint ideo minus cauendæ, quo enim ſanctiores fuerint, eo magis alliciunt, & ſub prætextu blandi ſermonis, immiſcet ſe uiſcus impijſsimæ libidinis, crede mihi Epiſcopus ſum, Epiſcopo loquor, non mentior. Ex Bernardo Quotidie conuerſaris cum muliere, & contînent vis putari? Eſto quod ſis, maculam tamen ſuſpicionis portas, ſcandalum mihi es; tolle materiam, & cauſam ſcandali, quia ue homini illi per quem ſcandalum uenit. Hæc S. Tho. Ex innumeris, duo ſolum adducemus exempla, alterum habetur in vita S. Vincentij, quem mulier nobilitate generis clara, ardenter amauit, & ſingulis diebus ſub religionis, & deuotionis ſpecie frequẽtabat loca in quibus eum videre, aut colloqui poſſet, tandè poſt annum illa ſe infirmam, & grauibus torqueri doloribus ſimulauit, & in lecto iacens, uocatur S. Vincentius, qui illius Confeſsionem audiat, & omnibus ex more excluſis, mulier linteum quo tegebatur amouit, & ſe totam nudam exhibuit, ſanctoque uiro ſignificauit ſuæ ægritudinis cauſam, & quare illum uocare iuſſerit, qui videns, quod admonitionibus, & repræhenſionibus parũ proficeret, diſceſſit; illa indignata, uoluit contra S. Virum clamare, & dicere, quod eam opprimere uoluiſſet, ſed Dei prouidentia ſtatim, atque os aperuit, diabolus eius corpus grauiſsimè uexare cæpit, & dæmon adiuratus reſpondit, ſe ab illo corpore expelli non poſſe, niſi ab eo, qui in medio ignis poſitus urĩ non potuit, uocatus S. Vincentius, dæmon vlulatum teterrimum emittens, en adeſt (inquit) vir ille, qui in medio ignis non eſt æſtuatus, & diſceſſit. Simile quid, legitur de S. Bernardino quem Matrona ſub ſpecie religionis carnaliter amabat, & propter illũ fratribus eiuſdem ordinis S. Franciſci magnum charitatis feruorem oſtendebat, & cum ille oſtiatim, ex more mendicaret panem, mulier quę tunc data opera erat ſola, iuſsit eum aſcendere, cui dixit, ſi noluerit ei aſſentiri, ſe clamaturam, & dictu-

rām, quod uim ei ipſe inferre uoluerit; ille autem ſe Deo commendās, hoc ei Deus ſuggeſſit conſilium, ut diceret, quod ſi uellet, ueſtibus ſe nudaret, quod ſtatim fecit, & ille accepto flagello, quod clam ſecum portabat, eam egregiè cecidit, donec omnis illa tentatio euaneſceret. Et ne viri religioſi de ſe præſumant tanquam conſtantiores, alterum exemplum ſit, quod habetur in libro Apum de quodam Sacerdote canonico, & curato, qui à pueritia caſte, & ſemper in mira abſtinentia, uſque ad ſenectutem Sanctiſsimè uixit, & exemplo, & prædicatione, multos ad Deum conuertit: quædam uirgo ſexagenaria illius cilicium mundare, & lauare ſolebat, & uiri fetore quem cilicium redolebat excitata, cum ſub ſpecie charitatis familiares eſſent, in ipſa ſenectute uirginitatem amiſerunt, ſed mulier pœnituit, & Sacerdos in luxuriæ uitio permanſit. In uitis Patrum, in uita S. Abrahæ hæremitæ, cuius neptis ſanctiſsimè uiginti annis in cellula propè ipſum clauſa uixit in hæremo, habetur de monacho, qui ſub ſpecie edificationis, ſæpe ad Sanctum uirum accedebat, animo tamen videndi eius neptem, & tandem poſt annum peccauerunt; quæ omnia ad noſtram correctionem ſcripta ſunt. & illi facilè cadunt, qui multum de ſe præſumunt, & qui eſt certus de ſua bona intentione, non eſt certus de bona intentione alterius, & ſi etiam eſſet certus, Maculam (inquit S. Bernardus) ſuſpicionis portas, ſcandalum mihi es, tolle materiam, & cauſam ſcandali, quia ue homini illi per quem ſcandalum uenit.

Quibus ſit deneganda abſolutio, quæ ſit illa peccandi occaſio quam niſi pœnitens relinquat, non eſt ei danda abſolutio, quando ſit imponenda pœnitentia, & quomodo ſit dimittendus pœnitens.

Ca. XXXII.

Caueat Confeſſarius ne impœnitentem abſoluat, illi uerè ſunt impœnitentes, qui aliquod peccatũ, uel propinquã peccãdi occaſionẽ relinquere nolunt, licet oſtendant ſigna doloris, & cum lachrymis abſolutionẽ petant. Sed difficile eſt cognoſcere, quæ nã ſit illa peccandi occaſio, quam niſi pœnitens relinquat, non eſt illi dãda abſolutio. Et cum S. Greg. c. Negocium de pœnitentia d. 5. poſſumus definire, ut ſit illa, qua aut uix, aut nullatenus poſſumus vti ſine peccato, ubi duplex diſtin-

ſtinguitur proxima peccandi occaſio, una quæ ex ſe eſt peccatũ, & ſine peccato eſſe non poteſt, & niſi pœnitens hanc effectualiter relinquat non eſt abſoluendus, ut meretricium, necromãtia, ars vſuraria, & huiuſmodi; altera eſt quę ex ſe non eſt peccatũ, & ſine peccato exerceri, & uti poteſt, ſed raro, dicimus, ſed raro, quia in qualibet re, etiã bona, & ſãcta poſſumus peccare, ea abutẽdo, ſed loquimur de illis exercitijs, & occaſionibus, quæ raro ſunt ſine peccato mortali, ut militia, & cohabitatio iuuenis cum puella & huiuſmodi. Et pro multorũ caſuũ reſolutione ſequentes ponu mus concluſiones, & Prima ſit, ex hoc, quod pœnitens, aut Cõfeſſarius credunt pœnitentẽ aliquando in ſuo exercitio peccaturũ mortaliter, nõ tenetur pęnitẽs relinquere ſuũ exercitiũ, & ſua negocia, ex ſe licita, nec eſt ei denegãda abſolutio, ſi eſt cõtritus, & proponit ſe Dei gratia daturũ operã fideliter, & ſine peccato mortali, ſua officia, & exercitia factutũ. Et probatur primo, quia alias ferè omnes negociatores, & mercatores, imo etiam iudices ſeculares, & etiã Eccleſiaſtici, & Prælati, deberent relinquere ſua officia. 2. quia ad abſolutionẽ ſufficit firmũ propoſitũ cauendi peccatũ mortale, & nõ credulitas, ꝙ nũquã cõmittetur peccatũ mortale, iuxta Innoc. receptũ in c. Omnis de pœn. & remiſ. quia ſicut debemus ſperare, & confidere in gratia Dei, ita debemus timere de noſtra infirmitate, & non timere, eſt ſuperbia. *Prima cõcluſio.*

Secunda Concluſio illa occaſio peccãdi, quæ ex ſe eſt peccatũ mortale, eſt omnino relinquenda (vt diximus) ut meretricium, fœneratio, quia in illa perſeuerans eſt in ſtatu peccati mortalis, & tanquam impœnitens non eſt capax abſolutionis. *Secunda concluſio*

Tertia Concluſio. Illa peccandi occaſio, quæ ex ſe nõ eſt peccatũ mortale, ſed attentis particularibus cõditionibus, & circũſtãtijs particularis perſonæ, raro eſt ſine peccato mortali. Si ratione ſcandali ipſa occaſio eſt peccatũ mortale, omnino eſt relinquẽda ſi nõ eſt in ſe rõne ſcãdali peccatũ mortale, ſed ſæpe eſt cũ peccato mortali, eſt etiã relinquenda ſi põt ſine magno dãno relinqui, & pœnitẽs potẽs illã ſine magno dãno relinquere, & nolẽs, quantũcunq; uideatur contritus, nõ eſt abſoluẽdus: ſi aũt non põt illã ſine graui dãno relinquere, & uidetur cõtritus cũ firmo propoſito abſtinẽdi à peccato, licet medicinaliter poſſit aliquãdo cũ expedire uidebitur, abſolutio differri, debet ei dari abſolutio, ẽt ſi illã occaſionẽ nõ relinquat, & hoc nõ ſolũ ſemel, aut ſepties, ſed uſq; ſeptuagies ſepties, ideſt, quotieſcumq; ad Confeſſionẽ cõtritus cũ firmo propoſito abſtinendi à peccato mortali accedit, & durãte cauſa, quæ illum excuſat, ne occaſionem illam relinquat. *Tertia cõcluſio.*

Quæ concluſio habet tres partes, quæ probãtur, & exemplis explicantur, Prima eſt de occaſione, quæ ratione ſcandali eſt in ſe peccatum mortale, & probatur per ſecundam concluſionem, & exemplum ſit de publico concubinario, & non ſolum de publico, ſed etiam de illo, ſecundum Sylu. qui ut talis ab aliquibus habetur, iſte niſi concubinam dimittat, non eſt abſoluendus, quia eſt talis peccandi occaſio, quę in ſe eſt peccatum mortale ob ſcãdalum, quod ſcientibus præbet. Secunda eſt de occaſione, quæ facile etiam ſine temporali incommodo poteſt relinqui, & probatur, quia licet iſta occaſio non ſit in ſe, nec ex natura ſua, nec ratione ſcandali peccatum mortale, eſt tamen propinqua occaſio peccati mortalis, quę cum ſine temporali incommodo poſſit relinqui, ſi nõ relinquitur, amatur ipſa occaſio, & qui amat periculũ peribit in illo Eccl. 3. Exemplum ſit de domino, qui peccauit cũ ancilla, & peccatum eſt occultum, qui ſine scandalo, & damno ancillam dimittere poteſt, prudeus Confeſſor, ſi uidet eum in illo peccato diu perſeueraſſe, probabiliter credit, quod poſt Confeſsionem reuertetur in id ipſum, & propterea illi iniungit, ut cõcubinam dimittat, at ſi videt, quod poſt peccatum commiſſum pœnituerunt. & quod per multum temporis ſine peccato uixerunt, probabiliter credit, quod Dei gratia ſic etiam ſint in poſterum victuri, & conſiderans viri pœnitentiam, & maiores peccandi occaſiones quas habebit ancilla dimiſſa, & quod ſine ſcandalo ſimul commorãtur, illum abſoluit, ſequenti autem Confeſsione ſi inuenit, quod iterum cum illa peccauit, & quod illa eſt ei occaſio peccandi, iniungit ei, ut illam dimittat, & ſi non vult dimittere, illum non abſoluit. Tertia pars eſt de occaſione, quæ ſine graui damno relinqui non poteſt, de qua dicitur, quod contritus cum firmo propoſito relinquendi peccatum poteſt abſolui abſque eo, quod illam relinquat, & hoc toties quoties ſic diſpoſitus ad confeſsionem accedit, & probatur ex Nau. 1. quia cũ iſta circunſtantia in ſe non ſit peccatum, nec ex natura ſua, nec ratione ſcandali, non expedit pœnitentem nimis adſtringere, qui enim uehementer emungit, elicit ſanguinem. Prou. 3. Secundo, quia ad abſoluendum non eſt neceſſarium credere, quod pœnitens in poſterum non peccabit, ſed ſufficit uera pœnitentia præteritorum peccatorum, cum firmo propoſito in futurum nõ peccandi; & quod ſi peccandi occaſionem non relinquit, cum in ſe non ſit mala, quod ſit notabilis cauſa illam non relinquendi, ita tamen quod proponat adiuuante Deo ob illã nõ peccare. Ex quo infert Nauarrus, quod benè faciunt Confeſſarij abſoluendo multos

Syl. V. Cõcubinatus

Nauar. in Man. ca. 3. nu. 5. E.

tos adoleſcentes pœnitentes, qui uerſantur inter mulieres, emẽdo, uendendo, laborando, & conuerſando abſque cohabitatione illarum in eadem domo, licet non ſtatuant abſtinere ſe ab occaſione peccandi, quam id ipſis præbet, quamuis ſæpius peccent uoluntate, uerbis, tactibus impudicis, & etiam copula, quia occaſio, quæ ex hoc præbetur ad peccandum non eſt ex ſe peccatum mortale, neque talis, ut ferè ſemper faciat peccare mortaliter eos, qui ea utuntur. Et quod poteſt abſolui hoſpita, quę hoſpites excipit, & quoties certum quendam excipit, habet rem occulte cum illo, modo ſtatuat, & polliceatur nunquam in poſterum ſe recepturam eum, & ſi abſque magno detrimento, & ſcandalo non poſſet eum ab hoſpitio prohibere, modo proponat ac promittat nunquam ſe ſolam cum eo ſolo in aliquo cubiculo ſeparato uerſaturam, & dicturam ei ex animo ſe pœnituiſſe, & iam confeſſam fuiſſe, Et quod poſſunt abſolui ſine ſeparatione, cognatæ, ancillæ, ac famulæ quæ rem habuerunt cum ſuis conſanguineis, dominis, vel heris, in quorum domo degunt, ſi ſint contritæ, & ſi adeſt notabilis cauſa ob quam non ſeparentur, At ſi Confeſſarius cerneret, quod cum idem in præcedentibus Confeſſionibus promiſerint nulla emendatio, nec eius inchoatio extitit, poſſet abſolutionem differre, & illis, quæ facilius poſſunt ſeparari, ut ſunt ancillę, & cognatæ ſolutæ, poteſt etiam iniungere, ut dicant perſonis, cum quibus degunt, & peccant, ſibi denegari abſolutionem niſi ſeparentur, & illos vehementer per Deum orent, ut cauſam inueniant qua ab ipſis honeſtè ſeparentur, aliàs Confeſſario obedient, & diſcedent, quod ſi ſeparari non poſſunt, commendetur Deo, & si uidentur contritæ, & habere firmum propoſitum cauendi peccata, abſoluantur.

Quamuis pœnitentia poſsit iniungi poſt datam abſolutionem, melius tamen eſt quando non ſatis cognoſcitur pœnitens, ante abſolutionem pœnitentiam dare, & reſtitutionem, & remotionem occaſionis peccandi pręcipere, Et pœnitentia non ſolum ſit ſatisfactoria, ſed ſit etiam medicinalis iuxta qualitatem morbi. Admoneat Confeſſarius pœnitentem, quod pœnitentia, quam ei imponit non eſt ſufficiens ad delendam omnem pœnam peccatis ſuis debitam, & propterea alia etiam ſatisfactionis opera ſponte aſſummat, & quod pœnitentiam iniunctam faciat in ſtatu gratiæ, nam si illam facit in peccato mortali, ſatisfaciet quidem præcepto Confeſſoris, ſed non ſatisfaciet Deo, quia eſſet opus mortuum, & non deberetur ei

re-

remiſſio pœnæ purgatorij. Hortetur tandem pœnitentem ad bona opera, & maximè ad Sacramentorum frequentationem, & quod per contritionem ſtatim conuertatur ad Deum quando aduertit ſe peccaſſe mortaliter, & quotidie manè quando ſurgit, & noctu quando it cubitum ſeipſum toto corde Deo offerrat, & commendet, ut ſic etiam ſit ſemper paratus, quia neſcit, qua hora uenturus ſit Dominus eius.

SECVN-

SECVNDAE PARTIS DE OFFICIO SACERDOTIS.

LIBER TERTIVS.

DE PRAEAMBVLIS AD PRAECEPTA, De Primo Charitatis præcepto, & de tribus prioris tabulæ Decalogi, & Quinque Eccleſiæ Præceptis.

De Præambulis ad Præcepta.

In quibus differant peccatum mortale, & ueniale, & an ueniale poſsit fieri mortale, & è contra mortale ueniale.
Cap. I.

AGENDVM nunc eſt de peccatis actualibus, & maximè mortalibus, de quibus debet eſſe Confeſsio. Inter peccatum mortale, & ueniale hęc præcipua conſtituitur differentia, ex qua aliæ oriuntur, quòd mortale eſt contra legem Dei, ueniale uerò non eſt cõtra legem, ſed præter legem; quam differentiam aliqui non admittunt, quia omne peccatum eſt contra Dei uoluntatem, & legem; quòd nos quidem còncedimus, nam eius uoluntas eſt Sancta, & lex immaculata; ſed cum Deus omne peccatum prohibeat tanquam uoluntati ſuæ contrarium, compatiens tamen noſtræ infirmitati, non eodem modo prohibet omnia peccata, omnia quidem prohibet, & tanquam mala, & prohibita punit, ſed non propter omnia nobis ſuam denegat gratiam, aliqua igitur ita prohibet, ut ſalua eius amicitia, & gratia committi non poſsint, alia verò omnia, prohibet quidem, ſed non cum tanto rigore, & iſta ſunt uenialia, quæ ſunt contra uoluntatem, & legem Dei prohibentem omne peccatum, ſed non ſunt cõtra illam

Differentiæ inter mortale, & ueniale

legem,

legem, ſed præter, quæ munita eſt ammiſsione gratiæ, & æternitate pœnę. Ex qua oriuntur alię differentiæ inter peccatum ueniale, & mortale; & ſecunda ſit, quia ueniale non tollit, nec minuit charitatem, licet diminuat eius feruorem, tertia, ueniali per ſe debetur pœna temporalis, & non æterna. quarta, exiſtenti in gratia poteſt remitti unum ueniale ſine alio. quinta, uenialia non ſunt neceſſario confitenda, ſed facilè alijs etiam medijs remittuntur, ut aqua benedicta, ſacerdotali benedictione, pectoris tunſione, & huiuſmodi, & dicuntur uenialia, quia ſunt uenia digna, nō ut peccata, quia ut talia eis debetur pœna, ſed quia non peruenerunt ad gradum peccati mortalis, non priuant gratia Dei, nec eis debetur pœna æterna. At peccatum mortale tollit gratiam, charitatem extinguit, & peccantē Dei inimicum conſtituit, ex quo alij peſtiferi eius ſequuntur effectus, nam in anima cauſat maculam, qua deformis, & Deo, & ſanctis omnibus, odibilis redditur, mortificat omnia bona opera in charitate facta, omnia bona opera, quæ in peccato fiunt, mortua reddit, & ſi ſint talia, quę miniſtrantem, ſeu ſuſcipientem in gratia, ſeu ſaltē attritum requirant, ut ſunt Sacramenta, mortifera efficit, quia mortaliter peccatur, priuat participatione bonorum omnium, quæ in uniuerſa fiunt Eccleſia, & ſingulis in gratia exiſtentibus, vt uiuis membris huius corporis myſtici communicantur, iuxta illud pſalmi, *Particeps ego ſum omnium timentium te*, alios multos effectus facit, quos ne digrediamur, relinquimus.

Quid ſit peccatum mortale. Peccati mortalis duæ pręcipuæ aſsignantur definitiones, Prima eſt Ambroſij. Peccatum eſt diuinæ legis præuaricatio, & cœleſtium inobedientia mandatorum. Secunda eſt Auguſtini, Peccatum eſt dictum, aut factum, aut concupitum, cōtra legem Dei, Prima ſolam rationem formalem peccati mortalis explicat. Secunda, & rationem formalem, & quibus modis fiat, nam omiſsio ad iſta reducitur. Vbi notandum eſt, quod non ſolum eſt peccatum mortale quando directè, & immediatè fit contra præceptum Dei, ſed etiam quando fit contra præcepta diuina poſitiua, & contra præcepta Superiorum, ſi ſuperiorum præcepta ſint iuſta, promulgata, recepta, & non derogata, & ſuperiores ad peccatum mortale transgreſſores obligare intendebant. & quomodo hoc cognoſcatur dicemus inferius.

An mortale poſsit fieri ueniale, & è cōtra, & quo modo. Quando quæritur an peccatum ueniale poſsit effici mortale, & è contra mortale ueniale, dupliciter id poteſt intelligi; Primo, ex ratione obiecti, uel ex genere ſuo, & ſic eſt impoſsibile, nam mortale eſt contra legem Dei, & ueniale non eſt contra legem, ſed

ſed præter legem,& per ueniale non auertimur ab ultimo fine, ſicut per mortale. 2. ex diſpoſitione agentis, & ſic non eſt incõ ueniens, quia actus humani non ſolum recipiunt bonitatem, & malitiam ex obiecto, ſed etiam ex diſpoſitione, & intentione agentis, & hac ratione ueniale poteſt effici mortale, & è contra, differenter tamen, nam ueniale poteſt fieri mortale ratione mortalis intentionis, non ſic autem mortale efficitur ueniale ratione venialis intentionis, nam bonum per malam intentionẽ efficitur malum, & malum per peiorem intẽtionem efficitur peius, at malum per bonam intentionem non efficitur bonum, non enim ſunt facienda mala, ut inde eueniant bona.

Peccatum ex ſe ueniale, imo etiam bonum opus quinque de cauſis poteſt fieri mortale. Prima ſi fiat ob finem mortalem. Secunda, ſi fiat contra conſcientiam erroneam, dictantem id eſſe mortale, uel de eo dubitantem, & non ſufficit conſcientia, uel dubietas generalis, ſed requiritur ſpecialis, nam ſi iuriſperitus dubitaret in genere, an iuriſconſultis liceat die feſto conſulere, tamen dato caſu particulari quo ei conſulendum ſit, crederet, ꝙ illo die feſto poſſet in tali caſu ſine peccato conſilium dare, non peccaret, & è contra ſi quis arbitraretur licere generaliter iuris peritis diebus feſtis conſulere, ſed dubitaret an nunc, & hic, & hoc conſilium ſibi liceat dare, peccaret agendo contra conſcientiam. Tertia, ſi aliquid fiat in contemptum conſilij diuini, uel regulæ, & legis, non obligantis ad mortale, nam Dei conſilia licet non obligent, niſi quis ſe ad illa obligauerit, & multæ leges multorumque religioſorum regulæ non obligent ad mortale, non tamen debent contemni, & earum contemptus eſt mortale, unde ſi quis in contemptum ſtatus virginitatis duceret uxorem, & ſi religioſus in contemptum ſuæ regulæ ſine licentia ſcriberet litteras, peccarent mortaliter. Quarta propter ſcandalum & contemptum ſalutis animæ proximi, aut etiam propriæ, ut exornatio mulieris, uel uiri, ſi credit per eam proximum mortaliter peccaturum, quamuis ex ſe non ſit mortalis, tamen ob contemptum ſalutis animæ proximi efficitur mortalis, ſimiliter etiam ſi mulier, ut ſe ornet diebus feſtis, non curet audire Miſſam. quinta, ſi ultimus finis in eo conſtituatur, adeo quod quis paratus ſit potius peccare mortaliter, quam id relinquere, & ad hoc periculum euitandum non debent fieri iſtæ comparationes, quæ infirmis ſunt periculoſæ.

Veniale, & opus bonum quinque de cauſis fit mortale.

Peccatum ex ſe mortale poteſt etiam aliquibus cauſis fieri veniale, imo etiam, ut non ſit peccatum, & hoc non ratione intentionis,

Quomodo mortale fiat ueniale.

tionis,ut diximus, ſed ratione tollente cauſam mortalem, duo autem requiruntur ad hoc,quod peccatum ſit mortale. Primũ, quod ſit contra præceptum. Secundum, quòd deliberatè fiat. Ratione primi quatuor excuſant. Primo, ſi præcipiens non intendit cum tanto rigore præcipere, ut obliget ad mortale. 2. etiam quando ſic obligat, paruitas rei. 3. iuſta cauſa. 4. diſpẽſatio; Ratione ſecundi,quatuor etiam excuſant,ignorantia.ſ.ſubreptio,paruitas iudicij,ut in ſemidormientibus,ſemiebrijs, & ualde turbatis,& uiolentia,quæ cauſant inuoluntarium.

Quomodo cognoſcatur legem obligare ad peccatum mortale, & præcipuè Ciuilem pœnalem, & an Clerici teneantur ad leges Ciuiles.

Cap. II.

Errores cauendi.

NOn ſolum cauenda eſt hoc loco impia Valdenſium, & Lutheranorum hæreſis,qui dixerunt nullam eſſe in Eccleſia poteſtatem cõdendi articulos fidei, aut morum leges, ſed cauendus eſt etiam error Ioannis Gerſonis; qui tenet,quod nulla lex,neq; ciuilis,neq; Eccleſiaſtica,imo nec naturalis habet uim obligandi in conſcientia ad culpam, ſed ſola lex diuina;humana uero intantum obligat, in quantum eſt illius interpres;& illius ratio eſt, quia ſicut nemo poteſt conferre gratiam,niſi ſolus Deus,ita neque illam auferre, nec conſequenter obligare ad culpam, per quam tollitur gratia; & ſicut ſolus Deus poteſt infligere pœnam ęternam, ita ipſe ſolus poteſt obligare ad culpam cui debetur pœna æterna. Ad quam facile reſpõdetur,quod licet ſolus Deus gratiam conferat, non tamen ipſe illam aufert,ſed nos ſceleribus noſtris illam amittimus, non ſolum per hoc quod cõtra legem Dei facimus, sed etiam,quia ſuis miniſtris non obtemperamus;ob quam etiam cauſam ipſe æternam pœnam,ut ſummus omnium iudex infligit, quam homines infligere nequeunt.

Prima Cõclusio.

Vt autem facilè cognoſcamus quando leges tam Eccleſiaſticæ,quam Ciuiles,obligent ad mortale, aliquot adducemus concluſiones,quarum Prima ſit,Leges humanæ tam Eccleſiaſticæ, quam ciuiles poſſunt obligare, in foro conſcientiæ ſub peccato veniali,& etiam mortali,quæ concluſio eſt de fide,& de legibus Eccleſiæ ſunt apertiſsima Chriſti teſtimonia. Luc. 10. *Qui uos audit me audit, & qui vos ſpernit,me ſpernit.* Matt. 18. *Si Eccleſiam non*

non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus, de legibus Principũ. Prou. 8. *Per me reges regnant, & conditores legum iuſta decernunt*. Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo ordinata ſunt, itaq; qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt*. Deut. 21. iubetur lapidibus occidi filius inobediens patri, ſed non minor eſt poteſtas principis in republica, quam patris familias in priuata domo, imo tanto maior, quanto maius eſt bonum totius communitatis, bono particulari, & domeſtico, quod ordinatur ad bonum totius Ciuitatis, ergo legi humanæ quandoque obediendum eſt ſub mortali culpa, quod etiam ratione probatur, quia iure naturali in omni humana ſocietate eſt neceſſarius ſuus ordo, & in omni ordine ſuum caput, cui reliqui ſubeſſe, & obedire tenentur. Et ita docent inter alios Abb. Innoc. Fel. Dec. Iaſ. & S. Tho.

Secunda Concluſio. Si legislator non intendit obligare ſub peccato, illarum tranſgreſſio citra contemptum, non eſt peccatum, huiuſmodi ſunt conſtitutiones Dominicanorum, & aliarum etiam Religionum, & multæ leges Principum, quæ obligant ad pœnam, ſed non ad culpam, & ratio eſt, quia non operantur, & non ligant vltra intentionem legislatorum. *Secunda cõcluſio.*

Tertia Concluſio. Omnis lex tã canonica, quam ciuilis, ſi iuſta ſit, recepta, & in uſu, obligat ad culpã, niſi cõtrarium expræſſerit. Caietanus in sũma loquens de ieiunio, dicit nõ ſatis ei conſtare an lex ieiunii obliget ad mortale, quia lex id nõ explicat, ubi inſinuat legẽ, quæ id nõ explicat, nõ obligare ad culpam, in quo (vt inquit Sotus) grauiſsimè errauit, leges. n. nũquã ferri cõſueuerũt cũ tali acceſſorio, præcipimus ſub reatu culpę mortalis, uel ueniale, & non eſt ſpecificãdũ eas obligare ad culpã, quia ex natura ſua sẽper obligãt, & propterea ſpecificandũ eſt quando legislator non intendit obligare ad culpam. & probatur Concluſio cum Soto, quia lex ſecum fert obedientiæ pręceptum, obedientia autem per ſe eſt uirtus, & inobedientia peccatum. *Tertia cõcluſio.* *Sot. lib. 1. de iuſt. & iur. q. 6. ar. 5.*

Quarta Concluſio. Lex humana pœnalis, tam miſta, quã pure pœnalis ui præcepti humani obligat ad peccatũ veniale, uel mortale, niſi contrarium explicet, ſi fuerit iuſta, hoc enim ſemper præſupponimus. *Iſta* Concluſio eſt contra multos, quorum aliqui tenent, quod lex humana aliquid pręcipiens, & pœnã addẽs temporalem, non obliget tranſgreſſorem ad culpam mortalem, ita tenent Matthe. Mattheſil. Cæpola, Decius, Lud. Gomez, Hoſt. Ioa. And. & Iaſon, quos citat, ſed nõ ſequitur Couarruius. idẽ te- *Quarta cõcluſio.*

 net,

Nauar. in man. c. 23 nu. 55. net, & conatur probare Nauarrus, ſed fruſtra. Alij moderatius lo-quũtur, nã Henr. de Gand. & Io. Driedo. diſtinguunt leges pœna-les, quædã ſunt, quæ præceptũ, uel prohibitionẽ explicant, quas uocat mixtas, & iſtas dicunt obligare ad culpã, & ad pœnã, quæ-dã ſunt, quæ nullã exprimunt, nec præceptionem, nec prohibitio-nem, ſed tantum pœnam ſub conditione, ut qui non probauerit, quod obiecerit, pœnam quã ipſe intulerit patiatur, Incendiarij capite puniantur, & ſimiles, quibus nihil pręcipitur, aut prohibe-tur, ſed pœna tantum ſtatuitur, & has uocant purè pœnales, & di-cunt non obligare niſi ad pœnam. Sed nos generaliter dicimus omnem legem pœnalem obligare etiam ad culpam, niſi contra-rium in ea exprimatur, & ita tenent Geminia. Franc. Fel. Dec. Sylu. Med. Alfonſus à Caſtro, & Sot. quos citat, & ſequitur Co-uarru. idem etiam tenet S. Tho. Sed ante probationem eſt prius explicãda Cõcluſio, & propterea eſt primo notãdũ cũ Soto, quod loquimur de lege pœnali, nã aliquando ponitur ſolutio pecunia-ria, non per modũ pœnæ, ſed per modum prætij, aut cõuẽtionis, quando. ſ. Princeps non prohibet, ſed cõcedit ſub prætio, ut ſi di-cat, qui vult euehere frumentum tantum ſoluat, ſimiliter, & qui vult in nemore cædere ligna, tunc non obligat ad culpam uigo-re huius diſpoſitionis, quia non intendit prohibere, ſed conce-dere, & concedendo pecuniam colligere, ſed nihilominus pec-catur, quia id, eſt alia lege prohibitum, at ſi ſolutio pecunia-ria ponatur per modum pœnę, tunc obligat ad culpam, ut ſi di-cat, qui euexerit frumentum, uel cæciderit ligna tali pœna puniatur. Eſt ſecundo notandum, quod in Concluſione dixi-mus, legem humanam pœnalem obligare ad peccatum ui præ-cepti humani, ne quis exiſtimet ideo obligare ad peccatum, quia præcipit, uel prohibet id, quod lege diuina, uel naturali faciẽdũ, vel omittendũ eſt, ſed ui ſua obligat, etiam ſi id præcipiat, quod alia lege, non eſt prohibitum, ut ne portentur arma, ne diſtra-hatur frumentum, ne quis noctu ſine lumine incedat. Proba-tur modo Concluſio. Primo, quia lex humana etiam laica, po-teſt obligare eius tranſgreſſorem ad culpam, & ſimul etiam ad-uerſus eum pœnam ſtatuere, ut ſimul obliget ad culpam, & ad pœnam, cum pœna non ſit contraria culpæ, ergo quando ali-quid præcipit ſtatuta pœna, obligat etiam tranſgreſſorem ad cul pam, nec ualet reſponſio, & ratio Nauar. quod legiſlator obligã do ad pœnam temporalem, uidetur excludere æternam, quia qui de duobus propoſitis alterum affirmat, alterũ negare uide-tur. Iſta inquam reſponſio nulla eſt, quia culpa, & pœna tẽporalis

Couar. irreg. pecca tũ relect. 2. §. 5.

S. Thom. 1.2.q.108 ar.4.

Sot. lib. 1. de iuſt. & iure q. 6. ar. 5.

Cõcluſio nis declaratio.

Cõcluſio nis probatio.

non proponuntur legiſlatori, ut alteram tantum eligat, nec contrariatur, ut vtramq; intēdere nō poſſit. 2. probatur, quia lex humana abſolutè poſita, ſine comminatione pœnę, obligat ad culpam, ut diximus in ſecunda concluſione, ergo multo magis obligat, quando apponit pœnā, probatur conſequentia, quia cōminatio pœnæ non infirmat legem, ſed corroborat, ut magis obſeruetur, illam autem infirmaret, ſi liberaret à culpa, & confirmatur ex multis legibus diuinis, quibus appoſita eſt pœna temporalis, ob quam non propterea excluditur pœna æterna. 3. quia pœna legalis, ut ipſum met nomen teſtatur, tantam habet connexionem cum culpa, ut ſine illa non ſit, nec poſſit dici pœna. probatur tandem 4. quia ſi contraria ſententia eſſet uera, periret tota uis humanarum legum, & parum utilis eſſet, legiſlatorum cura, & diligentia, & bonis etiam, qui magis mouentur uirtutis amore, quam formidine pœnæ, aperiretur uia innumeris fraudibus contra legem, ſi per appoſitionem pœnæ liberarentur à culpa, & ſic legiſlatores intendentes corroborare leges appoſitione pœnę, contrarium effectum agerent, & illas maximè infirmarent, ſublato conſcientiæ timore.

Quinta Concluſio. Lex tam Eccleſiaſtica, quam ciuilis non ſemper obligat ad mortale; quando autem obliget ad mortale non eodem modo habetur quo ad legem Eccleſiaſticam, & quo ad Ciuilem. Prima pars probatur, quia nec etiam lex naturalis, & diuina ſemper obligat ad mortale, nam lex naturalis præſcribit nobis in cibo, & potu obſeruare medium, ac regulam temperantiæ, quæ in eo conſiſtit, ut tantum, & non ultra ſumatur, quantum exigit neceſſitas, & utilitas corporis, & tamen eius tranſgreſſio non ſemper eſt mortale, lege etiam naturali, & diuina prohibetur omne mendacium, quod tamen ſæpe eſt ueniale. Secunda pars probatur, quia, vt inquit Sotus inter poteſtatem Eccleſiaſticam, & Ciuilem, eſt notandum diſcrimen, nam Prælati Eccleſiaſtici, quia ſunt iudices ſpiritualium, poſſunt leges condere non ſolum conſtituendo opera in certa ſpecie virtutis, aut vitij, ſed etiam diſcernendo inter veniale, & mortale, at ſeculares Principes non poſſunt ſtatuere ſuas leges obligare ad mortale, aut ueniale ad eorum libitum, ſed ſuis legibus conſtituunt opera in ſpecie uirtutis, aut uitij, an autem tranſgreſſio, uel omiſſio, ſit mortalis, uel uenialis, ex rerum natura ſumendum eſt.

[Margin: Quinta concluſio. — Sot. lib. 1. de iuſt. & iure. q. 6. ar. 4. — Quinque dicta. Primum. Nau. c. 23 nu. 49. — Quinque dicta. Primum.]

Vt autem cognoſcamus quādo lex obligat ad mortale, uel ueniale, dico primo, cū Nau. quod leges tam canonicæ, quā ciuiles,

quæ non habent uerba præceptiua,uel prohibitiua,ſed ſolū ordi-natiua,uel cōſtitutiua,etiā ſi ſint imperatiui modi, qualia ſunt il-la facite,dicite,faciant,& ſimilia, quæ iuxta communem intelli-gentiam non ſignificant præceptum,nec prohibitionem,nō obli-gant ad mortale,ſed ſolum ad ueniale, niſi ſint de materia, quę ex ſe obliget ad mortale;& huius ratio eſt, quia cum non præce-perit, nec prohibuerit, uidetur auctor legis actum ex ſe indiffe-rentem ita ſub lege reducere,vt uoluerit tranſgreſsionem eſſe ſo-lum uenialem,& non mortalem.

Secundū dictum. Dico ſecundo,cum eodem Nauarro,nullum eſſe verbū latinū, quod ſolum in aliqua lege poſitum,ex ſua propria,& primaria ſi-gnificatione ſufficienter ſignificet legislatoris mentem fuiſſe obligare tranſgreſſorem ad mortale, licet id poſſit ſignificare ex accommodatione vſus. Vnde huiuſmodi verba, teneatur, debeat, obligetur, præcipimus, obligamus, uetamus, inhibe-mus, mandamus, prohibemus, ſunt generalia, & apta ad in-ducendam obligationem ad culpam, tam mortalem, quam ue-nialem. & probatur, quia ſunt multæ leges diuinæ, & natura-les præceptiuę, quæ obligant ſolum ad ueniale, qualis eſt lex de non mentiendo iocoſe, de non furando minima, de non ri-dendo immoderatè, & an Dei uoluntas fuerit obligandi nos ad mortale, uel ueniale per ſuam legem in qua ponitur uerbum præcipiens, & mandans, colligenda eſt ex declaratione Pro-phetarum, Apoſtolorum, Summorum Pontificum, Concilio-rum, Sanctorum, & doctorum, qui ſua auctoritate, aut ra-tionibus efficacibus illam eiuſmodi eſſe perſuadent. Et mul-tominus eiuſmodi verba pręceptiua, uel prohibitiua ex ſe ſi-gnificant mortalem culpám, ſi fuerint appoſita legibus Princi-pum ſecularium, quia ut diximus culpa mortalis quoad eorum leges non ex eorum intentione,ſed ex re præcepta,uel prohibita ſumenda eſt. Ex accommodatione tamen vſus, & ex communi interpretatione Conciliorum,Pontificum,& Doctorum,omnia, & ſingula uerba præceptiua,& prohibitiua, poſita in lege Eccle-ſiaſtica,niſi de contraria legislatoris intentione ex ipſa lege cōn-ſtet,ſignificant animū obligandi ad mortale, per Cle. Exiui §. cū autem de uerb.ſigni. Ad cognoſcendum autem quando lex obli-get ad peccatum mortale,loquendo de lege Eccleſiaſtica.

Tertium dictum. Med.Cod de ieiunio q.7. Dico tertio cum Ioanne Medina, quod ex quatuor poterit colligi an lex Eccleſiaſtica obliget ad mortale, primo recurrēdū eſt ad intētionē legislatoris, quæ ſi cōſtat habetur, quod quæri-tur. Si nō cōſtat de illius intētione. 2. recurratur ad uerba legis,

nam

nam ſi lex dicit præcipimus, iubemus, ſub pœna inobediētiæ iniungimus, uel ſi habet uerba præceptiuis æquipollētia, ut debet, oportet, non licet, & huiusmodi, quæ neceſſitatem denotent, obligat ad mortale, niſi de contraria legislatoris intentione per eandem legem conſtet, ut diximus. At ſi uerba ſunt communia, ut ſtatuimus, volumus, ordinamus, tunc tertio videatur, quæ pœna tranſgreſſoribus apponatur, leuis ne, an notabilis, nam ſi tranſgreſſoribus ſtatuitur pœna mortis, perpetui carceris, excommunicationis, ſuſpenſionis, ſatis notum erit, quod obligat ad mortale, quod ſi nec etiam ſic conſtat, recurrendum eſt quarto, ad materiam legis, nam ſi eſt res magni momenti, ut illius omiſſio ſit ualdè periculoſa, tenendum eſt obligare ad mortale, ſi uero ſit leuis, ut nullum quaſi periculum ſit id prætermittere, obligat ſolum ad ueniale. At loquendo de legibus Principum ſecularium.

Dico quarto cum Soto. Ad cognoſcendum an lex Ciuilis obliget ad mortale inſpicienda eſt natura rei de qua eſt lex, nō quod res natura ſua ſit talis, ut ſecluſa lege illius omiſsio ſit peccatum mortale, quaſi Princeps ſecularis non poſsit ui ſuæ legis obligare ad peccatum mortale, ſed uidendum eſt an res ex ſe indifferens, ut eſt præcepta à lege ſit magni momenti propter bonum publicum, & illius omiſsio ualde periculoſa, & ſi ſit, talis obligat ad mortale, ut ſi tempore famis Rex præcipiat frumentum non aſportari à regno, aut tempore inſtantis belli, aſſumi arma, ſic etiam obligant ad mortale, & ad reſtitutionem leges de iuſtis gabellis, & oneribus ſoluendis. Ex grauitate autem pœnæ propriè non ſumitur, quod lex ciuilis obliget ad mortale, nam aliquando pro re leuiſsima imponitur grauis pœna, etiam capitis, vt ſi quis occiderit færam in tali nemore, uel cæperit piſces in tali flumine, ſed poteſt eſſe mortale ratione magni periculi cui ſe homo exponit, at ſi ſine tali periculo tranſgrediatur, non erit peccatum mortale.

Dico tandem quinto cū Nau. quod in dubio lex eſt potius interpretāda, quod obliget ad ueniale, quā ad mortale, quia leges, quæ rectè poſſunt intelligi de pœna maiori, & minori, in dubio intelligendæ ſunt dè minori; c. in pœnis de reg. iur. in 6. Sed addo cum peccatum ſit fugiendum quaſi à facie colubri, quo ad nos in dubio debemus ſeruare legem, ac ſi obligaret ad mortale, quo ad iudicandum uerò de alijs, qui legem tranſgreſsi ſunt, interpretetur de ueniali, ſi autem eis conſilium dandum ſit, moneantur, quod qui amat periculum peribit in illo.

Sexta Concluſio. Lex Ciuilis generalis,& rationabilis, & Sacris Canonibus non cōtraria ſi ſit fauorabilis,obligat etiam Clericos. Iſta Conc. eſt Abb.in ca.Eccleſia ſanctæ Mariæ, de Conſtitut. & licet ſit certa, & clara, illam tamen poſſumus, propter quoſdam clericos, qui putant Principum leges nullo modo ad eos pertinere,& quod illas ſine peccato uiolare poſſint. Sed dubitatur, quæ lex dicatur præiudicialis Clericis, & reſpondetur cum Abbate,quod lex, quę poteſt habere aliquod commodum, & aliquod incommodum,non poteſt dici præiudicialis, ſecus ſi ſimpliciter adfert aliquod incōmodū, unde omnes leges diſponentes ſuper contractibus, emptionis, uenditionis, locationis, & huiuſmodi,ſi non contradicunt canonibus,& legi naturæ,ſunt ſeruandæ etiam à perſonis Eccleſiaſticis; ſi Princeps prohibet ad euitandam caritatem, frumentum ex ſuo Regno aſportari, aut pannos prohibitos inferri, ut ſic in ſuo Regno mercatura exerceatur,& pauperes habeant vnde lucrari poſſint, Clerici tenētur huiuſmodi leges ſeruare, quia ſunt pro bono publico etiā clericorum,licet ſit in detrimentum eorum, qui priuatum commodum præferunt uniuerſali,& quorum nulla eſt cura pauperū. Et probatur,quia licet clerici ſint exempti à Princibus ſecularibus,& legibus ciuilibus, tamen ſunt partes Reipublicæ; & quæ pro communi bono generaliter inſtituta ſunt,ſeruare tenentur, ſi Canonibus, & legi naturæ non contrariantur;ſed petes uigore cuius auctoritatis ligentur,cum Principes ſeculares non habeāt iuriſdictionem ſuper illos;Dico,quod Principes ſuis legibus ea, quæ aliàs ſunt in differentia reducunt ad ſpeciem uirtutis,uel uitij,& ut talia pro publico Reipublicæ bono,cuius ipſi ſunt partes omnibus pręcipiunt: unde iure naturæ illas ſeruare tenentur, quod ſi non ſeruauerint, cum ſeculari poteſtati non ſubdantur, à Iudice Eccleſiaſtico punientur, apud quem contra illos agent Miniſtri Principum. Probatur etiam Concluſio ex cap. primo de No.oper. nunc.

Quòd tranſgreſsio Legis,Voti,& Iuramenti in re minima non ſemper excuſet à mortali. Cap. III.

QVòd tranſgreſſio pręceptorum,uoti,& iuramenti,in re minima, quando ſunt de re magna excuſet à mortali eſt communis ſententia, quod autem tranſgreſſio uoti, & iuramenti de re minima ſit uenialis, tenuerunt

S.Ant.

S.Ant.Sylu.Sot.& Nau. Sed hoc ſecundum,cum Caiet.& Couar. credo eſſe falſum, & primum indiget expoſitione. Pro quo notandum eſt,quod ratio ob quam tranſgreſſio in re parua excuſat à peccato mortali, ſumitur tam ex parte præcipientis, ſeu obligantis, quam ex parte tranſgredientis, ex parte quidem præcipientis,quia cum ratio præcepti ſit de magno, non præſumitur, quod uelit cum tanto rigore etiam obligare ad minimum, nec quis ita ſe aſtringere ad minimum,uoto,& iuraměto, de magno. ex parte etiam tranſgredientis, quia,qui tranſgreditur in minimo,cum poſſit in magno, non præſumitur habere animum tranſgrediendi, unde,qui poteſt furari multũ,& accipit ſolum,quid parum,& qui dicit totum officium, ſed relinquit uerſiculum,nõ peccat mortaliter. Tribus autem de cauſis tranſgreſſio in minima re eſt peccatum mortale. Prima,ſi intentio ſit ad magnum,vt qui rem minimam furatur,quia nil aliud, quod furaretur inuenit. Secunda etiam ſi intentio non ſit ad magnum,ſed ad paruũ, ſed illud paruum æquiualet magno,ut ſigno famæ detrahere,inſtrumentum artifici ſurripere, ob cuius defectum cum magno detrimento cogitur interim relinquere opus artis ſuæ. Tertia, ſi tota uis obligationis ſit de paruo, ut ſi uotum, aut iuramětum ſit de dicendo ſingulis diebus ſemel orationem Angelicam, aut Dominicam,in hoc tamen,ut diximus eſt inter Doctores controuerſia. Sed hanc,quam ſequimur ſententiam,inter alios tenent Caiet.& Couarru.

S.Ant.2.p tit. 10. c. 4.§.5. Sylu.v. Iuraměťũ.1. Sot. de iuſt. & iur. lib.7. q.2. ar.1.& lib. 8.q.1.ar.7 & q.2. ar. 3. Nauar. in man.c.12. nu. 10.

In tribus caſibus eſt mortale.

Caiet.2.2 q.89.ar.7. Couarr. lib.1.Var. reſol.c. 1. nu.2.

Præcipua ratio tenentium contrariam ſententiam eſt, quia modicum pro nihilo reputatur, & paruitas rei excuſat à peccato mortali in omnium præceptorum materia,ergo multo magis excuſabit in uoto,nam uotum eſt quædam lex, quæ ex hominis voluntate dimanat,quam.ſ.quiſque ſibi ponit, ergo non debet aliter obligare,quam ſi eſſet lex ab Eccleſia, uel à Deo ipſo poſita, imo maior uidetur neceſſitas legis Dei, quam uoti, ſed lex, quæ ſuo genere obligat ſub mortali,ratione leuitatis materiæ,rigorem remittit,ut eius tranſgreſſio non ſit niſi uenialis,ergo etiã tranſgreſsio uoti de re leui erit uenialis. Sed ut benè inquit Caiet. illud principium malè applicatur,modicum enim tunc excuſat,quando ut pars,aut quaſi pars alterius conſideratur, at quando ſecundum ſe ſumitur, ut totum quoddam, tunc non habet rationem modici, ſed totius. Pro cuius explicatione notanda eſt cum eodem Caiet.conuenientia, & differentia præceptorum naturalium,& diuinorum, cum præceptis etiam naturæ, & Dei, de votis,& iuramentis ſeruandis: Conuenientia conſiſtit in hoc,

Rationes contrariæ ſententiæ.

Solutio contrariarum rationum.

quod ſi uota ſint de generibus,& non de re minima, ſicut naturæ,& Dei præcepta ſunt de generibus,puta de non auferẽdo alienũ;tranſgreſſio in re notabili eſt peccatũ mortale, quia habet rationem actus perfecti,transgreſſio uero minimę partis,eſt peccatũ ueniale, quia habet rationẽ actus imperfecti, ut ſi quis uoueret dicere die dominico pſalteriũ,& dicendo omitteret unũ uerſiculũ,nõ eſſet reus fracti uoti.Differentia conſiſtit in hoc, quod præcepta naturæ,& Dei,ex ſe nõ ſunt determinata uniuerſaliter ad minimas res, ſed ad genera rerum , & propterea in eis modicũ in ſe,etiã ſi ſeorſum fiat,pro nihilo reputatur,ut patet de accipiente alienum pomũ;at præcepta de uotis,& iuramentis ſeruandis,non ſunt de certis,& determinatis rebus, ſed de rebus, quæ à nobis uoto,& iuramẽto determinantur, & quãdo à nobis fiunt de rebus paruis in ſe,ad illas obligant,ut ad minimas eleemoſynas,& minimas liberalitatis,charitatis,& aliarũ uirtutum actiones,quia ſeorſum , & per ſe ſunt promiſſæ, nam noſtra determinatio ad hoc minimum,ut quoddã totũ, illud ſubdit vinculo diuini præcepti,ac ſi præceptum de illo minimo factum eſſet.unde uouens dicere orationem Angelicam, aut dare numum pro eleemoſyna,tenetur ſub mortali. & probatur primo, quia ratio peccati mortalis non ſumitur ſimpliciter ex paruitate,uel ex magnitudine materiæ,ſed ex ui præcepti,& debiti,eiuſq; rationis, quæ ſi propriè eſt de re magna,vel de nocumẽto notabili, trãſgreſsio in minimo cenſetur præter uoluntatẽ præcipientis, at ſi tota uis præcepti eſt de minimo, tranſgreſsio eſt contra intẽtionẽ pręcipiẽtis,quę ſi ſit obligare ad mortale,erit peccatum mortale. Sed præceptum de ſeruando iuramento,& uoto,obligat ad mortale, & tota eius uis reperitur in iuramento,& uoto de re minima,ergo tunc obligat ad mortale. 2, quia licet inobedientia in re minima ſit uenialis,tamen ſi Prælatus rem minimã præcipiat alicui in uirtute ſanctę obedientiæ, ſignificans per hoc, quod intendit obligare ad mortale,illa inobedientia eſt peccatũ mortale, quia tota uis præcepti obedientiæ ad illã rẽ minimã reſtringitur exẽpla paſſim apud Religioſos reperiuntur,quorum Pręlati aliquando ſic pręcipiunt alicui,ſilentium,ut non egrediatur cubiculum, & huiuſmodi. 3. quotieſcumq; præcepto apponitur pœna excõmunicationis,præcipiens intendit obligare ad mortale, & inobedientia eſt peccatum mortale,nam excommunicatio non incurritur niſi propter peccatum mortale, ut ſuperius diximus, ſed pœna excommunicationis aliquando apponitur præcepto de re leui,ut contra clericos nutrientes comam, contra miniantes

tes Agnusdei, ergo leuitas, & paruitas rei non ſemper excuſat; à mortali. 4. iurans ſoluere vſuras tenetur iuramentum ſeruare, c. debitores de iureiur. quãuis talis ſolutio parum utilitatis afferat, cum ſtatim accipiens uirtute iuramẽti usuras, cogendus ſit eas reſtituere, ubi apparet iuramentũ ſub pœna periurij ſeruãdũ eſſe, etiam ſi eius executio ſit leuiſsimi momenti. 5. mendacium officioſum non eſt niſi ueniale, ſed si iuramento confirmetur, efficitur mortale, quia Deus ipſa ueritas, adducitur teſtis, & in confirmationẽ mendacij; dicent aliam eſſe rationẽ iuramenti aſſertorij, aliam promiſſorij, nam in aſſertorio adducitur Deus teſtis mendacij, ſed dico, quod eſt etiam eadem ratio in promiſſorio, quia Deus adducitur teſtis, & fideiuſſor cuius tanta eſt uis, ut obliget etiam factum coactè, & ſine intentione ſe obligandi. Præterea. 6. omiſsio unius uerbi eſt res minima, at ſi omittatur in forma Sacramenti eſt ſacrilegium, & peccatum mortale.

Sed obijciunt adhuc, quia tranſgreſsio multorum iuramentorum ob leuitatem materiæ eſt peccatũ ueniale secũdũ cõmunẽ ſententiam, etiam illorum qui tenent tranſgreſsionem uoti, & iuramenti de re minima eſſe peccatum mortale, huiuſmodi ſunt iuramenta matrum de dando filijs plorantibus pomo, uel de caſtigando eos, & illa quibus ſe homines inuicem præuenientes iurant ſe non præceſſuros in exitu, & dum ſe mutuo ad conuiuium uel ludum iurando inuitant, uel quibus promittunt ſe aliquem alterius nomine ſalutaturos, Ad quod facile reſpondetur huiuſmodi iuramenta eſſe temeraria, & non tenere, cum non ſint de re Deo gratã, proximo utili; & peccatum ueniale, quod eis committitur non eſt, quia non obſeruantur ratione leuitatis materiæ, quaſi obligent, ſed quia fuerunt temerè facta. Nec ualet argumentum Nauar. iuramentum de committendo ueniali non eſt niſi peccatum ueniale, ergo paruitas rei excuſat à mortali; nam ut diximus quando iuramentum eſt de genere, uel de aliquo magno, paruitas excuſat, prohibitio autem iuramenti incauti, & temerarij eſt generica, & propterea iuramentum incautum & temerarium eſt mortale, uel ueniale iuxta qualitatem materiæ; & ſi quis contendat aliqua ex dictis iuramentis eſſe de opere uirtutis; ut cum mater iurat se caſtigaturam filium, reſpondetur quod non caſtigando excuſatur, quia commutatur in melius, nam melius iudicat ei parcere, excuſatur etiam, quia ex ira, & ſine conſenſu, & iudicio iurauit, eſt ergo diuerſa ratio.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.
Solutio.

Obiectio.
Solutio.

De Interpretatione, Diſpenſatione, Commutatione, irritatione, ignorantia, & metu, quando, & quomodo excuſent à peccato. Cap. IIII.

EXcuſant quoque non ſolum à mortali, ſed etiam ab omni peccato interpretatio, diſpenſatio, commutatio, irritatio & conſuetudo, in ordine tamen ad legem humanam, & ad iuramenta, & uota, quibus nobismetipſis legem imponimus; lex enim diuina irritari, aut conſuetudine tolli non poteſt neque in præceptis decalogi cadit diſpenſatio, at lex humana, & Eccleſiaſtica cum ſit de rebus contingentibus, & uariabilibus, & non poſſit prouidere omnibus caſibus particularibus, nõ ſolum aliquam ſæpe patitur relaxationem, ſed etiam aliquando in totũ tollitur, De conſuetudine ſatis diximus in p.p.lib.3.c.9. de excõmunicatione non recepta, uel quæ non eſt amplius in uſu. Et licet aliqua ex prædictis uideantur eadem, ut interpretatio, & diſpenſatio, quia diſpenſatio debet fieri ex cauſa, ob quam etiam poteſt interpretari lex; ſimiliter diſpenſatio irritatio, & abrogatio, nam eis tollitur uis legis; tamen maximè inter ſe differunt; nam interpretatio legis, uoti, & iuramenti, quæ fit per Epichæiã, eſt declarare legem, iuramentum, aut uotum non habere locum in tali caſu; at diſpenſare eſt aliquem à legis, ſeu iuramenti obligatione qua tenebatur per licentiam excipere; ex quo ſequitur alia differentia, nam declarare non ſolum competit Prælatis, ſed etiam ſubditis, at diſpenſatio Prelatis tantum. Irritare eſt legem aut uotum impedire, aut caſſare, ne robur obtineat obligandi, at abrogare, & diſpenſare, eſt poſtquam uim habuit, obligationem tollere, ſed differenter, nam abrogatio in totum tollit, diſpenſatio uero non in totum, ſed reſpectu alicuius, ſeu aliquarum certarum perſonarum, ex quo oritur duplex differentia. Prima, quia abrogare, & diſpenſare pertinet tantum ad Prælatos, & ad Principes, loquendo de legibus, quia eſt ablatio uinculi, quod firmum erat, at irritare pertinet etiam ad alios, ut ad patrem, matrem, tutorem, maritum, dominum, quia irritatione non tollitur uinculum inductum, ſed ne inducatur; quia ſtatutum, aut promiſſum fuit id, quod ex alterius uoluntate pendebat, & ille poteſt non conſentire, nec approbare, per quod id totum irritum fit. Secunda, ad irritationem non eſt neceſſaria cauſa, ſed ſufficit, quod ille ex cuius uoluntate pendet contradicat, ad diſpenſatio-

De cõſuetudine ui de ſuperius.

Quomodo differant.

ſationem autem, & abrogationem requiritur iuſta cauſa, quia obligatio iam inducta, non debet ſine cauſa tolli, ſicut nec etiam fuit ſine cauſa inducta.

Sed duplex hic oritnr difficultas. Prima, quia ſi ad diſpenſationem requiritur iuſta cauſa, uidetur, quod diſpenſatio, ſit interpretatio, quod. ſ. propter illam cauſam lex uotum, aut iuramentum non obligent. Ad quam reſpondetur, adhuc eſſe maximam differentiam, nam ad interpretationem, quæ fit per Epichæiam, requiritur talis cauſa, quod obſeruatio legis, aut iuramenti ſit in caſu propoſito rationi contraria, adeo quod illa obſeruare non bonum, ſed malum ſit, ſed ad diſpenſationem, non requiritur cauſa adeo efficax, quæ ex ſe tollat in illo caſu, ſeu reſpectu illius perſonæ obligationem, ſed ſatis eſt, quod ſit cauſa rationabilis, ob quam non de rigore, & ex debito, ſed ex gratia à legis, ſeu iuramenti, aut uoti obligatione quis liberetur, uel in totum, per diſpenſationem, uel in parte per commutationem. Dubium. Solutio.

Altera difficultas eſt, an diſpenſatio facta ſine iuſta cauſa teneat, & an ſic diſpenſatus ſit in conſcientia tutus. pro cuius ſolutione aliquot ſubijciemus concluſiones, quarum prima ſit. Quilibet poteſt diſpenſare ad libitum in lege ſua, ſed ſi diſpensat sine cauſa peccat uenialiter, niſi ratione præiudicij alterius efficiatur mortale, & diſpenſatio tenet. Quæ Concluſio eſt contra Petrum de Palude, qui inquit, quod in poſitiuis ſic uolo, ſic iubeo, ſit pro ratione uoluntas, quia quod principi placuit, legis habet uigorem. at in his, quæ ſunt iuris diuini attendendum eſt, quid licet, quid decet, & quid expedit. Sed contra ipſum tenet Abbas, quod diſpenſans, & diſpenſatus ſine cauſa in his, quæ ſunt iuris poſitiui peccant, & Caietanus huius rationem reddit, quia licet Princeps poſsit ad libitum ſubditum aliquem à lege communi iam promulgata eximere, ſic quod exemptus non ſit reus violati præcepti legis, non ſeruando legem, non tamen poteſt ſic eximere, ut ipſe eximens, & exemptus ad libitum, non ſit reus violati iuris naturæ, quo quælibet pars conſonare debet ſuo toti, & præcipuè caput; & quo in moralibus magis mouent exempla, quam uerba, & Princeps non ſolum, ut præſit, ſed ut proſit creatur. Sed tam diſpenſans, quam diſpenſatus ſine iuſta cauſa, peccant ſolum uenialiter, niſi notabile damnum inde ſequatur, ut inquit Nauar. & diſpenſatus si bona fide nixus ſuperioris auctoritate, putat eam ſibi iuſta de cauſa datam, excuſatur donec nouerit non fuiſſe iuſtam cauſam, ſed non excuſatur diſpenſans, & diſpenſatio sic iniuſtè data tenet, ſicut & abſolutio excommunica-

De diſpenſatione ſine iuſta cauſa. Prima concluſio. Pet. de Palu. 4. d. 38. q. 4. art. 4. conc. 3. Abbas de voto, in c. Non eſt. Caiet. 1. 2. q. 96. ar. 5. Nauar. in man. prel. 9.

nicationis iniuſta, c.Venerabilis §.ſano de ſent.excom.in 6. & ratio eſt, quia lex dependet ex diſpenſantis uoluntate, & ſicut illam ipſe, uel eis prædeceſſor tulit, ita etiam poteſt tollere.

Secunda cõcluſio.

Secunda Concluſio. Inferior non poteſt diſpensare in lege Superioris, niſi quatenus eſt ei à Superiore conceſſum, & ita ſolum poteſt diſpenſare ob cauſas, & in caſibus ei conceſſis, & diſpenſatio aliter facta non tenet, & tam diſpenſans, quam diſpenſationẽ procurans peccant, nisi ignorantia facti excuſet, nam ſi per ſubreptionem obtinetur, non narrata veritate, excuſatur diſpenſans, ſed non diſpenſatus, & ratio eſt clara, quia inferioris, & miniſtri auctoritas, non extenditur ultra conceſſionem eis factam.

De uotis, & iuramẽtis. Tertia cõcluſio.

Sed maior difficultas eſt de uotis, & iuramentis, quia eorum obſeruatio eſt de iure diuino, & de iſtis ſit tertia Concluſio, Vota, & Iuramenta, quæ ratione materiæ poterant etiam sine cauſa irritari, poſt illorum confirmationem, non poſſunt amplius ſine causa irritari, & si sine cauſa irritentur, qui uouit, ſeu iurauit, debet obedire, & non eſt reus Voti, ſeu Iuramenti, ſed peccat irritans; excepto uoto continentię, quod ſeruare tenetur, & non poteſt amplius irritari. In hac concluſione non loquimur de Papa, & Epiſcopis, qui habent ſpiritualem iuriſdictionem, ratione cuius poſſunt diſpensare, commutare, & relaxare, ſed loquimur de illis, sine quorum conſenſu res nõ poterat promitti, uel quia ad ipſos pertinebat, ut pater, tutor, maritus, dominus, uel quia ſunt domini uoluntatum promittentium, uouentium, & iurantium, ut ſunt Prælati religioſorum, & iſti poſſunt ad libitum etiã ſine cauſa irritare illa uota, quæ ſunt de rebus ad ipſos spectantibus, & eorũ conſenſum requirũt, nam cum ex natura ſua requirant illorum conſenſum, si sine causa contradicunt, utuntur iure ſuo, & ſicut ante irritationem uota ſunt obſeruãda, quia quod non mutatur quare prohibetur ſtare? C.de teſti.l.Sancimus, ita etiam irritata, non reuiuiſcunt poſt mortem irritantium, uel per eorum poſtea confirmationem, quia obligatio ſemel extincta nõ reuiuiſcit. C.de remiſ.pig.l.cum ex cauſa, & ita tenendum eſt cũ Sylu.& alijs, licet multi dicant uota puberum, uxorum, & ſeruorum, obligare ſoluta poteſtate irritantis, quod tunc cõcedimus quando non ſunt legitimè irritata, quod etiam concedimus de illis, quæ ante ſubiectionem fuerunt emiſſa, & in ſubiectione ratione præiudicij irritata ſunt, nam maritus poteſt irritare uota ſibi præiudicantia, quæ uxor ante matrimonium fecit, ca. noluit. 33 q.5. & eadem eſt ratio de dominis, iſta enim ſoluta ſubiectione ſeruanda ſunt: quod etiam concedimus de illis, quæ in

Sylu.v.uotũ 4. §. 2.

ipſa

ipſa ſubiectione emiſſa fuerunt, quoad partem non præiudicantem Superiori, quam vouere poterant, & patet cap. quidã, & cap. placet ext. de Conu. coniug. vbi ingreſſus religionẽ, & reuocatus per alium coniugem, eo mortuo non tenetur religionem adire, ſed ſolum uiuere caſtè, quia illud promittere potuit. ſ. continere quantum in ſe erat, non exigendo. Ex quibus etiam cap. patet quod uota legitimè irritata non reuiuiſcunt, nã iſte mortua uxore non tenetur regredi ad monaſteriũ, ſed ſolum caſte uiuere; & ratio differentię eſt, quia iſta tenuerunt, uel ex parte tenent, & ratione præiudicij fuerunt irritata, quo ceſſante, tenẽt; at illa à principio licet abſolutè fuerint emiſſa, tamen conditionata cẽſentur, ſi ſuperior. ſ. conſenſerit, quo non conſentiẽte nulla ſunt. Subdit Concluſio, quod ſi Superior conſenſit, uel de eius licẽtia uotum fuit emiſsũ, nõ poteſt illud amplius ſine ſufficienti cauſa irritare quod probatur, & explicatur, quia per licentiã, uel approbationẽ conceſſam, uotum, ſeu iuramentũ firmitatem obtinuit, & acquiſita eſt Deo obligatio, ad cuius relaxationem requiritur ſpiritualis iuriſdictio, & cauſa, & propterea pater, maritus, uxor, & dominus, non poſſunt illa amplius irritare, cum iam cõſenſerint. & tanquam laici non habeant ſpiritualem iuriſdictionem, ſed ſi illius iuſta cauſa occurrit, recurrant pro diſpenſatione ad Epiſcopum, Prælati tamen religioſorum illa nihilominus irritare poſſunt, quia per eorum conceſſionem, nunquam eis præiudicatur, ſed ſemper ſunt domini uoluntatum ſuorum religioſorum, & habent etiam ſuper illos ſpiritualem iuriſdictionem, tamen ex quo eorũ uota approbarunt, nõ debẽt ſine cauſa illa irritare. Additur in concluſione, quod ſi ſine cauſa irritentur, qui uouit, ſeu iurauit debet obedire, & nõ eſt reus uoti, ſeu iuramenti, ſed peccat irritans, excepto uoto cõtinentiæ, quod ſeruare tenetur. hoc ad omnes Superiores irritare petentes extẽditur, ad patrẽ, maritũ, dominũ. Sed poſſet obijci, iure diuino tenemur obſeruare uota, *Vouete, & reddite*, ſed iſta uota per licentiã, ſeu cõfirmationem Superioris ſũt firma. & tenent, ergo ſubditus non debet obedire Superiori præcipienti contra illa uota, quia magis obediendum eſt Deo, quam hominibus, idq; eo magis, quia Superiores laici, non habent ſpiritualem iuriſdictionem, quæ neceſſaria eſt ad relaxandum uotum firmum qualia ſunt iſta. Ad quod reſpondetur concedendo non eſſe obediendum Superiori, quando præcipit aliquod peccatum, concedendo etiam uota, & iuramenta eſſe iure diuino ſeruanda, & iſta tenere; & ſuperiores laicos poſt eorum approbationem nullam habere auctoritatem illa

Obiectio.

Solutio.

illa irritandi, aut in illis diſpenſandi, ſed nihilominus dicitur, quod ſi ab illis irritentur, ſubditi debent obedire, & obediendo non peccant, quia ut dicunt Hugut. & Turris Cre. non obediunt Superiori contra Deum, quia Deus in hoc caſu uult, & præcipit illos obedire, & Dei præceptum de uxore habetur Num 30. & in cap. Manifeſtum 33. q. 5. Sed inſtabit aliquis, cum tranſgreſſio uoti ſit peccatum, quomodo poteſt Deus iubere, quod ad Superioris præceptum quis agat contra uotum? Deus enim non poteſt præcipere peccatum. Reſpondetur, quod in hoc caſu non agit contra uotum, quia Deus ſtante prohibitione, & reuocatione ſuperioris talem obligationem, & tale uotum inferiori quã diu inferior eſt, relaxat, & vult, quod ſuperiori obediat, nam res in ſe, & ex genere ſuo non eſt mala, ſed eatenus eſt mala quatenus eſt contra uotum, quod uotum tenet, ratione confirmationis Superioris, per quam confirmationem, & per quod uotum non propterea ſoluitur ratio ſubiectionis, etiã in illa re, ob quã cauſam in fauorem obedientiæ præcipitur inferiori, ut obediat, & Superiori imputatur, & etiam quia Superior poteſt prætendere ſe non ſimpliciter conſenſiſſe, ſed ad tempus, vel ad unum effectum, & quod ceſſet illa ratio, & ad inferiorem non pertinet iudicare facta Superioris.

Hug. & Tur. Cre. in c. manifeſtũ 33. q. 5.

Obiectio.

Solutio.

Excipitur in Concluſione uotum continentiæ, quod poſt confirmationem non poteſt amplius irritari, ab altero coniuge, & qui illud emiſit non debet obedire alteri contrarium præcipienti, ex quo conſenſit. & iſta exceptio uidetur facta ab ipſo met Deo, nam Num. 30. cum de filia, & de uxore locutus fuerit generaliter, de omni illarum uoto, quando poſtea ſubdit de voto vxoris approbato ab eius marito, qui poſtea contradicit, ſpecificat de uoto abſtinentiæ, per ieiunium uel cæterarum rerum, quod debeat obedire, quaſi uirtualiter inſinuet uotum continentiæ à viro approbatum eſſe obſeruandum, & contra illud non eſſe marito obediendum. Contrarium tenuit Abbas, qui dicit uotum continentiæ, ſeu caſtitatis eſſe uotum abſtinentiæ per cap. Si tu abſtines 27. q. 2. & conſequenter eandem eſſe rationem huius, & aliorum uotorum. Sed quod excipiatur eſt communis ſententia à qua non eſt recedendum, nec etiam recedit ipſe met Abbas & propterea. Dico primo, Si ambo uouerunt continentiam, neuter poteſt petere, nec reddere debitum, etiam ſi in ſeculo permãſerint, cap. quod Deo 33. q. 5. & ita unus non poteſt amplius irritare uotum alterius, & petenti eſt denegandum debitum. quod omnes fatentur, & ipſe etiam Abbas. Dico ſecundo, ſi unus ſine al-

De voto continentiæ coniugium.

Abb. in c. charisſimus. de Conuer. coniug.

alterius licentia uouit caſtitatem, non poteſt petere debitũ, ſed tenetur reddere, & alter poteſt illius uotum irritare, primum patet ex cap. Placet. ext. de Conu. Coniug. ſecundum tenent multi quos citat, & ſequitur Syln. & probatur quia ei præiudicat, & pręcipue mulieri, nimis enim onerosum redderetur ei matrimoniũ ſi ſemper deberet ſubire uerecundiam in petendo debitum. Dico tertio, ſi unus coniugum dat alteri licentiam uouendi caſtitatem, niſi aliud ſpecificetur, intelligitur quantum eſt ex parte illius, ſine sui pręiudicio, ut non petat debitum, ſed reddat. & probatur ex cap. Chariſsimus eod. tit. & etiam quia ad uotum de nō petendo requiritur alterius conſenſus, cum ut diximus ab eo irritari poſsit. Dico quarto, ſi unus coniugum conſentit in uotũ alterius de caſtitate ſimpliciter, ut non petat, nec reddat, uel in alterius profeſsionem, non poteſt amplius illius uotum irritare, nec petere debitum, nec petenti, eſt reddendum, niſi coactè conſenſerit, uel fuerit adeo ſimplex, & ignarus, quod crediderit adhuc ei eſſe reddendum debitum, per quod conciliantur cũ Gloſ. & Abb. iura, quæ uidentur contraria, nam cap. Præterea eod. tit. iubetur monachum profeſſum, qui de uxoris licentia religionē intrauit reſtitui uxori, quia. ſ. coactè, uel tali laborando ignorantia licentiam conceſsit, at quando nulla eſt uiolentia, & ſcit præiudicium ſuum, quod alter non ſolum non poterit petere debitum, ſed nec etiam reddere, ſic uouendi licentiam concedendo, tacitè uidetur, ipſe quoq; continentiam uouere, ut non poſsit petere, nec reddere debitum, nam qui vult unum uidetur uelle omne id per quod peruenitur ad illud, & probatur etiam ex cap. ueniens eod. tit. & cap. ſeriatim, diſt. 32. & c. qui uxorem 33. q. 5. Sed ſi uotum fuerit ſimplex, & timetur de incontinentia, Summus Pontifex facilè diſpenſabit. Et ſi petatur cauſa quare in alijs uotis obediendum ſit Superiori contra illa, poſt illorum approbationem præcipienti, & non obediendum ſit in uoto continentiæ, reſpondetur, quod uota confirmata ſunt obſeruanda, & Superior laicus, qui illa confirmauit non poteſt amplius irritare, nec contra illa præcipere, tamen in fauorem obedientię ad eius præceptum, Deus illa, ex parte ſubditorum relaxat, ut peccatum ſit pręcipientis, & non obedientis. Sicut ergo in fauorem obedientiæ Deus illa relaxat, ita uota continentiæ in fauorem caſtitatis relinquit in ſua natura, & vult obſeruari.

Syln. voto. 5. §. 5.

Gloſ. & Abb. in c. præterea de Conu. Coniug.

Ratio diuerſitatis.

Transeamus nunc ad habentes ſpiritualem iuriſdictionem ratione cuius poſſunt uota, & iuramenta, relaxare, commutare, & in illis diſpenſare, quæ Epiſcopi poſſunt in non reſeruatis Sedi

Apo-

Apoſtolicæ, & Papa in omnibus; propterea breuitatis cauſa loquemur ſolum de Papa, quia facile erit poſtea applicare ad Epiſcopos.

Quarta cõcluſio. S.Th.2.2. q. 88. art. 12. ad ſecũdum. Quarta Concluſio. Papa nõn habet plenitudinem poteſtatis quoad uota, & iuramenta, ut illa poſſit ad libitum ſine cauſa relaxare, aut in illis diſpenſare. S.Tho. refert quorundam ſententiam qui dixerunt Prælatos poſſe in uotis pro libito diſpenſare, quia in quolibet uoto includitur conditionaliter uoluntas Prelati Superioris, ſicut ſupra dictum eſt, quod in uotis ſubditorum, puta ſerui, uel filij, intelligitur conditio ſi placuerit patri, uel domino, uel ſi non remittantur, & ſic ſubditus etiam laicus, poſſet abſque omni remorſu conſcientiæ uotum prætermittere, quandocumque ſibi à Prælato diceretur, quam ſententiam S.Tho. meritò impugnat, quia eſt falſa, & falſo innititur principio. Et pro huius explicatione eſt primo notandum, quod ex duplici cauſa prouenit (ut diximus) quod quis poſsit ad libitum, etiam ſine cauſa alterius uotum, ſeu iuramentum irritare. Prima, ſi ſit de re ad ipſum pertinente, qualia ſunt uota filiorum, uxorum, & ſeruorũ. Secunda, ſi ſit dominus voluntatis eius, ob quam cauſam poſſunt à parentibus irritari uota impuberum, & à Prælatis uota religioſorum. At Papa, & Epiſcopi non habent plenum dominium rerum, aut uoluntatum laicorum, nec etiam clericorum, in cuius ſignum eſt, quia poſſunt multa diſponere, & multos contractus facere, qui ſi liciti fuerint, reuocari non poſſunt; habet quidem Papa plenum dominium in rebus Eccleſiaſticis, & propterea in uotis de rebus Eccleſiaſticis, ut de illis non alienandis, de non augendo numero canonicorum, ſemper intelligitur excepta auctoritas Papæ, ſed quo ad alia, uota tenent, & non ſunt conditionata, & Papa non poteſt ad libitũ illa relaxare. Vnde illæ propoſitiones, In omni obligatione, & promiſſione intelligitur excepta auctoritas Papæ, Nihil poteſt promitti in præiudicium auctoritatis Papæ, & ſimiles, habẽt duplicem ſenſum, primus, quod omnis obligatio ſubſit poteſtati Papæ, ita ut nulla ſine illius auctoritate teneat, & ſic ſunt falſæ, ſecundus quod nulla obligatio poſſit præiudicare eius poteſtati, & ſic ſunt ueræ.

Primo notandum.

Secundo notandũ. Vt autem intelligamus hanc Papæ poteſtatem, eſt ſecundo notandum. Loquendo de Votis, & iuramentis, quæ iam tenent, illorum relaxatio pertinet primo, & principaliter ad Deum, quia illis, obligatio fit Deo, & obligationem ille ſolus tollere poteſt, cui facta eſt, aut illius Superior, ſed inter uota, & iuramenta eſt differentia, nam uota ſemper fiunt Deo, iuramenta autem ita fiunt Deo, ut ſæpe

corum

eorum promiſſio principaliter fiat homini, & tunc Deus iuramentum in illius fauorem recipit; hinc ſequitur, quod homo poteſt relaxare homini iuramentum, remittendo illi, quod ſibi ſub iuramento promiſſum fuit; at uota, quia fiunt Deo, & iuramenta principaliter facta propter Deum, non poteſt homo homini relaxare, ſed ſi homo relaxet eſt inquantū gerit uicem Dei, per auctoritatem illi diuinitus conceſſam, & hac ratione Papa, & Epiſcopi illa relaxant; & dicimus in noſtra Concluſione, ꝙ Papa non habuit à Deo plenitndinem poteſtatis illa ad libitum ſine cauſa relaxandi, quod cum S. Tho. probatur, quia poteſtas ſpiritualis Papæ, qui non eſt dominus, ſed diſpenſator, data eſt illi in ædificationem, & non in deſtructionem, 2. Cor. 10. & ſicut non poteſt imperare ea, quæ ſecundum ſe Deo diſplicent. ſ. peccata, ita non poteſt prohibere ea, quæ ſecundum ſe Deo placent. ſ. virtutis opera, & ideo homo poteſt ea abſolutè uouere, & Papa non poteſt ſine cauſa uota relaxare.

Quinta Concluſio, auctoritas Papæ ſe extendit ad omnia uota in ædificationem, & illa Dei nomine recipit, & recepta etiam relaxat. Quinta concluſio explicatur Concluſio, quia illa Dei nomine recipit, dat eis formam, ſecundum quam tenent, nam quædam ex parte recipit, & tenent, ut uota perſonalia puerorum in maribus, uſq; ad quartumdecimum annum, in fœminis vſque ad duodecimum, quæ tenent quatenus non ſunt irritata à parentibus, uel tutoribus, ſub quorum cura ſunt; ſimiliter, & nota realia filiorum, uſq; ad uigeſimum quintum annum, quæ etiam à patre irritari poſſunt, quædam non recipit, quia facta ſunt tempore ab eo prohibito, quale eſt uotum profeſſionis factum iure antiquo à maſculis ante decimum quartum annum, à fœminis ante duodecimum, & nunc uigore Concilij Tridentini, tam in maſculis, quam (Cc. Trid. & ſeſſ. 25. c. 15. de reg.) in fœminis ante decimum ſextum annum expletum, & ante factum eſt nullum, & nullam obligationem inducit, quædam etiam à quibuſdam perſonis nullo modo unquam recipit, ut modo uigore Conſtitutionis Sixti V. Cum de cunctis, in qua prohibetur ne illegitimi procreati ex inceſtu intra tertium gradum, aut ex ſacrilegio, etiam ſi fuerint legitimati admittantur ad habitum cuiuſcumque Religionis, aut ad profeſsionem, & irritatur profeſſio, & ſuſceptio habitus contra diſpoſitionem dictæ Conſtitutionis, & idem ſtatuitur de criminoſis, & reddendis rationibus obnoxijs. quædam recipit non ſimpliciter, ſed quatenus, & quouſque expediunt illis in quorum fauorem recipit, quibus dat facultatem, ea relaxandi, ac ſi non fuiſſent

 emiſſa,

emiſſa, qualia ſunt uota ſimplicia aliquarum Congregationum, & Religionum, in quibus fiunt uota ſimplicia, & profeſſio vel nunquam fit, uel poſt multos annos ad libitum ſuperiorum, quæ à Superiore illius Congregationis quandocumq; expedire iudicauerit, poſſunt totaliter relaxari. Reliqua omnia ſi legitima fuerint, ſimpliciter, & abſolutè recipit, nec ob id ligantur eius manus, quin ut Chriſti ueri Dei Vicarius quando ei expedire videbitur, poſſit relaxare diſpenſando, & commutando.

Sexta Cōcluſio.

Sexta Concluſio. Ad diſpenſandum, ad hoc ut diſpenſatio teneat, etiam in conſcientia, non requiritur neceſſario talis cauſa, quæ ex natura ſua illam diſpenſationem, ut debitam exigat; ſed ſatis eſt, quod ſit rationabilis cædens in Dei gloriam, & commune bonum, attentis particularibus circunſtantijs loci, temporis, & perſonarum. Et probatur primo, quia diſpenſatio eſt gratia particularis emanans ab auctoritate, à fonte gratiarum, & miſericordiæ conceſſa, at ſi requireretur talis cauſa ob quam ceſſet ratio, & obligatio uoti, diſpenſatio eſſet potius quædam interpratatio, & non gratia. Secundo, quia aliàs conſcientiæ illorum, qui diſpenſantur, ſemper eſſent inquietæ, timentes an cauſa ſit tantæ neceſſitatis, & an diſpenſatio fuerit neceſſaria, at diſpenſatio ceſſante omni fraude ſit ad conſcientias ſedādas, de benignitate Apoſtolica. Sed quia diſpenſatio eſt in ædificationem, non debet ad libitum fieri, ſed cum cauſa; quanta autem debeat eſſe iſta cauſa, Abbas in cap. 1. de Voto, & uo. red. citat Archid. dicentem ex auctoritate S.Tho. quod ſufficit cāuſa ſuperueniens, propter quam ſi præceſſiſſet uotum non fuiſſet emiſſum. Et credo, quod de gratia, & benignitate, iſta cauſa ſufficiat, ad hoc vt diſpenſatio in conſcientia teneat; dixi de gratia, quia potuiſſet votum in aliud opus commutari, & non loquor de uotis ſolennibus, nam ſi ſuper illa cadit diſpenſatio, & abſolutio ab eorum uinculo, ut credo, maior requiritur cauſa. Sed dubitatur an difficultas adimplendi uotum ſit cauſa legitima. Ad quod reſpondet Sotus, quod ſi difficultas naſcitur ex re ipſa, quia res eſt ardua, & uiribus impar, tunc cauſa eſt legitima, ſi ex corrupta affectione, & morbo uouentis procedit, non eſt legitima, nam cum in hunc finem (inquit) uoueris, ut morbo tuo, prauoque habitui medearis, idipſum in cauſam proferre, ut ab eodem religeris uoto, non eſt fidei ſinceritatem ſeruare; quòd certè concedo quando eſt ſpes emendationis, at quando non eſt talis ſpes, eſt cauſa legitima ad alleuiandum eius peccatum, ne ſit etiam contra uotum, ob quam

Sot. de iuſt.&iur. lib.1. q.7. ar. vlt. & lib.7.q 4. ar.3.

cau-

cauſam licet religioſi non ſubdantur ſuis Prælatis quoad obſeruationem mandatorum Dei, nihilominus ſi aliquis illorum fecerit uotum de ſeruandis Dei præceptis, ut ſic duplici uinculo ab illorum transgreſsione arceatur, Prælatus tanquam dominus uoluntatis eius, poteſt illud uotum irritare, conſulens eius conſcientiæ, ne ſi contingat aliquod præceptum tranſgredi, duplicetur peccatum, & præcipuè cum ſæpe contingat hanc uoti circunſtantiam in confeſsione omitti. Obijcet aliquis ſi votum non relaxatur propter maius, aut ſaltem æquale bonum, videtur quædam abuſio poteſtatis, & quod relaxatio in conſcientia non teneat. Reſpondetur non eſſe abuſionem poteſtatis, etiam ſi cauſa non ſit talis, dummodo ſit rationabilis, quia licet relata ad illud bonum de quo eſt uotum ſit inferior, nihilominus relata ad Deum, ad Eccleſiam, & ad alios, diſpenſatio ob illam cauſam, eſt maius bonum, quia ſic Deus oſtenditur diues in miſerationibus, & quod ſicut conſulit hominem homini obligationem ex cauſa remittere, ſic etiam ipse facilè remittit. Eccleſia etiam, pia mater, & eius Miniſtri cum Capite Sapientes, & pij patres oſtenduntur, & alij ad uouendum magis alliciuntur. Obiectio. Solutio.

Quando autem excuſent à peccato, ignorantia, & metus cadens in uirum conſtantem, facilè erit iudicare ex his, quæ diximus in prima parte, lib. 3. cap. 4. & 10. De ignorãtia, & metu remiſſiue.

De P. Præcepto Charitatis.

Quod Præceptum de dilectione Dei ſit fundamentum præceptorum primæ tabulæ, Quando obliget, & an obliget ſtatim in principio vſus rationis, & quibus modis contra illud peccetur. Cap. V.

IN Decalogo non continentur expræſſe omnia præcepta; nam ut inquit S. Thom. triplex eſt præceptorum gradus, quædam ſunt communia, & adeo manifeſta, quod editione non indigent, ſicut de dilectione Dei, & proximi, quæ ſunt quaſi fines præceptorum, unde nullus poteſt in eis errare ſecundum iudicium rationis, quædam ſunt magis determinata, quorũ rationẽ ſtatim quilibet etiã popularis poteſt de facili uidere, S.Th. 1.2. q.10.ar.3. & 11.

ſed tamen, quia in paucioribus contingit circa huiuſmodi iudicium humanum peruerti, iſta editione indigent, & ſunt præcepta decalogi, quædam uerò alia ſunt, quorum ratio non eſt ita cuilibet manifeſta, ſed ſolum ſapientibus, & iſta proueniunt à Deo ad populum mediante diſciplina Sapientum. Et omnia continentur in præceptis decalogi, ſed diuerſimodè, nam illa, quæ ſunt prima, & communia, continentur in eis ſicut principia in concluſionibus proximis, illa uerò, quæ per ſapientes cognoſcuntur, continentur in eis è conuerſo ſicut concluſiones in principijs.

Tria priora præcepta decalogi in prima tabula deſcripta, deducuntur ex primo, maximo, & communiſsimo præcepto de diligendo Deum ex toto corde ſuper omnia, tanquam concluſiones, ex proximo principio, quod præceptum eſt affirmatiuum, & non obligat pro ſemper, ſed determinato tempore, & in illis caſibus obligat, in quibus de proprijs peccatis tenemur habere contritionem, de quibus ſuperius in capitulo de Contritione.

S.Th.1.2. q.89.ar.6. An obliget ſtatim cum puer incipit habere uſum rationis. Thomiſtarum ſententia.

Additur à S.Tho. & ab eius diſcipulis alius caſus. ſ. ſtatim, atq; puer incipit habere uſum rationis, tunc enim tenetur ſe ipſum referre in ultimum finem, quod niſi fecerit, peccat mortaliter, & ita dicunt eſſe impoſsibile, quod primum pueri peccatum ſit ueniale, & ratio S.Thom. eſt, quia primum, quod homini diſcretionē habenti occurrit, eſt deliberate de ſe ipſo, finis enim eſt prior in intētione, & ſi ſe ipſum ordinauerit ad debitum finem, per gratiam, ſi non fuit baptizatus, conſequenter remiſſionem peccati originalis, ſi uero non ordinet ſe ipſum ad debitum finem, ſecundum quod in illa ætate eſt capax diſcretionis, peccabit mortaliter nō faciens, quod in ſe eſt. Sed ratio præcipua huius ſentētiæ eſt quia ſi puer poſſet mori cum ſolo peccato originali, & ueniali ſine mortali, nullus eſſet pro eo locus in alia uita, quia pro peccato originali puniuntur homines in limbo puerorum, ubi non eſt pœna ſenſus, & pœna ſenſus eſt ſolum in inferno, & in purgatorio, ſed in inferno detruduntur homines ſolum propter peccatum mortale, in purgatorio ſunt ſolum exiſtentes in gratia, & eorum pœna terminatur; at qui ſunt cum peccato originali, ſunt ſine gratia, & pœna peccati uenialis, non terminatur illis, qui non ſunt in gratia, unde in inferno pœna uenialium per accidens, ratione ſubiecti eſt æterna, quia non remittitur ueniale ſine mortali, ergo nullus eſt locus pro illis, qui decedunt, cum ſolo ueniali ſine gratia, & hoc, quia nullus poteſt ſic decedere.

Cōtraria ſententia probatur.

Quæ ſentētia probabilis eſt propter tātorū doctorū auctoritatē;

ſed

ſed cõtraria mihi quidē probabilior uidetur iuxta ſcholã Scotiſtarũ, quã etiam ſequitur Durãdus, nã (ſalua reuerentia tanti Eccleſiæ Doctoris) durũ mihi videtur aſſerere, quod ſi puer ſtatim atq; habet vsũ rationis curioſe aſpicit equos currentes, peccet mortaliter, quia nõ prius deliberauit de ultimo eius fine, & ad illũ ſe nõ ordinauit, ſed ad alia curioſè diuertit; & cõfirmatur, quia ſi hoc præceptũ de ordinãdo ſe in Deũ tunc primo obligat, omnes obligabit, tã baptizatos, quã nõ baptizatos, quia ſi tunc obligat, & eſt ex natura rei, quia finis eſt prior in intentione, & nõ ratione peccati originalis, quod eſt per accidēs, & cõſequēter facile pueri baptizati amittent gratiã baptiſmalē, nã credo pauciſſimos eſſe, quorũ primus actus ſit cũ ad uſũ rationis peruenerint, referre ſe in Deũ, nam præterita conſuetudo, ſocij cum quibus tunc puer eſt, & colloquia puerilia, & uana, quæ tunc habent, & obiecta ſenſuum magis mouent, quam conſideratio finis; & dicere, quod niſi tunc ſtatim ab illis diuerterit, & ad deliberandũ de ſe animũ applicuerit, peccet mortaliter, mihi quidē nõ probatur. Et ad primã rationem in contrarium adductã, quia. ſ. finis prior mouet, & ita primũ, quod homini diſcretionē habenti cõſiderandũ occurrit, eſt deliberare de ſeipſo, reſpõdetur, quod finis prior mouet, & eſt in intentione, ut finis, quã media, ut media, nam ut talia non eliguntur niſi propter finem, at ſi in ſe, & non ſub illa formali ratione conſiderentur, iuxta noſtrum modum intelligendi, qui eſt per diſcurſum, primo nobis occurrunt media, & eorum uſu cognito, finem nobis proponimus, virtute cuius illa poſtea eligimus, ut media. & ratio eſt, quia noſtrum intelligere dependet ex ſenſu, & id primo mouet intellectum, quod primo mouet ſenſum; ratio procederet ſi noſtrum intelligere eſſet ſicut illud Angelorum ſine diſcurſu, & ſtatim primo cognoſceremus finem, cum ergo noſtra cognitio dependeat ex ſenſu, & finis non ſe primo offerat intellectui, niſi ratione mediorum, ut media ſunt, & cum diſcurſu habeatur, uidetur, quod puer ſtatim, atq; habet uſum rationis, non obligetur ſub mortali, niſi ad fugiendum id, quod per ſe rationi repugnat, tanquam eſſentialiter malum, & mortale, quale non eſt ex curioſitate uidere picturas, ſtructuram ædificij, equos currentes, & non ſtatim deliberare de ſe in ordine ad ultimũ finē; nã ſtãte, quod noſtra cognitio dependeat à ſenſu, illa prima ommiſſio non poteſt apprehēdi à puero, ut eſſentialiter mala, & rationi repugnans. quare concedimus quod primum peccatum pueri uſum rationis habentis, poſſit eſſe ueniale, & quod ſolum ueniale poſſit eſſe cum originali.

Solutio contrariarum rationum.

Sed remanet ſecunda ratio ſoluenda, quæ eſt præcipuum illius ſententiæ fundamentum, quia.ſ.in altera uita nullus eſt locus pro decedentibus cum ſolo ueniali, & originali, nam cum veniale non remittatur ſine gratia, & ei debeatur pœna ſenſus, iſta pœna eſſet æterna, ſed nulla pœna ſenſus eſt æterna niſi illa inferni, quæ non debetur niſi morientibus in peccato mortali. Sed ego mallem dicere, quod Deus illis prouidebit, quam eos in caſu dicto, peccare mortaliter. Verum ſecundum Scotum, & eius ſcholam, quem etiam ſequuntur Gab. & Durandus facilè reſpondetur, nam iſti tenent contra ſcholam Thomiſtarum peccatum ueniale poſſe remitti ſine mortali, tam in hac uita, quam in futura, & damnatos non puniri propter uenialia pœna æterna. Sed loquamur modo de damnatis. Et Scotus ſic probat, quia peccato ueniali per ſe debetur pœna finita, ſecundum omnes; & probatur, quia peccatum ueniale ſtat cum charitate, ſed cũ charitate non poteſt ſtare debitum pœnæ æternæ, nam per charitatẽ eſt aliquis dignus æterna beatitudine. Sed reſpondet Thomiſtę, quod peccato ueniali per accidens quando coniungitur cũ mortali, debetur pœna æterna, & non ratione ſui. Contra quod arguit Scotus, quia Deus ſemper punit citra condignum; & eſto, quod ſimpliciter, ſecundum rigorem puniret, vſq; ad condignũ, omnino iniuſtum eſſet pœnam æternam infligere pro illo cui ſecundum ſe debetur pœna temporalis, quantumcumque enim coniungatur mortali culpæ, cui debetur pœna infinita, non propterea iſtud infinitum cui adiungitur, extrahit uenialem culpã ex genere ſuo, quare iniuſtè punitur pœna æterna. Et ſubdit, quod non ſolum pœna debita ueniali habet terminum in inferno, ſed etiam pœna mortalium remiſſorum, quæ non fuit ſoluta in hac uita, & propter relapſum, & mortem in peccato mortali ſoluenda eſt in inferno, quia ex quo per pœnitentiam priora peccata fuerunt remiſſa, & debitum pœnæ æternæ fuit commutatũ in debitum pœnæ temporalis, damnatus pro illis non punietur niſi pœna temporali, qua ſoluta, liber erit ab illis. Nec ob id ſequitur, quod in inferno ſit aliqua redemptio, quia ut inquit Scotus, pœna peccati pro quo quis damnatur, eſt æterna, & nunquã commutatur in temporalem, nec remittitur, aut alleuiatur, & ſi pœna uenialium, & etiam mortalium in hac uita per pœnitentiam remiſſorum, finitur, hoc non eſt per aliquam indulgentiam, aut gratiam damnatis factam, ſed quia illa pœna natura ſua erat finita, & iuſtitia exigit, quod non extendatur ultra debitum.

Scot. 4. ſ. d. 21. q. 1. Gab, 4. ſ. d. 16. q. 2. & 5. Dur. 4. ſ. d. 16. q. 2.

Quod pœna venialiũ, & mortalium remiſſorum in damnatis non ſit æterna.

Et ſi petatur quomodo remittatur peccatum ueniale, Scotus

aſſi-

aſsignat duos modos, Primus eſt iuxta ſententiam Thomiſtarū, quod remittatur per actum, ſeu opera charitatis, ſed quia ſic nō poteſt remitti dānatis, eſt alter ipſius modus, quod nihil aliud ſit remiſsio culpæ uenialis, quam ſolutio pœnæ temporalis debitæ pro ea, quæ ſolui poteſt cum ſit temporalis, & non æterna ſicut illa mortali debita. Et confirmatur iſte modus dicendi ex ſolutione præcipuorum argumentorum Thomiſtarum, quorum ptimum eſt, Veniale tollit feruorem Charitatis, ſicut mortale tollit charitatem, ergo ſicut mortale non remittitur, niſi reſtituatur charitas, ita nec ueniale, niſi reſtituatur feruor charitatis, ſed feruor charitatis, cum ſit poſterior charitate, non poteſt reſtitui niſi reſtituta charitate, & hæc non poteſt reſtitui manente peccato mortali, ergo veniale non poteſt remitti, niſi remiſſo mortali. Reſpondetur declarando quomodo ueniale tollat feruorem charitatis; certum eſt, etiam ſecundum illos, ut docet S. Tho. charitatem non poſſe diminui, non ſolum per unum peccatum ueniale, ſed nec etiam per multa, & omnia ſimul, quia ſi per uenialia poſſet diminui, in tantum poſſent multiplicari, quod etiam poſſet omnino tolli: Stante ergo, quod uenialia non minuant charitatem, uidendum eſt, quomodo tollant, uel minuant eius feruorem, Si per feruorem intelligitur aliquid charitatis, puta gradus intenſionis charitatis, certum eſt, quod ueniale non tollit huiuſmodi feruorem, quia non minuit charitatem, Si uerò per feruorem intelligitur actus Charitatis, aut intelligitur actus inexiſtēs, & ſic non tollit feruorem, quia non opottet, quod propter actū peccati uenialis, tollatur aliquis eius actus inexiſtens, imo cum magno ex charitate operandi feruore, poteſt eſſe peccatum ueniale, quia non ei opponitur; Si autem intelligitur actus charitatis qui poſſet ineſſe, puta ille actus uenialis, qui poſſet eſſe actus charitatis ſi adeſſent debitæ circunſtantiæ, finis, & cæteræ, quæ reddunt actum meritorium, ſic conceditur, quod tollit feruorē, ideſt talem actum, aut etiam alios qui fortè fierent; ſed negatur, quod peccatū ueniale non dimittatur, niſi reſtituatur talis actus quia ille actus non eſt neceſſarius ad remiſsionem peccati venialis, nam poteſt remitti per quemcumque actum meritorium relatū ad remiſsionē uenialis, & ſine proprio actu per benedictionē Epiſcopalē, & poteſt etiam temitti per ſolutionē pęnæ debitæ, quæ cum ſit finita poteſt ſolui etiam ab exiſtente in peccato mortali. Et quod remittatur per ſolutionem pœnæ ſine reſtitutione feruoris Charitatis, probatur etiā ſecūdū illos, quia ſic remittitur culpa venialiū exiſtētibus in purgatorio, vbi nullū eſt meritū.

Primum Thomiſtarum in cōtrariū argumentū. Solutio.

Secũdum argumentum. Secundum argumentum eſt, quia inimico quamdiu eſt inimicus non remittitur offenſa, nec parua, nec magna, ſed damnatus & habens peccatũ mortale, eſt inimicus, ergo, &c. Reſpondetur; Solutio. quod inimico nõ remittitur offenſa propter quam eſt inimicus, quamdiu eſt inimicus, ſed propter ueniale nullus eſt Deo inimicus; Præterea duplex eſt remiſsio una reconcilians, & placans, & iſta non fit durante inimicitia, altera eſt uigore ſatisfactionis, & iſta fit etiam perſeuerante inimicitia, & etiã ſi pœna non ſit uolũtariè aſſumpta, ſi. n. alicui offenſæ regis, ſecundum legẽ correſpõdet abſciſio manus, ſi abſcindatur etiã inuito, non exigitur ab eo ulterior pœna, ſed liber dimittitur, etiam ſi non recipiatur in gratiam, uel amicitiã regis, at ut diximus pœna ueniali peccato debita, ex natura ſua eſt tẽporalis, quæ cõſequenter exſolui poteſt.

Tertium argumẽtũ. Tertium argumentum, quod eſt contra præcedentem ſolutionem, quia peccatum ueniale nõ dimittitur niſi per aliquem actũ Deo magis acceptum, quam peccatũ diſplicuit, ſed nullus actus eſt Deo acceptus, niſi operans ſit Deo acceptus, quia reſpexit Dominus ad Abel prius, deinde ad munera eius, at damnatus, & qui eſt in peccato mortali, non eſt Deo acceptus. Reſpondetur, Solutio. quod licet nullus actus ſit acceptus Deo quantum ad remunerandum uita æterna, niſi is, qui operatur ſit Deo acceptus, quia nullus actus ſine charitate eſt meritorius uitæ æternæ, tamen aliquis actus, uel paſſio, eſt Deo accepta ad remiſſionem pœnæ temporalis peccato ueniali debitæ, etiam ſi ille, qui pro ea patitur non ſit acceptus ad uitam. Et confirmatur, quia licet opera moraliter bona, facta in peccato mortali nihil mereantur de condigno, neque præmium æternum, nẽq; temporale; de congruo tamen, ſecundum omnes, cum Deus nullum bonum relinquat irremuneratum merentur multa bona temporalia, & etiam multa bona ſpiritualia, nam propter illa ſæpe Deus peccatorem illuminat, & ei dat gratiam iuſtificationis, & quo ad hoc ſũt Deo accepta, & propter illa, multa concedit, ex mera ſua liberalitate, etiam ſi operans non ſit ei acceptus, ergo multo magis per ſatisfactionẽ factã in peccato mortali remittitur pœna debita peccato ueniali; & probatur cõſequentia, quia ſi Deus dat multa bona etiã ſpiritualia propter opera bona facta in peccato mortali, quæ nullo modo ſunt debita, multo magis propter huiuſmodi ſatisfactionem remittet pœnã uenialiũ, quæ aliquo modo ſecũdũ iuſtitiã debet remitti. quia (ut inquit Scotus) cum uenialibus ſecũdũ ſe debeatur pœna finita, cõtra iuſtitiam eſt, quod etiam per accidẽs puniantur pœna infinita, ſeu æterna. præterea ueniale nõ re-

pugnat gratiæ, ergo poteſt remitti abſq; eo quod infundatur gratia, & abſq; eo, quod homo ſit in gratia, ſecus de peccato mortali, quia cõtrariatur gratię, & à ſuo cõtrario debet expelli, & tolli.

Contra hoc præceptũ Charitatis de diligẽdo Deũ, peccat mortaliter, primo, qui deliberatè Deum odit, ꝙ ex genere ſuo eſt maximũ omniũ peccatorum. 2. qui omittit amare Deũ ſuper omne aliud amabile, quando ſub peccato mortali tenetur illũ amare, & de ſua ſpiritnali ſalute cogitare. 3. qui amat Deũ, ſed minus, vel non plus comparatiue, quã ſe ipſum, filium, uxorẽ, Regẽ, uel quancumque aliam creaturam, gerens in animo expræſsè, uel tacitè, quod tantum, uel plus æſtimat, & amat ſe, uel aliam rem ac ipſum Deum, dixi comparatiuè, quia ſecus ſi abſolutè, & ſine comparatione; nam cum firmius diligitur Deus, ſæpe feruentius & intenſius ſine peccato diligitur creatura, & quando indirectè diligitur creatura plusquam Deus, ſicut fit in omni peccato mortali, non peccatur directè contra iſtud præceptum, ſed contra aliquod aliud. 4. qui diligit Deum ſolum, uel præcipuè, & principaliter, quia accipit, uel ſperat proprium commodum ſiue ſpiritualia, ſiue temporalia bona; quia licet ſit bonum amare Deum etiam propter remunerationem ſecundario, eſt tamen malum ſic ſolum, uel principaliter illum amare, quia Dei amorem ordinat ad ſe, & magis ſe ipſum amat quam Deum. 5 qui deliberatè vult in hoc miſero ſæculo perpetuo uiuere, quia ſic vltimum finem ponit in bonis huius uitæ, & bona cœleſtia contemnit, non tamen eſt peccatum optare longam uitam, etiam aduertendo, quod ob id æterna gaudia differuntur.

Quibus modis pecc cetur con tra hoc pręceptũ.

De Primo Præcepto Decalogi.

Quod primo Præcepto Decalogi non prohibeatur Sanctorum, Sacrarum Imaginum, ac Reliquiarum adoratio, & qua ratione adorentur.

Cap. VI.

CVm Deo tria debeãtur. ſ. fidelitas, reuerẽtia, & famulatus de iſtis tribus, ſũt tria priora præcepta decalogi. Primũ eſt de fidelitate, ut honorẽ ei ſoli debitũ, alijs nõ tribuamus, quo cõſequẽter etiã pręcipitur, vt illũ ei tribuam⁹.

Nec

De Dei,& Sanctorũ adoratione.

Nec propterea prohibemur Sanctos,& eorum Reliquias,& imagines uenerari,& adorare,quia non adorantur eadem adoratione qua adoratur Deus;quis enim eſſet adeo demens, qui prohibente Rege ne quis ſe pro rege gerat,aut regio cultu,& honore affici patiatur,ſtatim putet regem nolle,ut ſuis magiſtratibus honor deferatur? Adoramus igitur Deum, & Sanctos, ſed Deum adoratione latriæ,& Sanctos adoratione duliæ, quæ nomina sũt græca,& ſignificant ſeruitutem, ſed latria propriè ſumpto uocabulo eſt illa ſeruitus, quæ debetur ſoli Deo omnium Domino, dulia uerò licet aliquando ſumatur generaliter pro ſeruitute, & reuerentia Deo,& creaturæ debita,propriè tamen ſumitur ad diſtinctionem latriæ,pro illa ſeruitute,& reuerentia,quæ ratione alicuius dignitatis excellentis debetur rationali creaturæ:& ita Sanctos ueneramur,adoramus,& inuocamus,non vt Deos,ſed vt ſeruos, & amicos Dei, & ut noſtros apud Deum interceſſores. Sed quia inter omnes Sanctos,Glorioſa ſemper Virgo,& Dei Mater Maria,primum locum obtinet, ad hanc excellentiã denotandam,adoratio qua ueneratur,& adoratur,dicitur hiperduliæ. & licet quoad externum cultum illi ijdem actus reuerentiæ, qui fiunt Deo,fiant etiam Sanctis, differentia tamen ſumitur ex intentione, quia nos Deo proſternimus,ut Creatori, & omnium bonorum datori,Sanctis uerò,ut Dei amicis, & interceſſoribus noſtris, vnde Deo dicimus,ut det,& parcat, Sanctis uerò,ut pro nobis orent.

Imagines cur Iudæis prohibitæ.

Imagines, & ſculptilia fuerunt Iudæis prohibita, non ſimpliciter,ſed ne propria auctoritate facerent,tum ad euitandam idololatriam ad quam erant propenſi,tum etiam, quia illi ſtatui nõ conueniebant; nam ſi religionis cauſa aliquas imagines eis pingere permitti debuiſſet,illæ debuiſſent eſſe Dei, & Sanctorum Patrum,ſed nullæ harum illi ſtatui conueniebant,non Dei,quia cũ ſit Spiritus,nulla poteſt ſimilitudine repræſentari, & licet Dei filius eſſet incarnandus,nondum tamen erat incarnatus,& eius dignitas,acta,& geſta,obſcurè iudæis prædicebantur,& ſacrificijs, & cęremonijs adumbrabantur; & licet Deus ſeipſum per ſimilitudines,& figuras,Prophetis oſtenderit, eis ſimul etiam intelligentiam dabat,ne illis fallerentur, cuius luminis cæteri nõ erãt capaces,unde cum Dei filius in propria ueniſſet,illum non receperunt;Nec etiam conueniebant illi ſtatui,Sanctorum imagines, tunc quia non concedebantur eis Dei,& Meſsiæ imagines, tum etiam,quia Sancti Patres non erant in cœleſti gloria, ſed in limbo expectantes Meſsiæ aduentum. Verum, quia imagines, &

Cur eis etiam iuſſæ.

ſcul-

ſculptilia non eis prohibebantur tanquàm per ſe mala, Deus iuſſit multa fieri, ut ſic prohibitione obuiaret periculo idololatriæ, & iubendo aliqua fieri, oſtenderet contra hæreticos, non eſſe per ſe mala. Nunc autem tempore gratiæ cum Dei filius factus ſit homo, & ceſſauerit omnis ratio prohibitionis, Dei, & Sanctorũ imagines, ut ſtatui noſtro maximè conuenientes, poſſunt, & fieri debent; & in Eccleſijs etiam cum honore ſeruari, & adorari. ex quibus maximæ percipiuntur utilitates, nam eis habetur rerum repræſentatarum cognitio, & ſunt ueluti quidam libri, imo aliquo modo eis præſtantiores, nam imaginibus res magis exprimitur, & melius intelligitur, unico intuitu eis multa cognoſcuntur, & ab omnibus etiam ignaris intelliguntur; multum etiam valent ad iuuandam memoriæ labilitatem, & ad excitandos, & inflammandos affectus in Dei amorem.

De Dei, & Sanctorũ imaginibus.

Et non ſolum ſunt faciendæ, & cum honore retinendæ Sacræ imagines, ſed ſunt etiam adorandæ, eadem adoratione qua adorantur illi cuius ſunt imagines, ſimiliter & eorum reliquiæ, quarum eſt eadem ratio. pro cuius explicatione notãdum eſt, quod imagines dupliciter poſſunt conſiderari. Primò, ſecũdum quod ſunt materialiter, puta aurum lignum, color, res pulcra, & ſic nullus eis debetur honor. 2. quatenus ſunt imagines, & ut tales non ſiſtimus in illis, ſed per illas tendimus ad res cuius ſunt imagines, imago enim, ut imago, eſt relatiuũ, & refertur ad prothotypon, hoc eſt ad repræſentatum; & quia relatiua mutuo ſe ſe reſpiciunt, neceſſe eſt, ut prothotypon aliquo modo ad imaginem referatur, neque hoc ſolum eſt de eorum ratione, quod ſe ſe mutuo reſpiciant, ſed etiam, ut certo modo in inuicem exiſtant, licet diuerſa ratione, nam imago eſt in repræſentato, uelut in fundamento, à quo habet, ut ſit uera illius imago, & in quo imaginis ueritas ſuſtentatur, repræſentatum uerò eſt in imagine, uelut in ſpeculo in quo expræſſum cernitur. Et hac ratione adorantur Dei, & Sanctorum imagines, non quod ipſi adorentur ſolum ante eorum imagines, ſed quia adorantur in eorum imaginibus, & quia eorum imagines adorãtur, quatenus in illis, & per illas cernuntur. Et quamuis Principes uenerentur, & adorentur, non ſic tamen eorũ imagines, licet non ſint iniuria afficiẽdæ, eſt.n. maxima differẽtia inter illorũ, & Sãctorũ imagines, nã Principũ imagines ad eos referũtur relatione omnino extrinſeca, nec ullo modo ſunt illis coniunctæ, & unitæ; & in hoc ueſtis Regis præfertur eius imagini, dum eſt illa indutus, quia cum Rege adoratur, & non Regis manus, ſed extrema pars veſtis humiliter deoſculatur,

Quomodo, & cur Imagines & Reliquię adorandę.

tur,eius autem imagini, ipſo etiam præſente, quia eſt ab illo ſeparata,nulla reuerentia exhibetur. At Sanctorum imagines non ſunt illis omnino extrinſecæ, & alia eſt earum ratio nam tria habent ultra rationem communem imaginis.Primo,ut Deo,& Sanctis dicatæ,ſunt ſanctificatæ. 2. ut ad Sanctos attinentes, ſunt illis ueluti coniunctæ ſicut ueſtis Regi,per hoc,quod illas ſancti ſemper uident in diuina eſſentia,ut ſuas,& ut in eis aliquomodo exiſtentes,& quomodo nos erga illas,& illis mediantibus, erga ipſos habeamus. 3. Sancti ſunt in ipſis met imaginibus, uirtute,& poteſtate, dum in illis, & per illas multa miracula operantur,ut quotidiana experientia docet, ob quas etiam cauſas Sanctorum imagines,& reliquiæ ſunt adorandę.

De Idololatria, De Maleficijs, & Strigibus, quod ad diabolicum ludum, & ad maleficiandum realiter portentur. Cap. VII.

Quæ adoratio prohibeatur.

CVltus igitur,& adoratio, quæ hoc primo præcepto prohibetur, eſt illa latriæ, quæ ſoli Deo debetur, ne alteri exhibeatur,ſed ipſi ſoli, & alteri exhibita dicitur idololatria,quæ eſt maximum,& grauiſsimum peccatum,cuius duplex fuit, & eſt cauſa, una diſpoſitiua ex parte hominis.ſ. ignorantia,& inordinatio affectus, altera conſummatiua ex parte dæmonum, qui ſe hominibus errantibus colendos exhibuerunt,dando in idolis reſponſa, & alia faciendo, quæ hominibus mirabilia uidebantur. Sed notandum eſt duplex eſſe genus idololatriæ, quorum quodlibet multas ſub ſe continet ſpecies, ad primum genus pertinet illa craſſa, & expræſſa idololatria, qua vnicus,& uerus Deus prorſus ignoratur,& adorantur creaturæ, puta ſol,luna,ſtatuæ,homines,belluæ, quæ pro dijs habentur, & ab illis omnia bona,& omnem ſalutem nobis conferri creditur; à qua Dei gratia eius Filij Incarnatione, & paſsione liberatum eſt humanum genus. Sed præter hanc craſſam,& expræſſam idololatriam eſt alia interna,& uirtualis,qua homines, qui iam Deũ per fidem cognouerũt corde,& animo,non uni ſoli, & uero Deo adhærent,ſed eo relicto,labentes creaturas ſequuntur, & in eis ſuam ſpem conſtituunt, & magis confidunt, maioriq; deſiderio eis afficiũtur,quam ipſi Deo,& licet hac ratione omnis,qui mortaliter peccat poſſet dici idololatra, iuxta illud Apoſtoli Quorũ Deus uenter eſt,& illud de auaritia, quod eſt idolorum ſeruitus

tamen

tamen proprie ſub hoc genere idololatriæ continentur illa peccata, quibus diuinus cultus, & ea quæ ſunt Dei propria, tribuuntur creaturæ, & præcipue diabolo, hac ratione peccant, & idololatræ cenſentur illi, qui omnia, quæ hic fiunt, etiam illa, quæ ex libero arbitrio pendẽt, aſtrorum uirtute fieri credunt, & ex aſtris de futuris contingentibus iudicare uolunt, & illi, qui maleficijs, incantationibus, diuinationibus, & ſuperſtitionibus dant operã.

Maleficiũ quid, & quomodo maleficia uerè fiãt.

Maleficij nomine hoc loco intelligimus illud ſolum maleficium, quod à diabolo per hominem, uel inſtante homine, infertur, mediante aliquo ſigno pacti expræſsi, uel taciti, quod eſt inter maleficum, & diabolum, quod ſignum etiam dicitur maleficium, ut infixio gladij intra circulum, plumarum inuolutio. Et quod Malefici, & maleficia dentur, negari non poteſt, cum leges ciuiles, & canonicæ, & ipſamet Sacra ſcriptura de illis loquantur & maleficos iubeant occidi; ſed cum dicamus, quod dæmones illa, quæ efficiunt, applicando actiua paſsiuis naturaliter efficiãt, aliqui dixerunt illa, quæ nos maleficia dicimus, ſine dæmonum opera, mediantibus cauſis naturalibus effici, nam poſſunt aliqui habere notitiam illarum cauſarum naturalium, & per earum applicationem, influentibus Cœlis, illos effectus facere, quos dæmonibus tribuimus. Quibus reſpondemus, quod licet multa prodigioſa, naturaliter ab hominibus effici poſſint mediantibus cauſis naturalibus, multa tamen ab aliquibus efficiuntur, quæ nõ niſi dæmoni tribui poſſunt. & probatur primo, quia homines nõ poſſunt tales cauſas habere, & applicare, vt illi effectus ſequãtur, ut patet de pluuijs, grandinibus, & fulminibus, quæ ipſi efficiũt, nam ad applicandum actiua paſſiuis requiritur contactus ſaltẽ uirtutis intra ſpheram actiuitatis; certum autem eſt hominis uirtutem non extendi, uſque ad nubes, ex quibus illa generantur; Secundo, quia uidemus, quod illa quæ efficiunt, ut ſequantur illi effectus, ſunt uana, & nullo modo habent uirtutem illos producendi, ut patet ex ſola inſpectione eorum, quæ ad illos causãdos efficiunt, nam pro pluuia, & grandine, ſcopam aqua intingunt, & in aerem aquam ſpargunt, & ſtatim ſequitur pluuia; ad aliquem maleficiandum imaginem ceream faciunt, cui acus infigunt, & ille, qui maleficiatus fuit, in illis partibus crudeliter torquetur, in quibus cerea imago fuit acubus infixa, quæ tamen certum eſt non habere uirtutem producendi tales effectus, ſed cum ſequuntur, non eorum uirtute ſequuntur, ſed à dæmone fiunt, qui per pactum expræſſum, uel tacitum, illis uanis obſeruationibus colitur, & inuocatur, & ut ſic inuocetur, & colatur, non vult cauſas

natu-

naturales illorum effectuũ docere, vnde ſi illa uana fiant ab alijs, qui diabolo, & eius malignis effectibus renũcient, nullus ſequetur effectus. 3. quia malefici multa faciũt, quæ ſine dæmone naturalibus cauſis effici nõ poſſunt, etiã influentibus Cęlis, qualia sũt illa, quæ nõ poſsũt proficiſci niſi ab intellectu, nulla.n.vis corporalis ſe extẽdere poteſt ad opera intellectus, at faciunt multa, quæ ita ſunt opera intellectus, ut in illis ſit etiã intellectus dirigens, & operãs, nõ humanus, ſed alius in rebus ipſis exiſtens, qui nõ poteſt educi de potentia materiæ: & vt aliqua huiuſmodi adducamus, malefici ſuis artibus primo portãtur, & alios etiã inuitos, portare faciũt ad certa loca, etiã remotiſsima vbi uolũt, etiã ianuis, & feneſtris, & omnibus clauſis, quibus ad eorũ ingreſſum & egreſsũ clauſa aperiũtur, & poſtea ac ſi tacta nõ fuiſſent eo modo quo erãt reperiũtur; hoc autẽ excedit omnẽ uirtutẽ corporeã & ratione delationis per aera, & loca clauſa & ratione ordinis, & directionis ad determinatũ locũ, q̃ eſt opus intellectus, quę directio, certe eſſe nõ poteſt ab intellectu eorũ, qui inuitẽ, & quo neſciũt portãtur. 2. ad inuenienda occultiſſima furta faciũt, q̃ puella virgo in amphora aquæ, aut in vngue uideat imaginẽ eius, qui furtũ fecit, cũ omnibus particularibus circũſtãtijs, quæ neq; maleficus, neq; illa puella nouerũt, vt deceptio eſſe nõ poſſit, hoc aũt nulla corporea vi effici poteſt, ſed eſt opus dæmonis, qui illã effigiẽ in anphora facit, uel illã ſpeciẽ phãtaſiæ obijcit. 3. ſuis magicis artibus faciũt, quod lapides, ligna, & bruta loquantur; de Simone mago legitur, quod faciebat canem loqui, & cantare, conſtat autem, quod locutio non eſt niſi ab intellectu, & præcipuè reſponſiones, quæ sunt ad rem, & de occultis, quibus homines docentur de rebus quas ignorant; cum ergo malefici iſta efficiant, non per immutationem ſolius immaginationis per modum præſtigij, ſed uerè, quia ab hominibus circunſtantibus audiuntur, & uidentur eiſq; vigilantibus, & ſenſus ſolutos habentibus, ſequitur quod magicis artibus per immundos Spiritus faciant.

An Malefici, & alij eorũ maleficijs à diabolo de loco ad locum portẽtur.

Sed quod à multis etiã Canoniſtis dubitatur, eſt, de aliquibus eorũ effectibus, an.ſ. portẽtur, & alios ad diuerſa loca portare faciãt, & de eorũ trãſmutatione in brutorũ figuras, p̃p c. Epiſcopi. 26.q.5. q̃ ꝓhibet iſta credere de mulieribus, quæ dicebãt ſe portari cũ diana, vel herodiade dea paganorũ, & dicit eſſe illuſiones, & ſolũ in phãtaſia perfici. Sed ut horũ ueritatẽ ex proprio fundamẽto eliciamus, Dico primo, certũ eſſe homines ab uno loco ad aliũ à dæmone poſſe deferri, & ratio eſt, quia materialia, & corporea quantũ ad motũ localẽ, obediũt Angelis, tã bonis, quã malis

ad

ad nutū,& in dæmonibus naturalia māſerunt ſplēdidiſsima,& in ſua prima perfectione. Dico ſecūdo,certū eſſe homines de facto ab Angelis bonis,& malis fuiſſe de loco ad locū tranſlatos: de bonis habemus exēpla de Abachuc Dan.15.& de Philippo Act. 6. de malis habemus exēpla clariſsima,& à tota Eccleſia recepta,& celebrata,de Hermogene mago,qui iuſſu Sācti Iacobi Apoſtoli fuit à dæmone ligatus,& de domo propria ad domum Sancti Iacobi per aera portatus,& de Simone mago,qui magicis artibus à dæmonibus uiſibiliter per aera quaſi cœlū cōſcenderet,ſe deportari fecit,quem Petrus,& Paulus orationibus, & Petrus præcepto dæmonibus facto, de ſublimi aere depoſuerunt, & cadens totó fractus corpore poſtea expirauit. Dico tertio, certum etiam eſſe,ſæpe delationes ad diabolicum ludum, & viſiones huiuſmodi virorum, & mulierum, fieri in ſola phantaſia, & non realiter, quod etiam ipſæ ſtriges fatentur, quæ dum perſonaliter ludum adire nolunt,cum certis obſeruationibus uadunt dormitum,in nomine dæmonū,qui eis oſtendunt omnia,quæ ibi fiunt. Dico quarto huiusmodi maleficos,& ſtrigas,ſæpe, & ut plurimum realiter à diabolo portari, ad diabolicum ludum, & ad maleficia perpetranda, quod probatur multiplici experientiarum genere. Primo, quia innumerabilis multitudo virorum,ac mulierum, quæ depræhenduntur ad diabolicum ludum ferri, diuerſis in locis, varijsq; temporibus,vnanimiter cōfitētur,& affirmant ſe corporaliter ire,uel ferri,etiā vigilantes ad illum ludū, corporaliterq; ibi facere quæcumque ſcelera confitentur,exempla ſunt ferè infinita, & Syluester Prierius Magiſter Sacri Palatij, & auctor Syluestrinæ, lib.2.de ſtrigimagis,c.1.refert unum certiſsimū,& vulgatiſsimū ſui tēporis,de quodā iuuene, qui uigilans ſe unxit, & alia fecit,ut à maga fuerat edoctus, & ſtatim ad nucē Beneuenti fuit portatus,vbi ſimiliter fuit portata illa quā amabat, & dū portaretur notauit loca ſibi incognita per quæ trāſiuit, & poſtea pœnitētiā egit,& ingreſſus eſt religionē S.Benedicti. Nec poteſt dici hæc eſſe sōnia. primo,quia illa quæ in sōnis,uel imaginaria viſio apparent,in uigilia poſtea cognoſcuntur fuiſſe talia, uel ſaltē dubitatur,aliàs de omnibus, quæ facimus poſſemus dicere nos sōniaſſe, at iſti omnes vnanimiter affirmant ſe vigilantes fuiſſe corporaliter ad talem ludum portatos, & ut portarentur uigilantes hæc,& illa obſeruarunt,& fecerunt. 2. quia ſtriges antequā portentur parant munera,quæ dęmoni principi ludus offerant, putà vmbilicos puerorū,galli,gallinæ,& huiuſmodi,& quę pararūt poſtea nō inueniūt,ſed inueniūt pugillū terræ, quā ab eodē dæmo-

Quod etiā realiter portētur multipliciter probatur. Primo.

Quod nō ſint sōnia.

ne

ne acceperant, & ſecum portarunt ad maleficiandum pueros, viros, & mulieres cuiuſcumque ætatis proiecto modico illius terræ ſuper illas perſonas quas perdere uolunt. Tertio, quia ex illa uelociſsima portatione ſequenti die languent, uertiginem patiuntur, & in lecto quieſcunt, non ergo poſſunt dici ſomnia.

Secundo. Secundo idem probatur experientijs earum perſonarum, quæ ita de uno loco ad alium portatæ ſunt, ut ibidem relictæ, & inuētæ fuerint, & F. Bartholomeus Spineus Magiſter Sacri Palatij in quæſt. de Strigibus, c.18. narrat ſuo tempore quandam puellam, quæ cum matre Bergami morabatur, nocte fuiſſe inuentam Venetijs in lecto conſobrini dictæ puellæ, nam cum uidiſſet matrē ſuam ungi, & per feneſtram aſportari, ipſa quoque ſurrexit, & ſe unxit, & illuc portata fuit, ubi erat mater, à qua repræhenſa, Ieſu & Virginis nomē inuocauit, & ibi nuda relicta, matrem amplius non uidit, & diligenti inquiſitione facta, inuentum eſt ita fuiſſe, & mater confeſſa eſt, quod pluſquam quinquageſies fuit portata, ut puerum filium prædicti affinis occideret, ſed nunquam potuit, quia ſemper illum inuenit ſigno Crucis, & ſanctis orationibus à parentibus beni munitum. Et ſubdit ibidem aliud exemplum ſui temporis, de quodam qui cum ſuſpectam de hoc haberet vxorem, quadam nocte finxit ſe profundè dormire, quod vbi vxor percepit ſurrexit, ſe unxit, & aſportata fuit, uir ſurgens eodem vnguento ſe unxit, & portatus fuit in cellam vinariam cuiuſdam Comitis ubi uxorem cum alijs inuenit, quæ ſigno dato cū alijs diſceſſit, marito ibi relicto, qui manè à famulis inuento, & rei ueritate percepta, uxor pœnas dedit ſceleribus ſuis dignas.

Tertio. Tertio probatur, quia hic diabolicus ludus fuit ab alijs noctu illac tranſeuntibus, & à uicinis uiſus, & aliqui de illo dubitantes, cum eſſet uicinus, ſuis pedibus ad illum iuerunt, de quo idem Barth. ibid. cap. 17. plura refert exempla, & Sylu. eodem, c.2. adducit tale famoſiſsimum, & notiſsimum ſui temporis exemplū, de Comi Vicario, & Inquiſitore, qui curioſitate, uel quod nō crederent ſtrigibus quas habebant in carcere, media una earum, ludum, qui non longe aberat adierunt, & omnia è regione uiderūt, ſed omnibus inde licētiatis, dæmon caput ludi, fingens ſe eos durante ludo, non uidiſſe, repente omnem concionem denuo reuocauit, & illos duos iudices tot uerberibus ceciderunt, quod vix domum redire potuerunt, & infra quindecim dies mortui ſunt.

Quarto. Quarto probatur alio experientiæ genere de quo Sylu. ibid. nam crebro pueri, & puellæ duodecim, decem, & octo annorum, doctrina, & hortatu Inquiſitorum reſipiſcunt, qui in tantæ rei confirma-

firmationem,inſtar illius ludi ſaltare iubentur,quod ita faciunt vt nullus ſapiens negare poſſit,quin altiori quadam arte, & quæ humanum tranſcendat,ſint edocti,nam cum illę choreæ per omnia humanis diſsimiles ſint, quia in illis fœmina poſt dorsũ maſculi tenetur, & non antecedendo,ſed retrocedendo ſaltatur,& in fine cum reuerentia diabolo præſidenti exhibent,ei terga dantes,caput inclinant,non ante,ſed retro, & pedem flectunt nõ retro,ſed ante eleuantes in altum, & id totum tanta uenuſtate perficiunt,ut id ſtatim,& in pueritia impoſsibile ſit didiciſſe, & Syluester cum hæc ſcriberet,dicit, quod tunc in agro Comenſi, & Brixiano multi paruuli, & puellæ huiuſmodi reperiebantur.

Probatur tandem quinto,quia Inquiſitores contra ſtriges procedentes,hæc omnia ex earum confeſſione,teſtibus,indicijs, & effectibus,uera eſſe inueniunt, & eas pro tanto ſcelere morti tradunt,& comburunt,Et confirmatur primo, quia Inquiſitores,vt in pluribus ſunt uiri religioſi,optimæ famæ,& integerrimę uitę, & magis ad clementiam,& miſericordiam moti,& tamen contra has ſtriges ſunt ſeueriſsimi,nec acquieſcunt præcibus, & lachrymis,quia hæc uera,& non ſomnia eſſe inueniunt. 2. quia Inquiſitores cõtra has tales maleficas perſonas,nõ ſoli procedũt, ſed de cõſilio peritorum,tam in iure,quã in ſacra Theologia, & etiã de conſilio,& conſenſu Epiſcopi Ciuitatis,ubi hoc iudiciũ exercetur,uel eius Vicarij, qui omnes conueniunt prædicta realiter fieri,& ſtriges nõ pro sõnijs,& illuſionibus,ſed pro maleficijs, & delationibus ad maleficiandum,morte multandas eſſe, ut patet ex innumeris ſuper hoc proceſſibus,& conſilijs. 3. quia hoc iudicium fit auctoritate Eccleſiæ,& Inquiſitores contra Striges,& maleficos non procedunt niſi,ut delegati Sũmi Pontificis, & nõ ſolũ per generalem authoritatẽ, quam eis Summus Pontifex cõtra tales ſicut cõtra hæreticos dat,ſed etiam per ſpecialem, quia ſæpe eos contra ſtriges ſpecialiter delegat, ut patet ex literis huiuſmodi delegationis Innoc. 8. Iulij. 2. Adria. 6. & Clem. 7. ut apud Barthol. Spineum,in d.quæſt. cap. 3. Quinto.

Quibus non obſtant experientiæ in contrarium, ex quibus hæc deluſoriè fieri manifeſtè probari uidetur. Et Bartholomeus Spineus Magiſter Sacri Palatij in quinto argumẽto ſuæ quæſt.de ſtrigibus(quod etiã ſoluit) tres certiſsimas ſui tẽporis adducit. prima eſt,quia quidã Princeps,tandẽ ab Inquiſitore obtinuit, ꝙ corã illo,& multitudine nobiliũ permitteret ſtrigẽ quãdã,quam in carcere habebat, ſe ungere ſolito ſuo unguento, ut uiderent an verè á diabolo uiſibiliter,uel inuiſibiliter apparente,per aera

ad curſum portarētur,ſicut illa affirmabat,quæ ſæpius ſe unxit, & ab eo non diſceſſit loco . ſecunda eſt de ancilla cuiuſdam Auguſtini Medici , nā cum Auguſtinus quadam nocte , circa ſextā horam cum ſuis ſodalibus domum rediſſet, & ei pulſanti , nemo reſpondiſſet, tandem per feneſtram ſcala conſcendens domum intrauit, & ancillam ſuper terram ſupinam nudatam ueluti mortuam, & pœnitus inſenſibilem inuenit,& nulla potuit arte illam excitare, quæ facto mane excitata, dixit ſe illa nocte ad curſum fuiſſe portatam . tertia de uxore cuiuſdam Notarij Officij Sanctiſsimæ Inquiſitionis, quę tanquam ſtrix,& malefica fuit accuſata,turbatus notarius uir eius, eo quod ſanctam eſſe putaret,illam obſeruauit,& mane die Veneris Sancti, cum illam non inueniret, inſtabulum conceſſit, & ibi nudam , pænitus inſenſibilem , in quodam angulo limo reſperſam inuenit, & expectans finem,illa ad ſuos reuerſa ſenſus,videns maritum,dixit ſe illa nocte ad curſum iuiſſe . Simile refert S.Aug.18.de Ciuit.Dei.c.28. de Præſtanrio, qui cum quadam vice caſeum malis artibus compoſitum commediſſet, ſtatim iacuit in lecto quaſi dormiens, & nullo modo potuit excitari, & poſt aliquot dies euigilans, quaſi ſomnia narrauit, quæ paſſus eſt, caballum, ſcilicet;ſe factum annonam inter alia iumenta portaſſe militibus, & ut narrauit factum fuiſſe, ita compertum eſt. Nec etiam obſtat, quod huiuſmodi perditi homines dicunt impoſsibilia,quod.ſ.ingrediuntur domos nobilium,& quod tanta, quandoq; eſt eorum multitudo,ut dicant ſe uegetes magnas uino euacuaſſe, & boues pinguiſsimos mactaſſe.

Hæc omnia vera fuiſſe concedimus,ſed non propterea falſum eſt, quod diximus,maleficas ſæpe realiter portari,nam quæ de illis dicuntur,aliquando ſunt vera, aliquando ſunt falſa . Pro quo eſt notandum,quod cum diabolus ſit creatura ſpiritualis, nō poteſt ad operis exercitiū ab ullo corpore moueri,nec ab ulla corporali uirtute,uerborum,herbarum,&c.cogi ad operandum,ſed pro libertate arbitrij circa corpora operatur, & illa eligit, quæ ſuæ ualeant malitiæ deſeruire,& cum illis homines iuxta ſuum imperium vtuntur, ipſe diabolus quandoq; pro uoto occurrit, ut ſic etiam homines in errorem ducat ut credant dæmones his ſēſibilibus,multis ſceleribus,& ſacrilegijs factis,cogi poſſe;hinc fit, quod illis ſignis ; & ſenſibilibus inuocatus expræſsè, uel tacitè, ſæpe aduenit propter pacta iam inita cum priore aliquo cōpoſitore , uel inuentore , & hoc, quando uidet futurum in ruinam utentis , & aliorum , at quando dubitat ne detegantur eius

inſi-

inſidiæ, & homines ad pœnitentiam conuertantur, aduocatus non aduenit, licet permittatur, ut hæc ſomnia, & mulierum deliramenta credantur, ut dicemus in ſequenti cap. Ex quo facile eſt reſpondere ad prædictas experientias; Quod illa Malefica coram Principe, Inquiſitore, & multitudine nobilium uncta, non portaretur, potuit eſſe ex dæmonum malitia, ut in corde Principis, & aſtantium firmaretur hæc omnia fabuloſa eſſe, ut ſic impunè fiant, & Principes Inquiſitoribus contra maleficos auxilium non præſtent; potuit etiam eſſe, quia non erat tunc hora conueniens delationis ad curſum; & etiam ex Diuina prouidentia, tum quia, cum Inquiſitores ſint Dei miniſtri, maleficæ ſub eorum ditione deductæ, diaboli præſidijs non fruuntur, tum etiam, quia quo ad illos nobiles, ſublata fuit tentatio qua fortè potuiſſent optare, & quærere, ut ipſi quoque ſimiliter portarentur. Ad alias experientias de maleficis post vnctionem extra ſe factis, & immobiliter iacentibus, communiter reſpondetur, quod iſtæ realiter non portantur, ſicut aliæ; ſed in ſomnis tantummodo uident, & facere ſe putant, quæ poſtmodum exiſtimant, & referunt in uigilia ſe feciſſe, & ſic à diabolo deluduntur. Sed cum aliquæ ex iſtis indubitatè affirment ſe corporaliter portatas fuiſſe, alia eſt quærenda ſolutio; nam (ut diximus) ea quæ in ſomnis, uel immaginaria uiſione apparent, in uigilia poſtea cognoſcuntur fuiſſe talia, uel ſaltem dubitatur, & diuerſitas ſtatus dormientis, & uigilantis cognoſcitur; propterea dicendum eſt, quod quando realiter portantur, diabolus, uel in forma mulieris dormientis iacet (quòd in Sancto Ambrogio à S. Angelo poteſt dici factum, quando ad altare arctiori ſomno correptus; ac poſt tertiam horam excitatus, ſcitote, inquit, fratrem meum Martinum exiſſe de corpore, meque eius funeri piam operam dediſſe, ut legitur in vita, & officio S. Martini) uel aliud corpus ibi ponit, quod uideatur corpus Strigis (ſicut in hiſtoria S. Clementis legitur factum ab Angelo, nam cum Siſinius iuſſiſſet ſeruis ſuis, ut ligarent, & traherent S. Clementem, illi columnam ligarunt, & traxerant, putantes una cum Siſinio, ſe ligaſſe, & trahere S. Clementē) uel per præſtigium efficit, ut ibi uideatur eſſe corpus ſtrigis, ut ſequenti cap. dicemus, ut ſic homines decipiat, & ad credendum inducat, quod ſtriges non portentur realiter, & conſequēter delicta grauiſsima impunita maneāt, & per hoc multiplicetur ſacrilega ſtrigarum ſecta; ob quam etiam cauſam dæmones perſonas ad ludos realiter delatas multipliciter deludunt, tum ut illas in

hæreſim etiam inducant,credentes in dæmonibus, & eorum ſacrilegis operibus eſſe virtutem ad ſuſcitãdos mortuos,& facienda miracula,tum etiam,vt dum impoſsibilia referunt, eas delirare credatur, & ſicut Deo permittente diabolus, ſic quandoq; decipit illos, qui decipi merentur, ita etiam Dei prouidẽtia omnia ſuauiter diſponente, aliquando realiter ſtriges, & alios ſtrigarum opera,etiam inuitus portat,quando portare nollet,vt per manifeſtam experientiam ab illo errore per Dei miſericordiam homines liberentur, & qui hæc nefanda, & impia ſcelera perpetrant exquirantur,& de medio tollantur.

Reſpondetur ad cap. Epiſcopi.

Sed reſpondendum eſt ad d.cap. Epiſcopi. Et primo dicimus cum d.Bart.hoc cap.ſuſpectum eſſe,& paruæ auctoritatis, etiam ſi ſit in corpore decretorũ,nam ea,quæ in decretis ſunt habẽt auctoritatem eorũ quorum ſunt,eſt.n.congeſtũ ex diuerſis auctoritatibus Sũmorum Pontificum,Conciliorũ,& Sanctorũ, & multa in eo inſerta ſunt apocrifa,quæ etiam paleæ nomine prænotãtur, & à Doctoribus,& Gloſa non exponuntur. Et hoc ca. inter paleas annumerari poteſt,nam aſcribitur Concilio Ancyrano, & in ipſo Cõcilio nũquã inuentũ fuit,neq; in manu ſcripto, neq; in impreſſo,neq; in græco,neq; in latino,ſed ab illis,qui ediderunt tomos Conciliorum,ponitur poſt decreta, & ſubſcriptiones Patrum dicti Concilij Ancyrani, tanquam repertum in quodam libello antiquo ſexdecim librorum partialium, ex ſola auctoritate dicti libelli,& ita teſtantur ibidem,qui tomos Conciliorum ediderũt, & notatur etiam 26.q.5.ante d.cap.Epiſcopi,in libro Decretorũ nouiter correcto,& iuſſu Greg.x i i j. impræſſo. Et quod hoc cap. ſit ſuſpectum,probatur,nam ſi velimus ſenſum eſſe, quod homines non poſſint de uno loco ad alium à diabolo portari,uel ſi poſſunt,de facto nunquam portentur, eſt manifeſtè falſum,ut diximus. Si ſenſus eſt,quod non portentur iſti malefici, & iſtæ ſtriges; peto cauſam, uel hoc eſt, quia non poſſunt portari, & hoc non,ut diximus,uel quia Deus non permittit, nec etiam hoc dici poteſt;quia Deus maiora permittit,ut quod pueri innocentes occidantur, & comedantur, etiam à parentibus, etiam famæ non laborantibus, & quod per dæmones pueri permutentur in cunis, & quod Magi tot facinora admittant, imo etiam permiſit Chriſtum portari ſuper pinaculum templi, & ſuper montem excelſum, ſecundum expoſitionem Gregor. & Chriſoſt. Vel hoc eſt, quia licet Deus permittat, & licet diabolus poſſit portare maleficos,illos portare non vult; ſed diabolus omnibus modis quibus poteſt,conatur humanum genus offendere,

quod

quod maximè efficit per iſtam ſtrigarum, & maleficorum delationem; Præterea hoc cap. ſi hunc ſenſum habet, ineptè procedit,& probat iſta ſemper in ſomnijs,& deluſorie fieri, nam adducit duas viſiones ex Sacra Scriptura in ſpiritu factas Ezechielis ſcilicet,& Pauli. Et nos è contra poſſumus ex eadem Scriptura adducere Abacuch, & Philippum, qui realiter ab Angelis fuerunt portati, Præterea Ezechiel, & Paulus dixerunt ſe in ſpiritu vidiſſe,& audiſſe; at iſti dicunr, quod corporaliter portantur, & uigilantes,& tot ſignis, & argumentis probatur, ut negari non poſsit, niſi dicendo omnia eſſe ſomnia, & quod uigilanter operando ſemper ſomniamus,ut ex dictis patet.

Reſpondetur ſecundo, quod hoc capitulum poteſt ſaluari ſi rectè,& piè interpretetur, cum Sylu. ibid. lib. 2. cap. 1. ut non loquatur de Strigibus, ſed de alia ſecta iniquarum mulierum, quæ tunc temporis erat, quæ ut ex eodem cap. deducitur, multa falſa & hæretica dicebant, nam credebant dianam,& herodiadem verſas in deas, quòd eſt hæreticum, credebant ſe certis noctibus ſuper quaſdam beſtias multarum terrarum ſpatia cum herodiade, uel diana dea,& ad eius ſeruitium tranſcurrere,& falſum eſt, quod cum illa,& ſuper veras beſtias irent; credebāt etiam unam creaturam ab alio quam à uero Deo in aliam creaturam uerè mutari, ut mulierem in deam,& homines in bruta, quod eſt hæreticum; At ſtrigarum ſecta, ſpiritum eis apparentem diabolum eſſe ſcit, & fatetur, & ei ſe ſubijcit, & propterea illæ fortè non portabantur, ſed in ſomnis illudebantur, quia ſub ſpecie famulatus deæ,& boni ſpiritus decipiebantur, & diabolo expediebat vt non eſſent uigilantes, ne eius fallaciam deprehenderent, iſtæ vero, quia tradiderunt ſe diabolo, & voluptatum gratia decipiuntur, diabolo expedit, ut ſint uigilantes, & realiter portētur, tum ut magis alliciantur uoluptatibus, tum ut grauius peccent, quod ſi quis vim fecerit in uerbis dicti Capituli, & uelit, quod ſimpliciter, & abſolutè prohibeat credere maleficos, & maleficas de loco ad locum à diabolo portari, dicitur hoc capitulum inter paleas reponendum eſſe, & ita prior ſolutio mihi magis placet, ſtantibus maxime dictis annotationibus, quæ in d. Concilio,& 26. q. 5. ante d. cap. habentur, quòd non ſit d. Concilij.

De Dæmonum ſcientia, potentia, & iniquitate, ex quibus cum multis exemplis, deducuntur rationes mirabilium, quæ per ſe, & per maleficos faciunt. Cap. VIII.

VErum, quia tam multa, & ferè incredibilia de his maleficis dicuntur, multi qui eorum rationem reddere neſciunt, omnia hæc fabuloſa eſſe credunt, propterea nõ erit inutile fundamentum proponere ex quo horum omnium effectuum, rationes facile deducũtur, vt cognito, quam peſtiferi ſint huiuſmodi nequiſsimi homines, & mulieres, Principes ad eos exterminandos toto conatu moueantur.

De Dæmonum ſcientia. Diabolus omnia operatur ſcientia, poteſtate, & iniquitate, & quoad ſcientiam, naturalem cognitionem non amiſit, & ideo naturali ſcientia cognoſcit omnes ſpecies, & naturas, & naturales virtutes omnium rerum, per earum ſpecies, ſeu ſimilitudines eis à Deo à principio ſuæ creationis inditas, & non ſolum illas cognoſcit in vniuerſali, ſed etiam in particulari omnia indiuidua ſub illis contenta. Vnde quilibet diabolus perfectè cognoſcit virtutes omnium Angelorum, cœlorum, ſtellarum, animalium, arborum, herbarum, metallorum, lapidum, & elementorum, & quæ hominibus quocumque modo naturaliter prodeſſe, & obeſſe poſſunt: & ratio eſt, quia ſunt intellectuales, & ſiue diſcurſu, & ratiocinatione intelligunt, & eorum intellectus naturali perfectione ſtatim à principio ſuæ conditionis perfectus fuit, vnde ſtatim fuit in actu, & ſuum naturale obiectum, quod eſt ens intelligibile vniuerſaliter, ſtatim omnes cõprehenderunt, aliàs ſi quid ſub ente contentum non attingerent, quantum ad illud non eſſent in actu, ſed in potentia, & diſcurſiui, & hanc naturalem cognitionem per peccatum non amiſerunt, nec in eis fuit diminuta, quia eorum naturam conſequitur, quæ cum ſit ſimplex, nihil ab ea ſubtrahi poteſt: quod ſi dæmones ſæpe decipiuntur, eſt quia tanquam ſuperbi uolunt ex naturalibus iudicare de diuinis myſterijs, de futuris contingentibus, de his, quæ liberè fiunt, & de his, quæ ſecundum diuinam prouidentiam eueniunt.

De Dęmonũ potentia. Quoad dæmonum potentiam, eis obediunt omnia corpora inferiora ad nutum, quantum ad motum localem, ſaluo naturæ ordine, unde non poſſunt mouere totam terram, aut aliud elementum, quia hoc eſſet euertere ordinem naturæ, ſed benè poſſunt mo-

mouere quaſcumque partes, etiam turres, & montes; nec etiam poſſunt producere naturalem effectum ſine medijs cauſis illius effectus, ſed applicando cauſas naturales poſſunt producere illarum cauſarum effectus; nam quo ad ordinem uniuerſi hæc inferiora ſoli Deo ſubduntur; ut mobilia autem ſubduntur ſub Deo, etiam ſpiritibus; Et poſſunt Angeli tam boni, quam mali, naturaliter tanta celeritate moueri, & aliquid portare ab oriente in occidentem, & à terra in cœlum, & è contra, ut tempore imperceptibili moueantur, & portent quæcumque uolunt; portãt autem per hoc, quod ita intelligunt, & uolunt, nam corporea, ut dixi quo ad motum localem eorum uoluntati obediunt, ex quo ſequitur, quod dæmones poſſunt facere omnia, quæ fieri poſſunt motu locali, & per applicationem uirtutum actiuorum naturalium, ſi à Deo permittuntur, ut homines ad longinqua portare, pluuias, uentos, infirmitates, ſanitates, & huiuſmodi facere, ſimiliter aerem condenſare, illum colorare, & figurare, in eoq; apparere in forma uiri, mulieris, & beſtiæ, ut experientiæ docent, & Sancti tradunt.

Sed quia in iſtis apparitionibus fiunt etiam multæ illuſiones, & multa uidentur proprijs oculis cerni, tanquam uerè facta, quę tamen non fuerunt uerè facta, ideo ut iſtorum etiam rationem reddamus, uidendum eſt ad quid ſe extendat diaboli poteſtas ſpecialiter circa hominem, quantum ad animam; Non poteſt diabolus nouam ſpeciem, ſeu phantaſma in anima, seu in ſenſu interiori imprimere, quæ nullo modo in ea fuerit, quia ſi non poteſt influere nouas formas in materiam corporalem, multo minus poterit illos influere in imaginationem, in qua nihil recipitur ſine organo corporali, vnde non poteſt facere, quod cæcus à natiuitate imaginetur colores, vel quod ſurdus natus imaginetur ſonos, ſed poteſt per ſpecierum, ſeu phantaſmatum tranſmutationem, diuiſionem, & compoſitionem, noua imaginationi offerre; nam cerebrum habet quatuor ſinus in quibus ſunt ſenſus interiores, & iſti omnes ſinus ſunt pleni ſpiritibus ſubtilibus ſenſitiuis, in quibus ſpiritibus conſeruãtur ſpecies rerum ſenſatarum, & horum ſpirituum motu, & tranſmutatione, cõtingit etiam ſecundum naturæ operationem, noua imaginari, & Ariſt. hanc cauſam aſsignat ſomniorum, quia deſcendente plurimo ſanguine ad principium ſenſitiuum, deſcendunt impræſſiones relictæ ex ſenſibilium motibus, quæ in ſpiritibus ſenſibilibus conſeruãtur, & mouent principium appræhenſiuum, ita quod aliqua apparẽt, ac ſi tunc principium ſenſitiuum à rebus iſtis exterioribus im-

De eorũ potentia quo ad animam.

De cauſa ſomniorũ & illuſionum.

mutaretur, & hoc modo dæmones poſſunt immutare immagina tionem, non ſolum dormientiũ, ſed etiam uigilantiũ, & noua etiã oſtendere, ſed non totaliter noua, ſed per diuerſas diuerſarum phantaſmatum partium compoſitiones; ſicut nos etiã pro libitũ poſſumus diuerſa phantaſmatũ compoſitione, & diuiſione, noua & impoſſibilia imaginari, ut montem aureum, chimerã; & poteſt eſſe tanta ſpirituum, & humorum commotio in phantaſmatũ delatione, vt huiuſmodi apparitiones etiam uigilantibus fiant, & videantur corporeis oculis cerni, nam organa ſenſuum exteriorum ſunt contigua phantaſiæ, & ſenſui communi, unde ſi phantaſmata ex theſauro interiori in quo ſeruantur, cum uehementi ſpirituum, & humorum commotione ad phantaſiã, & ſenſum cõmunem deferãtur, ſenſus etiam exteriores immutãtur, & eis quoq; illa percipi uidentur, ut patet in febricitantibus, qui etiam vigilantes patiuntur alienationes, & dicunt ſe videre latrones, & huiuſmodi, quod etiam patet de melancolicis, qui aliquando vidẽtur ſibi uidere multitudinem hominũ armatorum, & timẽtes ab eis capi terribiliter exclamant, & aliquando indiſſuaſibiliter cre dunt ſe belluas eſſe; cum ergo iſtæ viſiones naturaliter fiant in dormientibus, infirmantibus, & melancolicis, poterunt etiam fieri à ſpiritibus, tam bonis, quam malis, quibus (ut diximus) corpora quoad motum localem ad nutum ſubduntur.

De Dæmonũ iniquitate, ex qua multorũ cauſã.

Tranſeamus nunc ad dæmonum iniquitatem, nam ſcientia, & poteſtas prædictę, ſunt communes bonis, & malis ſpiritibus, ſed boni eis ſemper benè vtuntur, & ut nobis proſint, & propterea Deus illis concedit non ſolum, ut agant, quæ per naturã poſſunt, ſed etiam, ut per gratiam multa, vltra naturã poſſint; at mali ſemper eis malè vtuntur, & vt nobis noceant, ob quam causã à Deo reprimuntur, ut minus poſſint, quam ſecundum naturalem uirtutem poſſunt, & ſic dicuntur ligari, ſolui autem, cum diuino iudicio permittuntur aliqua agere, quæ ſecundum naturam agere poſſunt. Et cum omnia maleficia (quando permittuntur) per ſe agere poſsint, uolunt tamen homines nequiſſimos cooperato res, & ſignis, & verbis, etiam ſacris, nec non vanis, & falſis obſeruationibus inuocari, vt ſic multa ſcelera ad maiorem animarum perditionem in vnum concurrant, & creſcente hominum impietate, maior detur eis facultas in homines ſæuiendi, & quibuſdã quidem manifeſtè, vt dæmones apparent, & Deum, & Sacra omnia negare, & ſeipſos adorare faciunt, alijs verò in principio ſe Angelos lucis ſimulant, & illos præcipue eligunt, qui ſunt faciliores, ut decipiantur, & ut alios decipiant, quales, ut plurimũ

ſunt

ſunt mulieres,& homines ſimplices curioſi, & ſuperſtitioſi. Et inuocati à perditis hominibus,qui ſe ipſos eis tradunt, licet per mittantur,aliquando non ueniunt,& hoc ut magis noceant,ut in illo peccato obſtinatiores reddantur,& ut ad maleficos accedãt, ut ſic etiam ſolemni,& horrendo ritu,fidem negent, & dæmonibus ſe tradant,imo etiam ab ipſis maleficis inuocati,etiã mediãtibus illis ſignis quibus ſe obligarunt,ſæpe nõ adueniũt, vel ſi ueniunt,ita ueniunt,vt uerè non efficiant ea,quæ ſoliti ſunt facere, ſed potius figmenta eſſe oſtendãt, & hoc quando timent ne eorũ maleficia detegantur,& contra maleficos procedatur, & ut alios ad credendum inducant,quę de maleficis dicuntur eſſe ſomnia, & figmẽta,ut ſic maleficia liberè,& impunè fiant. Ex quibus facile erit deducere rationes omnium, quæ de maleficis dicuntur.

Sed ut hæc exemplis clariora fiant, dæmones ſæpe in ſpecie mulierum, & uirorum apparuerunt, & ſub ſpecie mulierum ſuppoſuerunt ſe uiris, & ſub ſpecie uirorum moleſti fuerunt mulieribus, quæ etiam ex eorum congreſſu generarunt, quos latini incubos, & ſucubos uocant, romani faunos, græci panas, de quibus teſtantur Greg. lib. 7. moral. cap. 12. de illis intelligens illud Iob. 34. & piloſus clamabat ad alterum; Aug. 15. de Ciu. ca.23. Iſid. lib.8. Etym.ca.vlt. S.Tho.2.2.diſt.8.ar.4.q.2. & communis omnium theologorum ſententia, & multæ experientiæ: & ut ex multis unum, aut alterum adducamus exemplũ S.Victorinus (vt in eius uita apud Surium tom. 5. habetur) diabolum in heremo ſub ſpecie pietatis in forma mulieris recepit, & cũ ea peccauit,ſed peccatum ſuũ agnoſcens dignã pœnitẽtiam fecit. Hector Boethius in ſua hiſtoria refert in Marrea regione fuiſſe nobilem puellam,quæ coniugium auerſata,inuenta eſt prægnans,dixit ſecum formoſiſsimũ adoleſcẽtem cubare,& ſe neſcire unde ueniat,parentes tertio die illum adeſſe indice ancilla cognoſcentes,cubiculum ingrediuntur,illum in amplexibus filiæ, & in ipſo actu venereo intuentur, quẽ fruſtra conãtur occidere, nec à filia remouere poſsũt,accurrũt uicini ad clamorem, uidẽt oẽs fædum ſpectaculũ,uocatur Sacerdos probatę uitę, qui legẽs Euãgeliũ S.Ioãnis,cũ perueniſſet ad illa uerba, *& Verbum caro factum eſt*, dęmon aſportans cubiculi tectũ,incenſa ſupellectile, ſtridore emiſſo horribili abijt, & fæmina poſt triduum peperit monſtrum,aſpectu fædum. Idem Hector narrat aliud ſui tẽporis,notiſsimũ exemplũ de naui,quæ vi uẽtorum, & undarũ ſubmergebatur,admiratur nauta,quod naturaliter pręter tẽpus,ita ſubito non poſſet tanta ſuboriri tempeſtas,ſtatim clamat muliercula,

Redditur ratio illorum effectuum.

De incubis, & ſucubis.

quæ

quæ erat in imo nauis,dicit propter illam ortam fuiſſe tempeſta-tem,quia cum diu habuiſſet familiaritatem incubi, tũc etiam ab illo fuit ſubacta, hortantur omnes illam ad pœnitentiam,aderat Sacerdos,illa lachrymis ſuum horrens peccatum, cum nubecula quædam è nauis ſentina exiluiſſet, ſono, flamma,fumo, fætore, prodidit dæmonem, cuius receſſu ceſſauit tempeſtas. Hoc fa-ciunt dæmones applicatione cauſarum naturalium quibus aerē condenſant,& ei figuram,& colorem humani corporis tribuunt, ſicut & Angeli boni,qui ſæpe in ſacris literis apparuiſſe legũtur, at dæmones tãquam iniqui ad iniquitatis opera,corpora aſſum-munt,& ſemen humanum,uel in pollutione emiſſum,uel ut ſucu bi accipiunt,quod ut incubi transfundunt,& filij,qui ſic generã-rantur non dæmonum, ſed illorum à quibus acceperunt ſemen ſunt filij.

De tranſformationibus in beſtias.

Malefici, & Striges ſuis maleficijs transformantur in beſtias, quod licet aliquando fiat deluſoriè ſola immaginatione, ut di-ximus,ſæpe etiam fit per realem, & extrinſecam apparentiam, in cuius ſignum multi, & multæ ſub gattorum forma, fuerunt vulnerati,& cum vulneribus in eiſdem locis correſpondentibus reperti,qui capti confeſſi ſunt, & pueri quos maleficiarunt infra paucos dies exiccati,interierunt, de quo in Malleo Maleficarum p.2.q.1.cap.9.& in quæſt.de Strigibus Barth.Spinei, cap. 19. ad-ducũtur multa exempla, & paſsim in proceſſibus Inquiſitorum, Et non ſolum transformantur,ſed etiam alios transformant, & transformati portant onera,ut aſini,ſicut uidentur,de quo S.Au guſt.lib.18.de Ciu.Dei.c. 16.17. & 18. affert multa exempla, & Malleus Maleficarum, 2.p.q.2.ca.4. & alij. non quod uerè tran-ſmutentur,& propriam figuram amittant,ſed ſicut dęmones poſ ſunt corpora aſſumere, aerem condenſando, & ſub diuerſis for-mis apparere, ita etiam poſſunt per actiuorum applicationē ma-leficorum,& maleficiatorum corpora incuruare,& aeris cōden-ſatione nobis occultare,& figuras beſtiarum,ut cattorum,aſino-rum,uolucrum,efficere,& circumponere,ut in hæc,& ſimilia ani malia uideantur conuerſi,& ipſi dæmones,ut uideantur uera ani-malia,formant uoces eis proprias, illos portant,ut videantur,ut volucres uolare, onera ſuſtentant,quæ ut aſini portant,feneſtras eis aperiunt, ut ſub gattorum forma ad maleficiandum portati ingrediantur,aere etiam condenſato corpus alicuius proportio-naliter extendunt,ut uideatur ſine membro, quod tanquam ab-ſciſum oſtendunt,& poſtea videtur, quod illud reſtituant, cum uerè non fuerit abſcisum, & illud eſſet phantaſticum. Et ali-

quan-

quando ipſi dæmones ſub alicuius bruti forma apparent, & fingunt ſe alios eſſe, ut d. cap. 18. inquit S. Aug. de Socijs Diomedis in mari ſubmerſis, qui dicebantur conuerſi in aues, quæ longo tempore circa templum Diomedis uolauerunt, & aquam in templum roſtris portabant, & aſpergebant.

Maleficiati ſæpe euomunt acus, clauos, pilos, oſſa magna, plumas ingenioſiſſime conſertas, & huiuſmodi, quod uidetur impoſsibile, ut. ſ. res tam magnæ, & ſenſibiles per foramen paruum oris, imo etiam per oculos ſine dolore viſibiliter emittātur, quæ uel ſunt illuſiones, vt videantur, quæ uerè non ſunt, vel dæmon aeris condenſatione, & coloratione facit illa apparere, ſed aliquando ſunt realia, nam diabolus inuiſibiliter illa ſtomaco infert, & inde uiſibiliter educit, non obſtante, quod ſint ita magna, quia poteſt ad libitum ea diuidere, & reunire, & ubi opus fuerit actiua naturalia ad id applicare, & hoc tanta celeritate, ut oculus diuiſionem, & compoſitionem diſcernere non poſſit, ſed iudicet ita magna emitti, & quod oculus decipiatur, & nō poſſit ratione velocitatis motus, percipere rem, ut eſt, patet ex ueloci titionis motione, nam uidetur eo fieri circulus igneus perfectus, qui tamen non eſt; & ex his, quæ circulatores manuum dexteritate, ut mira in plateis paſſim faciunt. Sed vnum de his etiam adducemus exemplum, quod habetur apud Surium Tom. 3. in vita Sancti Petri Archiepiſcopi Tarantaſij, In caſtro Sancti Symphoriani Lugdunenſis Eccleſiæ, erat vir fidelis, & religioſorum officioſus, ſeduluſq; ſuſceptor, & ad ſuum hoſpitium vim faciendo, pertraxit Abbatem magnæ conuerſationis, & opinionis, illi erat filia, quæ opera mulieris maleficæ per nequitiam inuidæ ſocrus languore tabeſcebat deſperato, nec viri ſui præſentiam, nec adſpectus ullatenus tollerabat, mater vt Sathanas Sathanam eijceret, famoſum quendam maleficium accerſiuit, qui arborum cortices contriuit, & pocula uerbis, & herbis confecta dedit, & proprijs dentibus illius brachium momordit, quæ ab illo languore conualuit, ſed interdum uelut ex corde procedere ſentiēs acus, cruciabatur atrociter donec per morſuram brachij, quam nulla cicatrix obduxerat, acus educeret uis occulta, plures in hunc modum, quam triginta per temporum interualla prodierant, Pater lachrymis filiæ infirmitatem Abbati expoſuit, & ab eo auxilium petijt; ducta ad præſentiam Abbatis, eadem hora ſentiēs acum, mulier gemebunda deplorat, iam peruenerat ad foramē, ſolitus iam præceſſerat cruor, iam cęperat apparere, & accedens vnus ex fratribus laicis eidem Abbati deſeruiens cruentam, ex-

De his que euomunt.

traxit,

traxit, Orat Abbas, & locum vulneris tangens, in uirtute fidei, pollicetur, nec ferum ultra, nec chalybem ex inde proceſſurum; factum eſt, ſed mutata materia eſt, malitia nec dum prorſus extincta, cęperũt lignei ſudes paruuli proferreis acubus egredi, & non omnes eiuſdem magnitudinis, & craſſitudinis, ſexdecim intra annum, & paucos menſes ex mulieris lingua prodierunt; Affuit demum S. Petrus Archiepiſcopus Tarantaſij, cui diuinitus ſeruabatur tanti miraculi plenitudo, Offertur mulier Miſſarum ſolemnia celebranti, ſicut præceperat ueſpera præcedenti, eadem hora ſeptimum decimum lignum ex muliebri carne egreditur, quod ſub oculis omnium ſacriſta extraxit, Confitentem mulierem abſoluit, Sacram ei dedit Euchariſtiam, & ab omni deinceps cuiuſcumque materiei progreſſu iubet eſſe ſecuram; Et quia quando hæc ſcripta fuerunt viuebant filia, & parentes, nominantur, ut notiſsima ueritas, ab illis etiam ſciri poſsit.

De tempeſtatibus infirmitatibus odiis, & amoribus.

Facile erit ex dictis intelligere, quomodo dæmones excitent tempeſtates, cauſent infirmitates, ſterilitates, ſanitates, applicando earum cauſas, & etiam odia inter uirum, & uxorem, ea imaginationi repræſentando, quæ ad uxoris odium, & ad alterius mulieris amorem inducant; vnum de infirmitatibus adducam exemplum ex eodem Hectore Boethio, & Ioanne Leſlæo Epiſcopo Roſſenſi in ſuo tractatu de rebus geſtis Scotorum, quod in tota Scotia eſt notiſsimum, tanquam factum in perſona Regis, & maleficium maleficarum, & multorum nobilium Regni, digna morte punitum. Duffus Rex Scotiæ noctu ſub perpetua uigilia decumbens, in ſudorem ſine modo ſoluebatur, corpus lẽta conficiebatur tabe, effœto ſimillimum, herebat cutis rigida, venas, neruos, & qua forma, & ſitu oſſa eſſent humana oſtendens & tamen Medici in eo omnia ſigna ſanitatis inueniebant. Obortus eſt rumor in certo auctore, Regem á quibuſdam mulieribus maleficiatum eſſe, quæ apud Forres Morauiæ opidum manebãt, Rex ſtatim ſub ſpecie ineundæ pacis inter eum, & cõiuratos Morauos mittit, qui rei ueritatem inquirant, miſſi Forres adiere, & arcem ingreſſi (quæ ad hùc erat in Regis fide) Denoualdo arcis præfecto, quare uenerint exponunt, quo audito quidam miles, qui erat in arcis præſidio, ſignificauit Denoualdo quandam meretricem (cuius mater erat ſortilega) dum blandiuſcule eam tractaret, locutam ei fuiſſe de Regis infirmitate, & morte; erat tunc illa meretrix in arce, quæ tormentis expoſita, ueritatem aperuit, Denoualdus in ipſa nocte milites ad ſortilegarum ædes mittit, qui unam ueneficarum ſimulacrum ad Regis Duffi imaginem

ginem ex cera confectum, ligneo ueru affixum, ante ignem tor rentem, alteram carminibus recitatis liquorem quendam fundentem ſenſim ſupra ſtatuam, inuenerunt, & ductæ cum ſimulachris in arcem, interrogatæ, dixerunt, dum ſimulacrum igni ad hibitum torreretur, Duffum Regem, in ſudorem ſolui, carminibus autem recitatis, perpetua teneri vigilia, & ad liqueſcentem ceram, macie confici, conſumpta cera, Regis mortem continuò ſecuturam, ita ſe dæmones docuiſſe, & ad facinus exequendum mercede à Morauorum primoribus conductas. Simulacrum effractum fuit, & in eadem nocte Rex abſque ſudore quieuit, & poſtridie redeuntibus viribus, ita ſanitati reſtitutus eſt, ac ſi nulla aduerſa ualetudine antea fuiſſet detentus. Nimis immorati ſumus, & præter inſtitutum noſtrum, ſed ideo fecimus, quia multi etiam catholici hæc figmenta eſſe credunt, & utinam non eſſent etiam ex illis, qui huiuſmodi perditos homines extirpare tenentur. Sed quia deriſus fuit quidam Illuſtriſsimus, ab illis, qui eum dicentem audierunt, ſe uidiſſe cartam per aerem demiſſam à dæmone adiurato, qua ille qui exorcizabatur, Chriſto negato, ſe dæmoni tradidit; adducā ſimile exemplū ex vitis Sanctorū Patrū, in vita S. Baſilij: quidā famulus cupiens in vxorē ducere filiā domini ſui, opera cuiuſdā malefici, fuit ductus ad diabolū, qui uiſibiliter apparuit, Chriſtum, & omnia Sacramenta negauit, & ſeipsū corpore, & anima diabolo tradidit, & ſic propria manu ſcripſit, & promiſit; ex eo die filia cępit amare ſeruū, & inſtanter à Patre illū in maritū petere, pater indignè tulit, nō ſolū, quia erat nobilis Senator, ſed etiā, quia erat ſanctiſſimus, & ſicut illā in timore Dei nutrierat, ita etiā Deo in Monaſterio dicare uolebat, ſed tandem coactus, illā ei dedit. Obſeruatū fuit, quod nunquā iret ad Eccleſiā, & dictū uxori, quæ ut erat ſanctæ uitę, uehemēter dolēs, cauſā ab eo exquiſiuit, & illa cognita, ſtatim lachrymis perfuſa, acceſſit ad S. Baſiliū, qui eius virū uocauit, & ad pœnitentiā cōuerſum per aliquot dies in certo loco recluſit, vt iuxta præſcriptam regulā pœnitētiā ageret, & oraret, poſt quos, uocato Clero, & populo illū ad Eccleſiā duxit, & omnibus pro illo orantibus, diabolus inuiſibiliter conabatur illū eripere de manibus S. Baſilij, audiebantur ab omnibus uoces, & quærimoniæ diaboli cōtra S. Virū, qui ei pręcepit, vt redderet cartā illius manu ſcriptā, & ſtatim carta per aerē delata, & ab oībus uiſa, uenit, & impoſita eſt inanib' S. Baſilij, qui recognita manu, illā lacerauit. De his uideātur Malleus Malleficarū cōpoſitus à duobus religioſiſſimis Inquiſitorib. Ord. Præ. & ab Inno. 8. cōtra ſtriges, & maleficos ſpecialiter deputatis

Syluester, & Bartholomeus locis citatis. Qui autem multa omnium prædictorum exempla uidere cupit, legat Io. Bodinum de Monomania, ſeu furore Strigarum, qui gallicè ſcripſit, ſed ita fœliciter, ut meritò tres illius de hac materia libri fuerint in italicam linguam tranſlati.

De peccatis contra Primum Præceptum, ratione Infidelitatis, Imaginum etiam Sacrarum, & Reliquiarum. Cap. IX.

De peccatis infidelitatis.

HOc primum præceptum præſupponit fidem, quæ eſt de vero Deo, & præcipit, quod ei ſoli exhibeatur diuinus cultus, & non alio. Vnde contra illud primo peccatur peccato infidelitatis multipliciter; nam primo peccat, qui creaturam, ut Deum adorat, quæcumque illa ſit, ſiue ſol, ſiue homo, ſiue bellua, ſiue ſtatua, 2. peccat, qui non credit Euangelio ſatis ſibi notificato. 3. qui aliquam hæreſim ſcienter credit, qualis eſt, quicquid eſt contrarium catholicæ fidei, quam tenet Sancta Romana Eccleſia. 4. qui pertinaciter dubitat de rebus fidei, dubius enim in fide eſt infidelis, dixi pertinaciter, quia ſubreptitia dubietas, & non deliberata; & ſcrupuli, qui renitente voluntate habentur, uel non ſunt peccatum, uel ueniale. 5. qui deliberatè credit omnes infideles ſi bene moraliter uixerint poſſe ſaluari in ſua ſecta. 6. qui poſt annos diſcreptionis negligit explicitè, & in particulari ſcire articulos fidei. 7. qui ex metu, vel ob aliam cauſam ex animo dicit aliquid contra fidem, uel conſentit exterius in aliquod opus infidelitatis, etiam ſi intra ſe, & in corde ueram fidem teneret. 8. qui aliquem habitum, uel ſignum iudæi, uel ſarraceni, uel alterius infidelis aſſummit in loco, vbi unuſquiſq; illo ſigno ſuæ legis profeſsionem indicat, quia perinde eſt ac præ timore ſe iudæum eſſe, aut ſarracenum confiteri; non eſt autem peccatum, ut inquit Caiet. cum tranſitur per terras infidelium præ timore relinquere habitum Chriſtianiſmi, clerici, aut monaci, & indui habitu communi, & indifferenti, dūmodo non accipiatur ſignum infidelitatis. 9. qui Deum tentat, dicendo aliquid, aut faciendo intentione expræſſa experiendi diuinam potentiam, ſapientiam, uel pietatem, uel tacitè aliquid faciendo, quod ad hanc experientiam faciendam conducit, ut concionari nulla præuia meditatione cum habeatur tempus ſtudendi. 10. laicus, qui diſputat de fide, ſciens id laicis ſub pœna excommunicationis eſſe prohibitum.

Caiet. 2.2 q. 3. ar. 2.

Se-

Secundo cum ad hoc primum præceptum pertineat cultus ſacrarum Imaginum, & Reliquiarum, earum reſpectu, imo etiam prophanarum imaginum, peccatur, ideo primo peccat, qui pingit, ſeu retinet imagines inhoneſtas, & non ſolum dicuntur inhoneſtæ illæ inhoneſtarum mulierum, & illæ quæ actus inhoneſtos repræſentant, sed etiam illæ honeſtarum, ſi ſint nudæ, in totum, uel in parte, uel ita fucatæ, ut terminos honeſtatis excedant. & poſſunt eſſe adeo inhoneſtę, ut illas efficere, & retinere ſit peccatum mortale, & poteſt etiam eſſe, quod aliqua imago non ſit ita inhoneſtè depicta, imo etiam honeſtè, & nihilominus illam retinens peccet mortaliter, & propter illam ſit in ſtatu peccati mortalis, ut eſt imago illius, quam quis inhoneſtè amat, ut illam in ſua imagine ſemper præſentem habeat, uideat, delectetur, concupiſcat; & quod peius eſt aliqui earum paruulas imagines ad collum ferunt, capillos, literas, uel aliquid aliud earum penes ſe habent, ob earum memoriam, & ut eis oſtendant, quam feruenter eas diligant; & hoc diligenter confeſſores aduertant, & non prius iſtos abſoluant, quam res huiuſmodi abiecerint, aut lacerauerint, uel combuſſerint.

De peccatis ratione Imaginum etiã Sacrarũ.

Secundo peccat, qui magna diligentia gentium idola exquirit, ut quæ ceciderant, & confracta erant erigat, & ſarciatur ad ornandas edes, & lucos; nec eſt, quod ſe excuſet, quia non uenerationis, aut adorationis cauſa, ſed ſpectaculi, & antiquorum gratia, & ad oſtendendam artificum peritiam, illa exquirit, reſtaurat, & erigit: primo, quia non deeſt quædam apparentia cultus ipſis exhibiti, ſi non animo ſaltem ipſo facto, cum ſimiliter, ut ſacra in editis locis ponantur, gaudent enim dæmones dum iterũ erigi iam proſtrata ſimulacra ſua perſpiciunt, quanis de cauſa id fiat, nec ſe omnino proſtratos fatentur. 2. quia tanti fiunt, vt hæc idola plures fere habeant spectatores, & contemplatores, & pluris fiant, quam ſacræ Sanctorum imagines, ob quam cauſam fertur S. Gregorium multas Vrbis ſtatuas iuſsiſse confringi. 3. quia illa idola ſpectantium oculos ad libidinem mouent, dum nuda ueneris, aut dianæ membra conſpiciunt, & Satyrorum ſalaces geſtos, & bacchi, & baccantium turpes, & uinoſos furores inſpiciunt. 4. quamuis nihil horũ eſſet, non tamen poteſt excuſari uanitas, curioſitas, & prodigalitas, cum tãta diligentia querantur, & multo precio emantur, non tamen ob id aſſero hoc peccatum eſſe mortale, ſed tot poſſent concurrere, ut eſſet mortale, præſertim ſi in illis emendis eccleſiaſtici eccleſiarũ redditus impenderent.

Tertio

De abuſibus circa ſacras imagines.

Tertio circa ſacras imagines peccat, qui aliquem ex ſequentibus abuſum erga illas admittit. Primus eſt cum per illas quippiam falſum, aut fictum, aut apocryphum repræſentatur, ut ſi depingatur B. Virgo in lecto quaſi puerpera, quæ paſſa dolores ex partu inualida, & imbecillis reddita, corpus ſuum ſuſtinere non queat, hoc enim falſum eſt, & Chriſto, & matri iniurioſum. non tamen ob id damnantur pictores, & pij homines, qui ea pingunt, & pingere faciunt, quæ contemplantur, quæ licet non fuerint facta, non tamen repugnant, & etiam fuiſſent facta, ſi fuiſſet datus caſus, ut ſi pingatur bonus latro de cruce depoſitus, genibus flexis ante Chriſti Crucifixi imaginem. Vbi notandum eſt ex Concilio Trid. nemini licere vllo in loco, uel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta ullam inſolitam ponere, uel ponendam curare imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit. Secundus abuſus eſt circa loca ubi pinguntur, ut ſi pingantur in locis parum honeſtis, & non deuotionis cauſa, ſed ad retrahendum homines ne mingant, ſeu uentrem in aliquo loco exonerent. Tertius cum ſacrę imagines pinguntur, uel pingi efficiuntur ſub effigie illarum mulierum, quæ amantur, quod eſt maximum ſacrilegium. Quartus cum imagines non repræſentant decenter archetypon, vt ſi ſint ita imperitè, & monſtruosè factę, ut ad riſum potius, quam ad deuotionem excitent, uel ſi ſint tanta arte fabricatę, quod perſonarum decorem non ſeruent, ut ſi ſint nimis laſciuę, nudę, quę excitent non deuotionem, ſed cuiuſuis demortuę carnis libidinem. Quintus, ſi non ea cuſtodia ſeruentur, qua ſeruari debent, à carie, à ſitu, & alijs noxijs, & ſi ſeruentur, non tamen uenerentur, ut par eſt, & peccatum non dicimus eſſe ſemper mortale.

Cóc. Trid. ſeſſ. 25.

Ratione Sacrarum Reliquiarum.

Quarto ratione Sacrarum Reliquiarum peccat, qui aliquem ex ſequentibus abuſum circa illas committit. Primo, ſi non tenẽatur in decenti loco, & decenter. 2. ſi indecenter ad collum portentur, non enim eſt illicitum eas ex deuotione, & deuote portare, ut inquit S. Tho. verum eas portando dupliciter peccare poſſumus. Primo, ſi illas habentes licentiosè uiuimus. 2. ſi erga illas aliquid uanum, illicitum, & ſuperſtitioſum obſeruetur quod non pertineat ad Dei, & Sanctorum reuerentiam, ut quod vas ſit triangulare, & huiuſmodi. 3. ſi furtiue ſubtrahantur, etiam ut honorificentius reponantur, niſi eſſent apud infideles, qui earum ſunt iniuſti poſſeſſores. 4. ſi uenales exponuntur, quod dupliciter fieri poteſt, ut inquit Abbas. Primo, cum uerè uẽduntur, & accipitur precium; nam tunc eſſet Symonia, at ſi eſ-

S. Th. 2.2. q. 96. ar. 4.

Abb. in c. cũ ex eo. de Rel. & Ven. Sãc.

ſent

ſent apud infideles, & pro illis daretur pecunia, non eſſet ſymonia, nec illicitum, quia non daretur cauſa emptionis, ſed ut ab iniuſto poſſeſſore auferantur. 2. exponuntur uenales cum paſſim oſtenduntur cauſa quæſtus, vt habeantur largiores oblationes, quod intellige ſi propter hoc principaliter fit, ſecus ſi principaliter fieret cauſa deuotionis. 5. ſi ſine auctoritate Summi Pontificis, uel ſaltem Epiſcopi loci uenerentur nouæ Reliquiæ; Vbi notandum eſt, quod nouæ Reliquiæ, ſiue antiquæ nouiter repertæ, ſi non ſunt alicuius ſancti canonizati, non ſunt publicè uenerandæ, ſine auctoritate Summi Pontificis ad quem ſpectat Sanctorum canonizatio. Si autem Reliquiæ nouiter repertæ ex aliqua ſcriptura, uel alijs coniecturis iudicentur alicuius Sancti canonizati, antequam exponantur publicè adorandæ id Epiſcopo ſignificari debet, cuius eſt iudicare an illæ ſint ſufficientes cauſæ ad credendum eas eſſe illorum Sanctorum Reliquiæ. Nec ob id damnandi ſunt illi, qui oratione priuata commendant ſe illis quos ſciunt ſanctè vixiſſe, & ſanctos eſſe piè credunt; & reuerenter eorum reliquias ſeruant; non tamen debent illas ita tenere, ut ſanctorum canonizatorum ſuper altari cum lumine, ut ab ingredientibus domum etiam uenerentur, ſine Prælati licentia.

De ſuperſtitionibus in Cultu Diuino, quomodo cognoſcantur ſuperſtitioſæ orationes, & An verba ſacra poſſint ad collum portari.
Cap. X.

Tertio peccat contra hoc preceptũ, qui pernicioſũ, uel ſuperſtitioſum cultũ Deo exhibet. pernicioſus cultus eſt, qui cæremonijs mendacibus falſitatem aliquam præſeferentibus redditur, quales ſunt cæremoniæ iudaicæ, quæ ſignificant Meſſiã uenturum, & in iſtis peccatur mortaliter. Superſtitioſus cultus eſt ille, qui cæremonijs exhibetur, quæ neque ad Dei gloriam, neque ad ſubijciendam carnem ſpiritui, & ſpiritum Deo, quicquam conferunt, qualis eſt cæremonia orandi cum tot candelis accenſis, audiendi ſacrum alicuius, qui tali nomine uocetur, & cum tot candelis, colligendi herbas in die S. Ioannis credendo, quod tali die collectæ, ſint maioris virtutis, & huiuſmodi, quæ non ſemper ſunt mortalia, propter ſimplicitatem, & ignorantiam.

De ſuperſtitionib. in Diuino cultu.

[Sex regulę ad cognoſcēdū ſuperſtitiones in orationibus, & an poſsint ad collum portari.]

Sed quia multæ orationes portantur ad collum, & etiam dicuntur pro ſanitate, vel alia gratia obtinenda, videndum eſt quādo ſint ſuperſtitioſæ, & an portari poſſint. Et pro ſuperſtitionibus eis inſertis dignoſcendis, ſex ſunt regulæ. Prima, ut nihil falſi contineant, non ſolum contra ſacram ſcripturam, ſed etiam contra uitas Sanctorum, utramque enim fidem diabolus conatur euertere, imo aliquando ueritas ſalſiſſimè, & impijſsimè ratione ſimilitudinis, & comparationis exprimitur, ſicut cum aliquid dicitur, ita eſſe uerum ſicut, quod Chriſtus ſit natus de Beata Virgine, uel quod Deus ſit Deus. Secunda, ut nihil uani contineant quales ſunt aliquæ uetularum orationes ad infirmitates curandas, quæ ſunt potius ridiculoſæ, quia hoc repugnat diuinæ ſapientiæ. Tertia ne alios characteres habeant præter ſignum crucis, quia alij ad dæmonum inuocationem pertinent. Quarta, ne habeant nomina incognita, quia ſunt dæmonum. Quinta, ne in eis ſit uana obſeruatio, in modo, uel tempore ſcribendi, legendi, portandi. Sexta, maximè notanda, ne in eis prænotetur, quod qui hæc breuia portauerit, uel has orationes dixerit, tale malum euitabit, vel conſequetur tale bonum, nec etiam portentur, uel dicantur tali animo, quaſi ſibi hæc quis ob illa promittat, quia hoc eſt à dæmone, qui dum ſic nos ſecuros reddit, facit, ut nos periculis exponamus, & liberius peccemus, ut in peccatis moriamur, & etiam quia Deus nulli orationi, nullis uerbis infallibilem temporalem effectum promiſit, & ratio eſt, quia hæc bona temporalia aliquando ſunt nobis mala, & nociua; & propterea cum reſignatione uoluntatis petenda ſunt, quatenus ſint ad maiorem Dei gloriam, & pro animarum ſalute. Si ergo diceretur ipſamet Oratio Dominica cum hac firma ſpe, quod prius reuelabitur hora mortis, quod ſcientia diuinitus infundetur, quod latrones, & inimici nocere non poterunt, eſſet ſuperſtitioſum; Si nihil horum ſit, orationes illæ, uel aliqua uerba Sacræ ſcripturæ, ut Euangelium S. Ioannis, poterunt ad collum portari, nec eſt ſuperſtitioſum. Dices ad quid oportet portare, quod enim non efficiunt audita, & prolata, non efficient etiam portata. Respondetur, quod cum diuerſis rationibus ad rem ſacram nos habeamus, ſeu res aliqua ſacra diuerſis rationibus ſit inſtrumentum diuinæ uirtutis, Deus aliquando operatur per unam illius rationem, & non per aliam, vt in omnibus appareat eius uirtus, & creſcat in nobis honor, & reuerentia, quæ rebus ſacris debetur. Exempli gratia ali-

[Quod poſſint portari.]

quan-

quando ſola adoratione reliquiarum exaudimur, aliquando non niſi etiam per earum contactum, Verbum etiam diuinum aliquando auditum, aliquando prolatum, aliquando portatum operatur, ſemper tamen creditum, aliquando etiam per ſe ſolum, aliquando non niſi adiuncta inuocatione alicuius Sancti, imo etiam aliquando hæbraice ſcriptum in teſtimonium ſanctitatis illius linguæ in qua Deus, & Chriſtus locutus eſt. Vnde legitur de Sanctis Bartholomeo, Barnaba, & alijs, quod infirmos curabant Euangelium eis ſuper ponendo, & multi Religioſi publicè, & notoriè dant breuia infirmorum collo alliganda, ut Dominicani breue S. Vincentij de quo multa uidentur miracula, & ſenſibiliter uidemus Euangelium poſitum ſuper dæmoniacos habere maximam uirtutem, Quod etiam portare ad collum aliquas orationes, & aliqua uerba ſacra ſit maxime utile ad excitandam deuotionem, & ad promerenda Dei beneficia, probatur, quia certum eſt Verbum diuinum creditum, & prolatum eſſe ſummæ virtutis ad impetrandum, defendendum, & adiuuandum, ſed cum actualiter non poſſimus ſemper illud proferre, & meditari, illud alligatum portare in ſignum, & teſtimonium, quod ſemper habemus cor ad Deum, & in illo ſolo ſperamus, bonum, & Sanctum eſt, procedens ex corde religioſo, & feruenti, Vnde uidemus, quod Eccleſia in laudem S. Ceciliæ canit, quod ſemper Euangelium Chriſti in pectore gerebat.

De ſuperſtitioſis orationibus.

Illæ autem orationes in quibus aliqua ſuperſtitio, ſecundum prædictas regulas apparet, etiam ſi reliqua ſint bona, & Sancta, ſunt omnino relinquendæ, etiam ſi aliquando ſequatur effectus, ut ſanitas, ſolutio maleficij, inuentio rei perditæ, quia ſunt à diabolo Deo noſtris peccatis id exigentibus permittente, & ſi effectus etiam eſſet talis, quod uideretur eſſe à ſolo Deo, adhuc eſſent relinquendæ, quia Deus multa concedit iratus, & in pœnam, non enim indiget Deus mendacio, aut vanitatibus, ut eis mediantibus ſua dona nobis concedat, ſed eorum iuſta damnatio eſt, qui faciunt mala, ut inde eueniant bona, & melius eſt omnia pati, & mori cum Dei gratia, quam diaboli opera ſanari, & uniuerſum mundum lucrari.

An in exorciſmis poſsint naturalia contra dæmones aſſummi Et vana vanis retundi. De peccatis, quæ exorcizantes committunt.

Cap. X I.

De peccatis in maleficiorũ ſolutione, & abuſu exorciſmorum.

SEd quia aliqui dicunt eſſe tolerabile contra maleficiatos, & dæmoniacos retundere uana uanis, & applicatio herbarum, quæ fit contra ipſos uidetur res uana, cum non poſſint agere in ſpiritum, uidendum eſt, quæ peccata in maleficiorum ſolutione, & in abuſu exorciſmorum committantur, & ut rem plenius, & diſtinctius explicemus ſequentes ſubijciemus Concluſiones, quarum Prima ſit. Nulla res ſenſibilis naturali uirtute poteſt agere in dæmonem, & ratio eſt, quia ſunt ſpiritus, & uirtus corporea non poteſt naturaliter agere in ſpiritum, nam agens eſt præſtantius paſſo, licet ipſi ad decipiendum ſæpe fingant ſe á quibuſdam herbis, & lapidibus cogi, & alligari.

Prima cõcluſio.

Secunda cõcluſio.

Secunda Concluſio. Aliqua naturalia poſſunt mitigare uexationem dæmonis, non tamen poſſunt illum totaliter expellere, ſed requiritur uirtus diuina; nam licet non poſſint agere in dæmonem, agunt tamen in uexatum á dæmone, qui uexat, & nocet mediantibus cauſis naturalibus, & per applicationem contrariarum cauſarum uexatus alleuiatur; id etiam, quod minuit perceptionem nocumenti, alleuiat afflictionem, ſicut melodia, ſed quia dæmones poſſunt applicare alia contraria, quibus illa nihil, aut parum proſint, ideo non ſufficiunt naturalia, ſed requiritur contra ipſum diuina uirtus, & qui ſolis naturalibus dæmones expellerent, & non per inuocationem diuinæ uirtutis, malefici eſſent cenſendi ex dæmonis pacto.

Tertia cõcluſio.

Tertia Concluſio. Aliquæ res naturales quatenus in exorciſmis ad ſignificandum aſſumuntur, ratione illius ſignificationis habent uim contra dæmones. Pro cuius explicatione notãdum eſt, quod triplex poteſt eſſe ſignificatio ob quam res naturales cõtra dæmones aſsũptæ, illos torqueãt. Prima eſt ſacrorũ myſteriorũ, ut ruta aſſumitur ad ſignificãdã paſſionẽ Chriſti, Incenſũ, orationẽ, ſal, æternã ſapiẽtiã. Secũda eſt ignis æterni quo cruciatur, & hac ratione adhibetur ignis, & dæmonũ nomina, & maleficia cõburũtur. Tertia eſt cõtemptus, & uilipendij dæmonum, & hac ratione fiunt quædam uana contra ipſos, qui tanquam ſuperbi cum ſic contemni ſe uideant, torquentur, & aliquando diſce-

diſcedunt,& in hoc ſenſu concedimus licere uanis,retundere va-na,ſed illa vana non ſunt vanè aſſumpta, ſed alta ſapientia ad illorum contemptum, ſic multi ſancti viri (ut inquit Gul. Pariſienſis)ſanarunt dæmoniacos,& maleficiatos expuentes in eos,dicit etiam, quod romani perfuſione vrinæ ſoluebant maleficia, & ut dicunt Sylu. & Auctor Mallei Malleficiatorum ſæpe expertum eſt dæmonem ſiluanum ab inquietando podicis prægrandi crepitu deſiuiſſe. & eos,qui ad amandum maleficiati fuerant, ſumpto recenti ſtercore illorum,ſeu illarum quos,uel quas diligūt, & poſito in ocrea, uel calceo, calceant ſe, & quam primum ſentiunt fetorem ſæpe liberatos fuiſſe.

Gul.ſecūdæ partis principalis,p. 2.c. 21.

Quarta Concluſio,ſimpliciter,& omnino uanis,nullo modo licet uti,dico ſimpliciter,& omnino uanis, quia ſunt aliquæ uanæ obſeruationes,quæ ut à ſimplicibus,& ex deuotione fiunt ratione ſimplicitatis,fidei,& deuotionis, cum qua ſunt factæ, Diuina virtus per eas aliquando operatur,ut eſt collectio herbarum in die S.Ioannis, quæ herbæ ex fide, & deuotione, pura quadam ſimplicitate ab aliquibus ſeruantur. Illæ igitur obſeruationes ſunt omnino uanæ,quæ nullam habent uim, nec ex diuina inſtitutione,nec ex naturali uirtute,nec ſunt tales,quæ poſſint referri ad aliquod ſacrum miſterium in Dei gloriam, aut quæ poſſint ex contemnentis animo applicari contra dæmonis ſuperbiam, vel ſi poſſunt,non ſic aſſumuntur, Iſtæ omnes uanæ obſeruationes omnino ommittendæ ſunt, & ſi quid aliquando operantur, ex dæmonis pacto operantur, etiam ſi fiant per perſonas honeſtas,& uerbis,& orationibus ſacris adiunctis, nam dæmones licet immundicijs contemnentis animo, contra eos aſſumptis, ut ſuperbi confundantur,nihilominus ut ſpiritus immundi,immūdicijs ad ſuperſtitionem ſummopere delectantur, & propterea ita conceditur retundere uana uanis, vt attendenda ſit qualitas perſonæ, quod de ea præſumatur, quod prædicto modo illa aſſummat,quæ etiam ſic illis uti debet,quod circunſtantibus manifeſtum ſint ex modo exprobrandi,quod ad confundendam dæmonis ſuperbiam eis utitur. Nec excuſat quorundam cautela, qui cum uident mirabiles effectus ex quibuſdam uanis rebus, operationibus, & obſeruationibus ſequi, eis utuntur cum hac proteſtatione,quod ſi effectus illi,& ſanitates ſunt à diabolo, & illæ obſeruationes ſunt ſuperſtitioſæ non intendunt eis uti, nec eis mediantibus conſequi effectus, ſed ſolum quatenus ſunt licitæ,& effectus ſunt à Deo,nam tunc iſta cautela eſt bona, & prodeſt quādo dubium eſt an ille obſeruationes ſint ſuperſtitioſæ,

Quarta Cōcluſio.

De quorūdam cautela.

uel perſona tanquam ſimplex, non agnoſcit earum ſuperſtitionẽ quo caſu uidemus, quod ſtante dicta proteſtatione non ſe quitur effectus, at quando ſcitur illas obſeruationes eſſe ſuperſtitioſas, & ſimplices, & ignari intellexerunt eas à ſuis confeſſarijs, vel à uiris peritis damnari, proteſtatio non excuſat, & cum peccato fiunt, quia proteſtatio eſt contraria facto, & ſi effectus ſequuntur, ſunt à dæmone, qui maleficijs operatur, etiam ſi multa ſacra eis admiſceantur.

De peccatis, quæ fiũt in curationib', & exorciſmis.

Peccat igitur quis multipliciter exorcizando dæmones, & maleficiatos, & curando orationibus infirmos. Primo ſi maleficijs maleficia ſoluit, licet enim, qui maleficium fecit, aut ſcit, poſſit illud ſoluere lacerando, comburendo, & ſoluendo ea quibus maleficium factum fuit, non tamen alio maleficio, etiam ab exiſtente parato maleficia ad maleficiorum ſolutionẽ exercere; in quo errauit Ang. 2. ſi vanis obſeruationibus ad ſanandum utitur, licet multas bonas, & Sanctas orationes etiam dicat. 3. ſi antequam adhibeat exorciſmos non benè conſiderat an illi tales ſint maleficiati, uel à dæmone obſeſſi, nam hodie melancolici, ſtulti, & diuturna infirmitate afflicti, communiter iudicantur ab ignaris maleficiati, & uolunt eos exorcizari, quod uergit in iniuriam exorciſmorum, & datur occaſio aſtantibus dubitandi de ueritate maleficiorum, & de uirtute exorciſmorum. 4 ſi potiones medicinas, & clyſteria illis dat, etiam ſi medicinas illas in libris de hoc tractantibus inuenerit, nam iſtæ dantur non quia habeant virtutem contra dæmones, ſed ut cauſæ naturales, contra infirmitates ab eis inductas, ut contraria contrarijs curentur, unde medicis hanc curam relinquere debet, & dãdo grauiter peccat, & aliquando etiam mortaliter, & ſi inde ſequatur mors, eſt irregularis: inſiſtat ergo ſolis exorciſmis, & orationibus, qui tamen poterit benedicere cibos quibus ueſcuntur, & etiam medicinas, quas eis medici dant. 5. ſi cum dæmonibus habeat familiaritatem, familiariter cum illis loquendo, ridendo, illos orando, vt diſcedant, uel aliquid dicat, vel uana, & curioſa ab eis perendo, quia debet cum illis tanquam cum Dei, & ſalutis noſtræ inimicis, mendacibus, & omni iniquitate repletis, exprobrando, & tanquam poteſtatem habens Dei uirtute, & ut Dei miniſter, agere.

De peccatis ratione diuinationum, & librorum, & familiaritatis cum infidelibus, & an liceat in eodem balneo cum Iudæis ſe lauare. Cap. XII.

QVarto contra hoc præceptum peccat, qui diuinationibus dat operam, & cum multæ ſint diuinationum ſpecies. Primo peccat, qui ex aſtris de rebus futuris ex libero arbitrio dependentibus iudicat, & quid futurum ſit diuinat, vel ad ſic diuinantes accedit; nam liberum arbitrium non ſubditur aſtris, quæ licet ratione corporis in quod agunt inclinent, non tamen cogunt, & (ut dicitur) ſapiens dominabitur aſtris, nec ſolũ ſapiens, ſed quilibet poteſt agere, & ſæpe agit contra eorum inclinationem. 2. peccat etiam, qui ex aſtris de rebus futuris contingentibus certò aliquid affirmat, nã licet hæc maximè ex aſtrorum influxu pendeant, poſſunt tamen multipliciter impediri, & ex aſtrorum concurſibus, qui non plenè intelliguntur; & etiam ſi perfectè intelligerentur, poſſunt impediri, quatenus homo ad illa cooperatur, & ab Angelis ſub quorum cura ſunt, & etiam à Diuina prouidentia. 3. peccat qui ex alicuius cõplexione, uel phiſiognomia vult certò colligere, quæ ei inuita euentura ſint, ut gradus, honores, & infortunia, nam licet tam ex his, quam ex aſtris poſſint cognoſci inclinationes, nõ tamen poſſunt præcognoſci liberè euentura; & non ſolum illa, quæ ex aliorum dependent uoluntate, ſed nec etiam ea, quæ ex ipſius voluntate dependent, quia uoluntas non ſubditur corporis inclinationibus, ſed illas ſuperare, & cõtrarium agere poteſt. 4. peccat, qui ex eo, quod audit aues garrire, lupos vlulare, boues mugire, &c. & ex eo, quod obuiauit lepori, mulieri grauidæ, & huiuſmodi, credit aliquid ſibi proſperi, vel mali euenturum, nam licet ex animalium uocibus, & alijs ſignis ab eis ſumptis, temporum qualitates. ſ. ſerenitas, pluuia, uenti, ex naturali eorũ inſtinctu præcognoſcantur, humana tamen, ex illis præcognoſci non poſſunt. 5. peccat, qui ſortibus indebitè vtitur ad præcognoſcendum quid futurum, uel faciendum ſit. dixi, qui eis indebite, vtitur, quia poſſunt etiam licitè mitti; & triplex eſt Sors, diuiſoria, conſultoria, & diuinatoria, Diuiſoria, ad hoc vt ſit licita, duo requiruntur. Primum, vt prudenter fiat; Secundum, quod fiat ſine periculo communis boni, vel iuſtitiæ, quod fieret ſi forte eligerentur homines indifferenter ad regimen ciuitatis, vel animarum, quia ſors poſſet cadere ſuper indignos, ſecus ſi prius

De ſortibus.

eligantur idonei, & unus eorum pro pace ſeruanda, cum aliter concordare non poſſint, ſorte extrahatur: quæ duo etiam requiruntur ad ſortem conſultoriam, ita tamen quod iudicium expectetur à Deo, & reuerēter in caſu neceſſitatis, & pro re graui mittatur, quia aliàs eſſet tentare Deū, nō tamen omnis imprudētia, uel irreuerentia eſt mortalis. Sors diuinatoria eſt, quæ innititur ſocietati dæmonum explicitè, uel implicitè, & hæc eſt damnata, & mortalis. 6. peccat mortaliter, qui propter ſomnia committit, vel omittit aliquid, quod eſt de neceſſitate ſalutis, in cæteris vanis ſomniorumobſeruationibus peccatum eſt ueniale, eſſet autem mortale, ſi tantum ſomniorum obſeruatio creſceret, quod in crimen ſuperſtitionis cum diabolica illuſione, & tacita dæmonum ſocietate uerteretur, puta ſi tātum crederet ſomnijs, quod eis pro regulis ſuarum actionum uteretur. 7. peccat mortaliter, qui ut à ſuſpicione criminis, quod ſibi, aut alteri imponitur, ſe uel alterum liberet, ſumit, uel cogit ſumere aquam feruētem, ferrum candens, uel quid ſimile, aut prouocat ad duellum, uel prouocatus acceptat. 8. peccat mortaliter, qui interrogat, aut vult interrogare diuinos, circa aliquod furtū, uel aliquod aliud ſecretū, uel id ipſum ſortibus, aleis, chartis, libris, cribro, aſtrolabio tentat cognoſcere, peccat etiam mortaliter, qui percontatur illos, qui vulgo dicuntur Cingari de fortuna ſua, animo credendi, id quod ipſi dixerint; ex curioſitate tamen, & animo ridendi percontari, non eſt mortale, niſi ratione ſcandali; ut ſi eſſet perſona talis conditionis, quod ex eius interrogatione alij grauiter offendantur.

Ratione librorum.

Quinto, etiam ratione librorum multipliciter peccatur, & primo peccāt, qui hæreticorū libros tenent, aut legunt. 2. etiā peccāt, qui habent, & legunt libros pertinentes ad necromantiā vel aliquam aliam artem magicam, diuinatoriam, & incantatoriam. 3. peccant magiſtri, qui legentes diſcipulis ſuis libros, & fabulas poetarum, aduertunt, quod incipiunt credere illos, uel illas habuiſſe aliquam diuinitatem, ſicut illi libri dicunt, & non eos docent ueritatem catholicam. 4. peccant philoſophi, qui philoſophiam legentes cum ad Ariſtotelicos errores veniunt, dicunt ſecundum fidem catholicam tenendum eſſe contrarium, ſed ſecundum Philoſophiam, tenendum eſſe cum Ariſtotele, nā quando Ariſt. à catholica ueritate recedit, uera philoſophia, & ratio naturalis, non eſt illa, quam tradit Ariſt. ſed quam docet Eccleſia, uerum enim non contrariatur uero; quod etiam notatur in Conc. Later. ſub Leone x. 5. peccant, tam Magiſtri, quam

Con-

Concionatores,& Scriptores,qui in controuerſijs contra philoſophos, & hæreticos ponunt multa,& fortia pro ipſis argumēta, & pauca,& debilia pro ueritate catholica, nam uidentur illis fauere,& illos ſequi, nec eos excuſat proteſtatio, quam faciunt, quia eſt contraria facto. 6. peccant,qui imprudenter legendo, vel concionando hæreticorum, & Philoſophorum errores populo proponunt,licet pro uiribus,& docte illos confutent;quia ſimplices, & ignari facilius intelligunt contraria argumenta, quam illorum ſolutiones, propterea habenda eſt ratio auditorum. 7. peccant qui habent,& legunt libros inhoneſtos, & laſciuos, qui ad morum corruptionem pertinent.

De familiaritate cum infidelibus.

Sexto peccatur ratione familiaritatis cum infidelibus, ut Iudæis, & gentilibus, nam non ſolum peccatur participatione actuum infidelitatis, ſed etiam familiari infidelium cōuerſatione, quæ prohibita eſt ratione periculi, at firmi in fide de quibus non eſt periculum,ſed ſpes,quod infideles ad fidem conuertant poſſent cum eis etiam familiariter conuerſari, ob eandem rationem cōmunicatio in aliquibus actibus,qui familiaritatē important particulariter prohibetur fidelibus,ut cohabitare, ſimul cōmedere,&c. Sed dubium eſt an Christiani balnea cum Iudæis, ſanitatis cauſa ingredientes, peccent mortaliter: hoc dubium non multis ab hinc annis fuit tractatum,propter quendam Religioſum, qui cum ad balnea acceſsiſſet, & in illis eſſent quidam Iudæi uolebat illos abire, & aſſeueranter dixit Chriſtianos omnes,qui cum illis erant in balneis,peccare mortaliter, quod poteſt probari primo,ex ca.Nullus.28.q.1.vbi id prohibetur, clericis quidem ſub pœna depoſitionis, laicis uero excommunicationis. 2. quia Summiſtæ omnes Verbo Balneum,& Verbo Iudæus,abſolutè,& ſine ulla diſtinctione dicunt eſſe mortale,& Ca ict.& Armilla ſoli,dicunt,quod ſi ex incuria, aut aliqua rationabili cauſa ingrediantur,tolerari poſſunt,qui in hoc uidentur ſingulares,& communi ſententiæ contrarij, & propterea nō audiendi. Sed dico, quod ſi Chriſtiani ingrediuntur balnea in quibus ſunt Iudęi,non uoluptatis,nec ut iudęis ſe aſſocient, ſed ſanitatis cauſa,non peccant etiam uenialiter. Et probatur primo, quia in d.cap. Nullus, hęc omnia ſub eadem pœna Chriſtianis prohibentur,eorum azyma manducare,cum eis habitare,aliquem eorum in infirmitatibus ſuis uocare,medicinam ab eis percipere, & in balneo cum eis ſe lauare. & tamen omnes Summiſtę dicūt, quod in neceſsitate licet eorum azyma comedere, & in ſuis infirmitatibus illos uocare,non ſolum quando alius medicus non

De balneo.

ha-

habetur, ſed etiam quando non habetur ſufficienter peritus pro illa infirmitate, ita tenent Syln. Tab. Ang. Arm. S. Ant. Tur. Cre. & alij, & tamen d. cap. omnia prædicta ſub eadem pœna abſolutè prohibet, ergo qua ratione communiter à Doctoribus quo ad aliqua prædictorum expræſsè excipiuntur caſus neceſſitatis, eadem etiam intelliguntur excepti quo ad balnea. 2. quia neceſſitas facit licitum, & legi non ſubijcitur, c. licet, & ca. conqueſtus de ferijs, quod nō ſolum intelligitur de neceſſitate abſoluta, ſed etiam de oportuna, id eſt ſine qua uita cōmode ſuſtentari non poteſt, iuxta Gloſ. in d. cap. & communem. Sed balneum ſanitatis cauſa eſt neceſſarium, & Chriſtiani ſubditi non poſſunt prohibere iudæis, ne balneum ingrediantur, cum id eis à Principe permittatur, ergo neceſſitate excuſante poſſunt cum illis ſe lauare. Nec obſtat prima ratio incontrarium, quod pœna excommunicationis non ponitur niſi propter peccatum mortale, nam excommunicatio intelligenda eſt ſolum iuxta rationem, & intentionem canonis, intentio autem d. cap. non eſt prohibere Chriſtianis omne commercium cum iudæis, ſed ſolum familiaritatem, & ea quæ familiaritatem important, ergo ſi chriſtiani ſint in balneo cum Iudæis, etiam ſolum recreationis gratia, ita tamen, quod non acceſſerint cum illis, nec propter illos, nec eis in balneo ſe familiares exhibeant, ſed ſint ab eis ſeparati, nullam incurrunt excommunicationem, quia ſic propriè, & formaliter non ſunt dicendi eſſe cum illis, ſicut nec in itinere cum illis manducare, licet ſint in eodem diuerſorio, & in eadem menſa, ſed Chriſtiani in principio, & iudæi in fine, & conſequenter non contemnunt canonem, & non peccant ratione inobedientiæ, nam ex ſe non eſt peccatum, & in dicto caſu nulla eſt inobedientia. Nec obſtat ſecundum argumentum, nam licet Summiſtæ de balneo abſolutè loquantur, & non faciant iſtam limitationem, illam tamen non negant, & uirtualiter faciunt, & illam ex prædictis exceptionibus quo ad alia, præſupponunt, etiam à fortiori, tanquā notam, nam maior familiaritas eſt inter medicum, & infirmum, quam ſit in balneo, quando non acceditur cum illis, nec propter illos.

Circa prædicta aduertatur, qui caſus ſint reſeruati, & qui nam habeant annexam excommunicationem, de quibus ſuperius proprio loco.

De Secundo Præcepto Decalogi.

De Iuramento.

Quid, & quotuplex ſit Iuramentum, de illius conditionibus, & de peccatis, quæ iurando committuntur.
Cap. XIII.

SEcundum præceptum eſt de non aſſumendo Dei nomine in uanum, quod non ſolùm blaſphemando, ſed etiam indebitè iurando, & uouendo, & debita iuramenta, & uota non ſeruando, præcipuè transgredimur. Et de ſingulis breuiter agemus, & primo de Iuramento.

Iuramentum, quid & quotuplex.

Iurare eſt Deum teſtem inuocare, quaſi pro iure introductum ſit, vt quod ſub inuocatione diuini teſtimonij dicitur, pro uero habeatur. Et iuramentum primo diuiditur in aſſertorium, & promiſſorium, & utrumque fit, uel per ſimplicem Dei conteſtationem, vel per execrationem. Iurare autem per creaturas ita vt eis diuina adhibeatur reuerentia, nullo modo licet, ſed benè poteſt ſecundario per eas iurari, quatenus in eis diuina ueritas relucet, & manifeſtatur, ſicut per Euangelium, & per Sanctos; at in iuramento per execrationem inducuntur, creaturæ quas diligimus, vt in eis diuinum iudicium exerceatur.

De illius conditionibus.

Tres ſunt conditiones requiſitæ iuramenti, quæ traduntur Hier. 4. Iurabis in ueritate, in iudicio, & in iuſtitia, nam ad bonũ vſum iuramenti duo requiruntur. Primo, quod aliquis non leuiter, ſed cauſa neceſſaria diſcrete, & reuerenter iuret, & quantũ ad hoc requiritur iudicium ex parte iurantis, 2. quantum ad id, quod per iuramentum confirmatur, vt. ſi non ſit falſum, neq; illicitum, & quãtum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis iuramento confirmat, quod verum eſt, & iuſtitia per quam confirmat, quod licitum eſt. Iudicio caret, iuramentum incautum, veritate, iuramentum mendax, iuſtitia uero, iuramentum iniquũ ſiue illicitum. Si deeſt iudicium, ſiue reuerentia, communiter peccatum eſt ueniale, & etiam ſi deeſt leuis iuſtitia, ut ſi ſit de illicito ueniali perpetrando, ſecundum Caiet. & Nau. At ſi deeſt tanta iuſtitia, ut ſit de eo, quod eſt mortale, & ſi deeſt ueritas, peccatum eſt mortale.

De peccatis.

Primo igitur mortaliter peccat, qui iurat per falſos Deos, ſed nihilominus tenetur iuramentum ſeruare, & non ſeruando, peccat etiam mortaliter, peccat etiam, qui ſine neceſſitate idolatrā ad iurandum inducit, at in neceſſitate licitè ab eo iuramentum exigitur, nam ut inquit S. Bon. in iuramento facto per idolum duo conſiderantur, ipſius idoli ueneratio, & exterioris uerbi cō firmatio, habendo reſpectum ad primum nulli licet, neq; recipere, neq; exigere iuramentum ab idolatra, at utrunq; licitum eſt in neceſsitate, & maxime pro utilitate communi, habendo reſpectum ad ſecundum, quæ omnia patent, 21.q.1.cap.mouet.

S. Bon. 3. ſent.

De falſitate iuramēti aſſertorij.

Secundo, peccat mortaliter, qui falſum iurat iuramento aſſertorio, etiam ſi iuramento confirmetur mendacium leue, & officioſum. Verùm tripliciter contingit iurare falſum. Primo, cōpletè materialiter, & formaliter; quando.ſ.quis iurat id, quod ſcit eſſe falſum. 2. formaliter tantum, quando quis iurat, id quod credit eſſe falſum, licet in ſe ſit uerum, & hoc non excuſat à mortali. 3. materialiter tantum, ut cum quis iurat falſum credens eſſe uerum, quod iuramentum eſt temerarium, nam debebat magis certificari, & poteſt eſſe ueniale.

De falſitate iuramēti promiſſorij.

Tertio, peccat mortaliter, qui falſum iurat iuramento promiſſorio, vbi notandum eſt, quod aliter ſumitur ueritas in iuramento aſſertorio, aliter in promiſſorio, in aſſertorio, quia eſt de re præterita, uel præſenti, ueritas ſumitur ex eo, quod ita eſt, vel fuit; at in promiſſorio, quia eſt de re futura, duplex requiritur veritas. Prima, tunc quando iurat, ut uerè intēdat facere, quod iuramento facere promittit. Secunda, tempore pro quo iurat, nam tenetur tunc facere, ut ſit uerum id, quod iurauit, alioquin iuramento deeſt ueritas, At ſi talis res eſt, quæ in eius poteſtate non fuit, deeſt iuramento diſcretionis iudicium, niſi fortè, quod erat ei poſsibile, quando iurauit reddatur ei impoſsibile, per aliquem euentum, puta ſi iurauit ſe ſoluturum pecuniam, quæ ei poſtea furto ſubtrahitur, nam tunc excuſatur à faciendo, quod iurauit, licet teneatur facere, quod in ſe eſt. Si uero eſt ei poſsibile, ſed fieri non debet, uel quia eſt per ſe malum, uel quia eſt impeditiuum melioris boni, iuramento deeſt iuſtitia. Et ſicut diximus de iuramento aſſertorio, ita etiam de promiſſorio dicimus, quod tripliciter contingit iurare falſum. Primo, materialiter dum quis iuramento promittit aliquid, quod facere intendit, ſed tamen poſtea non facit, & ſi id eſt tale, quod poſſit, & debeat fieri, tunc peccat mortaliter, ſi non debet fieri peccauit quādo iurauit, mortaliter, uel uenialiter, iuxta qualitatem eius

quod

quod iurauit facere, ſi non poteſt fieri, & impoſsibilitas eſt ex aliquo euentu ſine eius culpa, excuſatur, at ſi impoſſibilitas fuit præuiſa, mortaliter peccauit iurando. 2. formaliter tantum, ut cum quis iurat ſe aliquid facturum, quod non intendit facere, ſed tamen poſtea facit, & iurando nihilominus peccauit mortaliter. 3. materialiter, & formaliter, quando promittitur fieri, quod fieri non intenditur, & non fit.

De iuramentis factis non ſecundum intentionem dantis iuramentum, Et quando liceat ſecundum propriam intentionem iurare, & dicere non feci, non uidi. Cap. XIIII.

QVarto peccat mortaliter, qui iurat uerbis æquiuocis, tam in iuramento aſſertorio, quam promiſſorio, & nõ ſecundum intentionem illius, qui ab eo iuramentum exigit, quando ad illius intentionem reſpondere tenetur. Sic primo peccant reus, & teſtis, qui à iudice competente ſeruato iuris ordine interrogantur, iuramento præſtito de ueritate dicenda, etiam ſi uerum dicant, ſecundum propriam intentionem, ſed falſum, ſecundum intentionem Iudicis, & etiam ſi id faciant ad ſaluandam propriam, uel alterius vitam, imo tenentur etiam ueritatem dicere ſub mortali, ſi ſine iuramẽto interrogentur, nam cum iure interrogentur tenentur dicere, veritatem, ſecundum intentionem Iudicis. 2. peccat, qui tempore peſtis uenit ex loco infecto, & ſub iuramento interrogatus ad portas alicuius Ciuitatis à cuſtodibus, doloſè contra intentionem interrogantium reſpondet, ſe non uenire ex illo loco, vt dicunt Sylu. & Nau. 3. vendens rem aliquam, & interrogatus ſub iuramento de aliquo occulto impedimento, quod emens non poteſt tunc detegere, & iurat falſum, ſecundum intentionẽ iurantis, & verum, ſecundum propriam, nam emens ſub iuramẽto decipitur, & damnificatur. 4. peccat, qui ſe ipſum ultro offert ad iurandum nulla neceſſitate, aut utilitate coactus, nã qui ſponte iurat, debet iurare, ſecundum intentionem illius cui iurat, cum enim nulla ſit ratio ob quam iuret, non debet iurare, vel ſi iurat ſine fraude iurare tenetur.

De iuramẽto verbis æquiuocis facto. Quando debet eſſe ſecundum intẽtionem illius cui iuratur.

Verum quando quis indebite, & contra iuſtitiam cogitur iurare non tenetur iurare ſecundum intentionem cogentis, ſeu ad iurandum inducentis, neque ob id mentiri debet, & contra propriam intentionem iurare, quia eſſet periurus, & peccaret mortali-

Quando poſsit iurari ſecundum propriam intẽtionem, & quomodo.

taliter,ſed poteſt ita accommodare uerba; quód ſint uera,ſecun
dum propriam intentionem , & falſa ſecundum intentionem iu-
ramentum exigentis:quibus autem uerbis id facere poſsit, diffi
cultas eſt propter Sotum,qui dicit, quod poteſt occultare uerũ
uerbis æquiuocis,ſed non uerbis planis, ſecundum communem
intellectum id ſolum ſignificantibus, ut interrogatus an aliquid
uiderit,audiuerit,fecerit, non poteſt reſpondere non uidi ; non
audiui,non feci,intelligendo tali die,tali hora,uel anno, uel ut ti
bi dicam , quia licet non teneatur reſpondere ad intentionem
interrogantis , tenetur tamen eis uerbis ſecretum celare , quæ
in aliquo ſenſu recepto apud vulgus, uel apud ſapientes ſint ue-
ra,aliàs mentitur,& oratio non feci , facit ſenſum uniuerſalem ,
nunquam feci,unde ſi iurando ſic reſpondet eſt periurus, ſed de
bet uti uerbis æquiuocis ; & dat exempla ſi dicatur alicui iura
mihi;poteſt reſpondere uro, (abſque,i,) ſi interrogetur an com
miſerit homicidium occultum,poteſt reſpondere iuro me nemi
nem occidiſſe,quia poteſt eſſe ſenſus me à nemine fuiſſe occiſũ,
at ſi detecta æquiuocatione magis in particulari interrogetur ,
an ipſe occiderit, dicit, quod ſi non occurrit æquiuoca locutio ;
non poteſt reſpondere non occidi,intelligendo tali die,uel ut ti-
bi dicam,ſed ſi non poteſt alia uia ſubterfugere , debet ſimplici-
ter confiteri ſe occidiſſe,& potius pati mortem , quam mentiri .

Soti ſentẽtia de iuſt & iur. lib. 8.q. 1.ar.7 in fine . & de rat. teg.& de teg.ſecretum mẽb. 3.q.3.

Quæ Soti ſententia Nauarro uidetur duriſsima , ideo cum alijs
dicimus,ſuppoſito quod cogatur reſpondere,& iurare;quod po
teſt reſpondere ſe neſcire intelligendo, ut illi dicat , & ſe non fe-
ciſſe,nec uidiſſe,nec audiuiſſe, intelligendo ut illi dicat , uel tali
die,tali hora,uel anno . & ſic reſpondendo non mentitur, nec eſt
periurus,nam formalis ratio mendacij non ſumitur ab intentio-
ne falſitatem in alterius mente conſtituendi , nam aliàs , qui ad
celandam ueritatem uteretur verbis æquiuocis mentiretur, ſed
conſiſtit in hoc,quod aliter dicitur,quam ſit in mẽte, unde men
tiri eſt contra mentem ire;qui ergo ſecundum ſuum ſenſum ve-
rum dicit,licet alij credant eſſe falſum, non mentitur ; Vt autem
ſic reſpondere liceat,quatuor cum Syluestro cauenda ſunt . Pri-
mo, ne ſcandalum oriatur , quale communiter non eſt , quando
quis iniuſtè, & uiolenter cogitur,nam tũc à bonis,& peritis,eius
uerba ad redimendam uexationem , uerè ſecundum propriam
mentem interprætantur dicta . 2. quod non ſic reſpondeat in
iuſto,& uero iudicio. 3. quod nec etiam extra iudicium ſic re-
ſpondeat,quando tenetur dicere uerum , ſecundum intẽtionem
interrogantis. 4. quod non iuret niſi coactus ex ſuppoſitione
ali-

Cõtraria ſententia.

alicuius finis. Hæc ſententia eſt magis pia, quatenus liberat ab infinitis ſcrupulis, nam hominum curioſitate, & importunitate, qui aliorum facta ſcire uolunt sæpiſsime ita reſpondendum eſt, ut eis occultetur ueritas, ex qua ſæpe multa orirentur ſcandala, & hac ratione obuiatur ſcandalis, & ſic reſpondentes liberantur à mendacio; Ita tenent inter alios Adrianus, Sylu. & Nau. & Ang. de Peru. & Ioa. de Anan. citati à Nau. in huius confirmationem, citant reſponſionem, S. Franciſci, nam rogatus qua perrexiſſet quidam homicida, qui iuxta eum tranſierat, manus per manicas immitens, reſpondit non tranſiſſe illac. ſ. per illas manicas. Ad quod etiam facit illud Mar. 13. De illo die nemo ſcit, nec filius hominis. ſ. ut reuelet. & cap. humanæ aures 22. q. 5.

Adr. in 4. de Conf. dub. 10. & in quolib. 11. littera C. Sylu. V. Mendacium §. 6. Nauar. in Man. c. 12. num. 8. & 87. A.

Sed ut hæc exemplis clariora fiant, hac ratione excuſantur illi, qui coacti iurare, reſpondent id, quod eſt uerum, ſecundum propriam intentionem, & falſum, ſecundum intentionem illius cui iuratur dicendo, neſcio, non feci, non uidi. ſ. vt tibi dicam, vel non feci in tali loco, uel die. Primo, qui interrogatur de crimine à non ſuo iudice. 2. qui interrogatur à ſuo iudice, ſed non iuridicè, quia interrogatur de delicto occulto, ſine ſemiplena probatione, ſine præuia infamia, ſine ſufficientibus indicijs. 3. confeſſarius, qui interrogatur de auditis in Confeſſione. 4. vxor, quæ à marito ad iurandum compellitur, ut ueritatem dicat de commiſſo adulterio, quia id iniuſte facit. 5. qui tempore peſtis uenit ab urbe. non infecta peſte, quæ tamen à cuſtodibus ciuitatis, quam vult ingredi creditur infecta, iuxta Nau. at ſi ueniſſet ex loco infecto teneretur reſpondere, ſecundum intentionem cuſtodum. 6. mulier, quæ habet ſecretum impedimentum ratione cuius, nec vult, nec poteſt habitare cum viro, & propterea excommunicationis ſententiam patitur, in articulo mortis conſtituta, ut ei dentur Sacramenta, poteſt, & debet iurare ſe cum marito uitam facturam, concipiendo intra ſe (ut inquit Nau.) ſi id ſine peccato fieri poteſt, & ſi conualuerit, & ad maritum non redierit, non erit rea periurij. 7. qui iurat ſe non habere rem, quæ ab eo dono, uel mutuo petitur, intelligendo, ut det, ſi non tenetur illam ei dare, ut inquit Nau. 8. qui interrogatur an locutus ſit de his, quæ in conſilio, vel congregatione tractata ſunt, ſi locutus eſt de rebus minime præiudicantibus, & quæ iuxta mentem ſtatutorum non ſunt ſub ſilentio tenenda, poteſt iurare, & reſpondere, ſe nihil de his locutum fuiſſe, intelligendo de his, quæ tacere iuxta mentem ſtatutorum tenebatur, ne ex illa congregatione eijciatur.

Exemplis declaratur.

Quot

Quot modis iuramentum dicatur illicitum, & de obligatione iuramenti, quod uergit in deteriorem exitum; Quod eſt de re omnino indifferenti, Et quod eſt illicitum ob defectum circunſtantiæ.

Cap. XV.

Iuramentum illicitum octo modis. Gloſ. & Tur. Cre. in c. quod autem. 22 q. 4.

QVinto, peccat mortaliter, qui iuramentum non adimplet, quando obligat. & propterea uidēdum eſt, quando obliget. & primo de illicito. Vbi notandum eſt ex Gloſ. & Tur. Cre. quod iuramentum illicitum dicitur octo modis. Primo, ex perſona iurantis, ut cum iurant impuberes. 2. ex perſona cui iuratur, ut ſi clericus iuret laico. 3. ex eo, quod iuratur, ut ſi iuretur malum. 4. ex eo per quod iuratur, ut ſi iuretur per falſos deos, uel per creaturas. 5. ex fine ad quem quis uelit uenire per iuramentum, ut ſi ante electionem iuretur de indemnitate rerum Eccleſiæ, ut ſic eligatur. 6. ex cauſa, ut Herodes, qui propter ſaltationem iurauit filiæ Herodiadis dare quicquid peteret. 7. ex modo, ut cum iuratur temerè, uel indiſcretè; uel præter neceſſitatem; ut ſi quis iuret ſe non comeſturum; uel nunquam futurum clericum, uel iuret ex ira. 8. ex tempore, ut ſi ſolenniter iuret in quadrageſima niſi de pace componenda. Sed hos omnes modos poſſumus reducere ad tres præcipuos. Primus eſt, quando iuramentum, eſt illicitum ex eo, quod ratione rei quæ iuratur, uergit in deteriorem exitum. Secundus eſt de re leui, & uana, & omnino indifferenti, quæ non eſt materia iuramenti. Tertius, quia non eſt debite factum, & cum debitis circunſtantijs.

De iuramento, q̄ uergit in deteriorē exitum. Tur. Cre. in c. Si aliquid. 22. q. 4.

Primo loquemur de iuramento, quod uergit in deteriorem exitum. Et ut inquit Tur. Cre. ex Archid. hoc poteſt contingere, ſex modis. Primo, cum iuratur aliquid, quod eſt mortale in ſe. 2. cum iuratur aliquid ueniale. 3. cum iuratur aliquid indifferens, quod ex circunſtantia efficitur ueniale, uel mortale, ut ſi iurauit, quod non eſſet negociator, quod non locabit operas ſuas. 4. cum iuramētum excludit opus charitatis, ut quod non dabit eleemoſynam. 5. cum excludit opus, quod eſt de genere bonorum, ut quod non erit Epiſcopus, clericus, uel monachus. 6. cum excludit opus indifferens pia intētione pro Deo, uel proximo faciendum, ut quod non loquetur tali, uel tali, uel quod non intrabit domum illius. Sed iſtos omnes modos poſſumus cum S. Bonau. reducere ad tres. Primus, cum iuratur ali-

S. Bonau. 3. C.

quid,

quid, quod ex ſe eſt peccatũ. Secundus, cum iuratur aliquid, quod eſt impedimentũ perfectionis, ſeu melioris boni. Tertius, cũ iuratur aliquid in omnẽ euentũ, quod uno caſu uergit in ſalutis diſpendiũ, & alio in ſalutis profectũ. Iuxta quos tres ſubduntur concluſiones. Prima Concluſio Iuramentũ illicitum primo modo, quod. ſ. eſt de eo, quod eſt peccatũ, non obligat, ſed peccatũ fuit iurare, & peccatũ etiam eſt illud obſeruare, mortale, uel ueniale iuxta qualitatem peccati de quo fuit. Secunda Concluſio. iuramentum illicitum ſecundo modo, quod. ſ. eſt de eo, quod impedit ſpiritualem profectum, non obligat, & peccatum fuit iurare, ſed non eſt peccatum illud obſeruare, nam graue peccatum fuit iurare ſe nunquam aſcenſurum ad gradum perfectionis, & nunquam futurum religioſum, quia per hoc quodammodo impugnat ipſius iuſtitiæ perfectionem, & Spiritus ſancti inſpirationem, tamen qui id iurauit non peccat non intrando religionem, & manendo in ſeculo, ſed peccaret ſi inſpiratus non intraret ui iuramenti facti, quaſi obliget, quia nullo modo obligat. Tertia Concluſio, iuramentum illicitum tertio modo, quatenus uergit in ſalutis profectum, eſt obſeruandum; quatenus uerò uergit in ſalutis detrimentum non eſt obſeruandum, exempli gratia iuramentum meretricis de fidelitate ſeruanda ſuo amico, partim eſt licitum, & partim illicitum, nam quatenus iurat ſe adhærere illi, eſt illicitum, & non eſt ſeruandum, quatenus uero iurat ſe non adhærere alijs, eſt ſeruandum. Vnde Auguſt. dicit, quod meretrix iurans ſe ſeruaturam fidem ſuo locatori, iurando, & adhærendo ei mala eſt, peior autem iuramentum non ſeruando, & de raptore dicit, quod ſi iurauit ſe diuiſurum ſpolia cum alio, magis peccat ſi totum retineat, quam ſi diuidat, nam illud iuramentum partim eſt licitum, partim illicitum, quatenus eſt de retinenda re aliena eſt illicitum, quatenus eſt de non retinendo totum, eſt licitum, & obligat, ſed quatenus eſt de dando ſocio furti nõ obligat, quia debet reſtitui domino. Similiter etiamqui iurat dare certam eleemoſynam ſi ex concubina habuerit filium, non propterea debet eſſe cum concubina, nam hac ex parte iuramẽtum eſt illicitum, at ſi cum illa fuit, & habuit filium tenetur dare illam eleemoſynam, quia hac ex parte fuit licitum, & obligat. Sed quando huiuſmodi iuramenta ſint mala, ratione finis, & non obligent, uide inferius de Voto.

Prima cõcluſio. Secunda cõcluſio. Tertia cõcluſio. De Iuramento de re omnino indifferenti.

Secundo iuramentum dicitur illicitum, quia eſt de re uana, & omnino indifferenti, quæ licet in ſe non ſit mala, non tamen

ob id eſt bona, cedens in Dei honorem, aut propriam, ſeu proximi utilitatẽ, ut de nunquam tranſeundo per aliquã uiã, de nunquam ingrediendo aliquã domũ, ſuppoſito, quod fiat nõ ad euitandam peccandi occaſionẽ, quia tunc eſſet de re bona, & obligaret, nec in alicuius odiũ, quia eſſet de re mala, ſed ex leuitate ſine ulla cauſa, & hoc iuramentũ eſt temerariũ, & nullum, & nõ obligat, ſed ſic iurans peccat. Verum dubitatur an ſi poſtea ſuperuenerit cauſa licita ob quã illi non tranſeundũ ſit per illam uiã, uel non ſit ingrediendum illã domũ, quia poſſet eſſe illi occaſio peccandi, iuramentum tunc incipiat tenere, & obligare; & difficultas eſt, pro utraq; parte, nam ſicut iuramentũ de facienda re, quæ licita eſt tempore iuramenti, non ligat ad faciẽdum eam tempore quo eſt illicita, ita iuramentũ de facienda re uana, uel etiã illicita tẽpore iuramenti, ligabit ad faciendũ eam tẽpore quo erit licita. Ex altera parte facit, quod iuramentum à principio fuit nullum, & id quod à principio eſt nullum, tractu temporis non firmatur. Ad quod reſpondetur cum Nauarro diſtinguendo, nam ſi iuramentum fuit generale; & non reſtrictum ad tempus, ad finem, ad cauſam, uel alias circunſtantias, ſed ex ſe extenditur ad eundem actum tam tẽpore quo eſt omnino indifferens, uel illicitus, quam quo eſt licitus, tũc obligat tempore quo eſt licitus, unde ſi in illa uia per quam ſe nunquã tranſiturum temere iurauit, uenit ad habitãdum mulier, quam inhoneſtè amat, & per illam tranſeundo eſt ei occaſio peccandi mortaliter, pro tempore quo ratione occaſionis peccandi actus redditur licitus, iuramentum obligat, & Nau. dat exemplum de Canonico, qui generaliter iurauit ſeruare omnia ſtatuta ſuæ Eccleſiæ, in quibus tempore iuramenti erat unum ſtatutum contra canones cuius obſeruatio erat illicita, ſed poſtea ex certa ſcientia à Sede Apoſtolica approbatur, & eius obſeruatio redditur licita, ille poſt confirmationem Papæ tenetur ſeruare dictum ſtatutum ui iuramenti, cum ſub illo compræhendatur, & poſſit ſeruari ſine interitu, uel diſpendio ſalutis æternæ. At ſi iuramentum fuit ſpeciale, uel reſtrictum ex natura uerborum, vel ex cauſa ob quam fit, uel alijs circunſtantijs ad actum illicitum pro tempore quo eſt illicitus, tractu temporis non ualidatur per hoc, quod ille actus redditur poſtea licitus, quia non extenditur ad hoc tempus, neque ad hunc actum, ut ſi quis iurauerit ſe nunquam intraturum talem domum donec mater eius eam inhabitauerit, uel ob aliam cauſam finalem euitandi eius bonam conuerſationem, quod eſt illi-

An ſuperueniente cauſa licita incipiat obligare.

Nauar. in Man. c. 12 nu. 87. B.

illicitum, uel ſe nunquam tranſiturum per illam uiam donec reficiatur, vel pingatur talis domus, quod eſt uanum, ſi poſtea mater eius alio migrauerit, uel domus reficiatur, & in illa domo, uel uia uenerit habitare mulier, quæ ſit illi occaſio peccandi mortaliter, non prohibetur ui iuramenti per illam uiam tranſire, uel illam domum ingredi, licet alia de cauſa prohibeatur, ratione ſcilicet occaſionis peccandi, quam euitare tenetur, quia illud iuramentum fuit reſtrictum ad tempus quo erat temerarium, uel illicitum, & actus agentium non operantur ultra intentionem eorum.

Tertio iuramentum dicitur illicitum non ratione rei de qua fit, ſed ob defectum alicuius debitæ circunſtantiæ, & de iſto dicimus, quod nihilominus obligat, & eſt ſeruandum; & probatur, quia tale iuramentum non eſt ſimpliciter inualidum, & eius adimpletio non impedit ſalutem animæ, nec eius profectum, ergo eſt adimplendum per cap. ſi uero ext. de iureiur. vel ſi adeſt iuſta cauſa, eſt petenda abſolutio, & non poteſt propria auctoritate infringi. Exempli gratia iurauit ille, qui non eſt ſui iuris, donec irritetur illud ſeruare tenetur. Iurauit quis ex ira, ſi impetus iræ non fuit tantus, quod induceret quandam mentis alienationem, iuramentum tenet; etiam ſi quod iurauit ex impetu iræ non iuraſſet deliberatè, ut tenet Sylu. quia in bonis non requiritur longa, & multa deliberatio, ſed ſufficit liber conſenſus. *De iuramento illicito ob defectum circunſtantiæ.* *Sylu. Iuramentum 4. §. 9.*

De obligatione Iuramenti Coacti, doloſi, & liciti inſuperuenientibus caſibus, Conditionati, & quando frangitur fides iuranti. De inducentibus ad iurandum, & de Iuramentis, & Votis de re minima.

Cap. XVI.

SEcundo uidendum eſt quando obliget iuramentum coacte, doloſe, & ſine debita intentione factum. Et de iuramento coacto dicimus, quod in foro conſcientię obligat, ſi cum intentione iurandi fuit factum, & non in confirmationem rei, quæ liberum à coactione requirit cõſenſũ, ut Matrimoniũ, Votũ, abſolutio ab excõmunicatione, & huiuſmodi: iuramẽtum .n. coactum de his rebus factum nõ tenet, ut diximus ſuperius lib. 2. c. 7. de impedimento uiolentiæ Matrimonij, at ſi iuramentum ſit in confirmationem rei cui ſufficiat liber conſen- *De obligatione iuramenti coacti, & doloſi.*

ſus omnibus computatis, etiã uiolentia facta, ut de ſoluenda latronibus certa quantitate pecuniæ, in conſcientia obligat, etiã ſi ſit coacte factum, in quo differt à uoto, quod coacte emiſsum nunquam obligat, & inferius de uoto coacte emiſſo aſſignabimus rationem differentiæ; quod autem iuramentum coacte factum de rebus quibus ſufficit liber conſenſus omnibus computatis, in conſcientia obliget, patet ex c. ſi uero ext. de iureiur. & ratio eſt, quia magis tenemur damnũ temporale ſuſtinere, quam iuramentũ uiolare, quod ſine animæ, & uitæ diſpẽdio ſeruari poteſt, & non repugnat promiſſioni cui adhibetur, nam cum iuramentum ſequatur naturã rei, de qua fit, non requirit liberiorem conſenſum, quam res ipſa, de iſto enim modo loquimur, & id eo magis, quia qui ſic iurauit habet remedium, nam poteſt petere abſolutionem à iuramento, & ſi quid ſoluit poteſt in iudicio repetere, & ſi iurauit ſe non repetiturum, poteſt iudici denunciare, qui ex officio ſuo raptorem ad reſtituendum coget, & ſi iurauit ſe non denunciaturum, tale iuramentum non tenet, nec obligat, quia uergit in deteriorem exitum, nam eſt contra iuſtitiam publicam, & contra præceptum de correctione; hæc omnia remedia ſunt, ne qui coacte iurauit, propria auctoritate ueniat contra iuramentum: quod etiam ex eo patet, quia qui iurat ſoluere uſuras cenſetur coacte iurare, & tamen ratione iuramenti debet illas ſoluere, & poſtea repetere, cap. debitores ext. de iureiur. At ſi loquamur de foro contentioſo, dicimus, quod iuramentum coactum coactione, quæ in uirum conſtantem cadere poteſt, non eſt obligatorium, tum quia Eccleſia præſumit, quod qui coactè iurauit, id fecit non animo iurandi, ſed euadendi periculum, tum etiam quia ille, qui malitioſe, & doloſe iurare compulit, nullum ius acquiſiuit, nec ulla ei competit actio ex obligatione talis iuramenti, non enim debet de ſua malitia reportare commodum.

De iuramento ſecundum propriam intentioné. Sot. lib. 8. de iuſtitia & iure. q. 1. ar. 7.

Sed dubium eſt quando in iuramento promiſſorio habetur alia intentio quam ſonent uerba, tam in foro conſcientiæ, quam in foro contentioſo, & ut prius loquamur de foro conſcientiæ, notandum eſt ex Soto, quod in iuramento promiſſorio tria conſiderantur, ſcilicet promiſſio, iuramentum quo confirmatur promiſſio, & poſtea executio, ſeu impletio promiſſionis, quibus tria correſpondent in mente iurantis, ſcilicet intentio promittendi, ſeu obligandi ſe, intentio iurandi, & intentio implendi iuramentum. Si hæc ſola tertia deſit, & adſint

aliæ duæ, certum eſt apud omnes iuramentum obligare, namq́; ſi quis intendit non ſolum iurare, ſed etiam ſe iuramento ligare, ſufficit, ad hoc ut teneat, nam iniqua intentio non implendi, nõ tollit uinculum iuramenti, ſicut nec quando aduenit poſt iuramentum. Si quis etiam fingit ſe iurare, & non habet animum iurandi, certum eſt nullam ex natura iuramenti oriri obligationem, nam cum iuramentum ſit actus humanus, ubi non adeſt intentio iurandi, nullum exiſtit iuramentum. Sed dubiũ eſt quando quis habet intentionem iurandi, ſed non habet intentionem ſe iuramento obligandi, ſeu promittendi id, quod iu rat; Sotus contra Syluestrum, & eos quos Syluester citat, dicit obligare, quia obligatio eſt naturalis iuramenti effectus, ſed dico, quod quando quis non habet intentionem ſe obligãdi, fictè iurat, & non habet intentionem iurandi, nã implicat, quod quis habeat intentionem iurandi iuramento promiſſorio, & non habeat intentionem promittendi, quia iuramentum eſt confirmatio obligationis. & ita dico cum Syluestro, quod qui iurat, & non habet intentionem ſe obligandi, in conſcientia non obligatur, quia nec etiam habet intentionem iurandi, nec eſt redigendus iurans ad poſſibiles, & metaphiſicas abſtrationes, & quando diſtinguerentur iuramentum, & intentio non ſe obligandi iuramento, hæc traheret ad ſe iuramentum, & eſſet illius explicatio, cum promiſſio ſit ratio formalis iuramenti promiſſorij.

Sed notandum eſt, quod quamuis obligatio non oriatur ex iuramento, quando quis non habet intentionem iurandi, nihilominus, tam in foro conſcientiæ, quam in foro contentioſo ratione doloſi iuramenti ex ipſo dolo cõſurgit obligatio, quomodo autem ſit accipienda, cum Turre Cremata ſequentibus conclusionibus explicabimus, quarum prima ſit. Si quis doloſe iurat, aut fingit ſe iurare, iuramentum interpretandum eſt, & obligat ſecundum intentionem recipientis, nam fraus, & dolus nemini debent patrocinari, quod etiam probatur ex ca. quacumque 22. q. 5. Secunda Concluſio. Si quis iurat ſimpliciter abſq; dolo, iuramentum in foro conſcientiæ non obligat niſi ſecundũ intentionem iurantis. Tertia Concluſio, in foro contentioſo vbi ignoratur intentio, iuramentum eſt interpretandum, & obligat, ſecundum quod ſolent accipi uerba, & ſi uterq; fraudulentus fuit, debent accipi uerba ad arbitrium boni uiri, ſecundum quod ſonant apud recte intelligentes, & quando ita duplicia ſunt, ut æqualiter diuerſos ſenſus exprimant, non obligatur iurans, nec poteſt cogi niſi, ſecundum ſuam intentionem. Ex quo

Tur. Cre. in ca. hoc uidetur 22. q. 5.

De iuramento in genere.

ſequitur ſolutio dubij, quod proponit Hoſtien. an iurās aliquid in genere obligetur ad ſpeciem; ad quod reſpondet, quod cum generalitas obſcuritatem pariat, non uideor cogitaſſe de his ſuper quibus ſpecialiter non eſſem iuraturus, & ſic eſt interprætandum, ſecundum intentionem iurantis, quando ſine dolo iurat, ſecus autem quando ipſe eſt cum dolo, & ille cui iuratur ſine dolo, ergo ſi emergat caſus inopinatus, de quo ſi cogitaſſem nullo modo iuraſſem, non teneor, ut ſi iuraſſem ſtare mandato Epiſcopi, & ille petit, ut renunciem beneficio, & non appellem.

De obligatione iuramentorum ob ſuperueniētes caſus. De ſuperueniente neceſsitate, aut magna difficultate.

Sed dubium eſt de quibuſdam iuramentis licitis, & ſine dolo factis propter ſuperuenientes caſus, an obligent. & primo dubitatur quando ſuperuenit impoſsibilitas, uel neceſſitas, aut magna difficultas, Reſpondetur, quod ſi ſuperuenit impoſsibilitas, non obligat, quia impoſſibilium nulla eſt obligatio, Si neceſſitas, uel magna difficultas, petenda eſt abſolutio, & ſi nō poteſt haberi recurſus ad ſuperiorem, vrgente neceſſitate, poteſt propria auctoritate infringi, quia Deus reſpicit animū, non manū. Sed notandū eſt, quod loquimur de ſuperueniēte impoſſibilitate, & difficultate, nam ſi à principio impoſſibilitas fuit præuiſa, iurans peccauit mortaliter, & eſt periurus. Si fuit præuiſa difficultas, ſuperueniens, eo minus excuſat, ſed tenetur facere, quod in ſe eſt, etiam mendicare, quia cum difficultatem præuiderit, cenſetur iuraſſe, & tali animo debebat iurare, faciendi totum, quod erat in ſe ad illam ſuperandam, alias iurando peccaſſet, & eſſet periurus, & datur exemplum de illo, qui iurauit tenere oſtagia in certo loco, & non habet ibi quid comedat, vel unde ſoluat, Ad quod reſpondet Sylu. & Hoſt. quod ſi tempore obligationis non erat ſoluendo, tenetur ſeruare oſtagia, quia videtur ad hoc ſe obligaſſe, ut uictum quærat manibus ſuis, uel mendicando, at ſi tunc erat ſoluendo, & poſtea deuenit ad paupertatem, diſtinguendum eſt, nam ſi eſt talis, qui poſsit ſine uerecundia mendicare, tenetur, ſed ſi eſt nobilis, & in dignitate, ei ſubueniendum eſt iuris beneficio.

De iuramento cō ditionato

Secundo dubitatur de iuramento conditionali, uel ob cauſā, & Reſpondetur cum communi, quod ceſſante conditione, uel cauſa, ob quam iuratum fuit, iuramentum non obligat, quod intellige cum Sylu. quando tota obligatio ponebatur in conditionis euentu, uel propter cauſam, unde iurans adire S. Iacobum, ut fratrem ſuum uideat, & redimat ſua peccata, licet frater ſuus deceſſerit, tenetur nihilominus ire, quia tota cauſa iuramenti non fuit uidere ſuum fratrem.

Ter-

Tertio dubitatur an iuramentum obliget, quando is cui fit, frangit fidem iuranti. Ad quod reſpondetur cum Abbate, quod quando duæ obligationes reſpiciunt ſe ad inuicē, ut quia tibi promiſi certum quid, tu mihi promiſiſti aliquid aliud, tunc ſi tu non ſeruas mihi promiſſum, ego non teneor adimplere ex parte mea, per cap. peruenit 2. de iureiur. & cap. conſtitutus, de pœnis, at quando obligationes non referuntur ad inuicem, ſed ad diuerſa, ut promiſi tibi dare ſimpliciter certum librum, & iuraui, & tu etiam poſtea iuraſti aliquid facere pro me, ſimpliciter, & non conditionate propter librum promiſſum, licet ego non adimpleam promiſſionem meam, tu tamen teneris, quia ſimpliciter promiſiſti, & non ratione promiſſionis meæ, & de ſpecie ad ſpeciem non fit compenſatio. Sed circa primum caſum dubitatur, an tenear ad id, quod iuraui, quando alter non ſeruat mihi promiſſum ex hoc, quod non poteſt; aliqui dicunt me teneri, & tunc ſolum eſſe ſolutum quando alter ex negligentia, uel uoluntate non ſeruat, ſed cum Abbate dico non teneri, quia iuramentum meum fuit tacite conditionatum.

De obligatione iuramenti quādo frā gitur fides iuranti.

Abb. in c. peruenit. 2. de iureiur.

Dubium cum ſolutione.

Abb. in c. ſicut 3. eod. tit.

Sexto tandem peccat, qui eum ad iurandum inducit, quem falſo iuraturum arbitratur, niſi ſeruato iuris ordine tanquam iudex ex officio, uel ad inſtantiam partis iuramentum præſtet, poteſt tamen, ut inquit Sylu. quis recipere iuramentum ab eo, quem ſcit falſum iuraturum, ſi iam paratus eſt iurare, quia ſe obtulit, & adeſt rationabilis cauſa illud recipiendi, ex quo infert Nauarrus, quod male faciunt Confeſſores, qui pœnitentes inducunt ad iurandum de abſtinendo ab aliquo peccato, puta carnali, uel alio, quod per inde ac illud allicit.

Sylu. V. iuramētum 2. §. 9.

De obligatione Iuramenti, & Voti, quando ſunt de re parua, & de abſolutione, & diſpenſatione à Iuramento, & Voto, diximus ſuperius, in præſenti lib. cap. 3. & 4.

De Voto.

Quid ſit Votum, & de peccatis, quæ vouendo fiunt ratione materiæ. Cap. XVII.

TAnta eſt inter Iuramentum, & Votum ſimilitudo, ut quæ de vno dicuntur de alio etiam intelligantur, ob quam cauſam multa leuiter pertranſibimus, tanquam explica-

ta de Iuramento,& ea in quibus magis immorabimur, facient etiam ad maiorem explicationem eorũ, quæ de Iuramento diximus.

Votum quid. Votum eſt deliberata promiſſio Deo facta de bono, quod nõ eſt maioris boni impeditiuum, à Superiore non reuocata. dicitur promiſſio, quia non ſufficit deſiderium, neq; propoſitum ualde deliberatum faciendi, ſed requiritur etiam animus ſe ipſum obligandi. Ex qua definitione facile deducemus modos quibus contra uotum peccatur, & ſoluentur etiam præcipuę difficultates.

De peccatis ratione materię. Primo contra uotum multipliciter peccatur ea ratione qua eſt de bono, quod non impedit maius bonum; non dicimus cũ aliquibus de meliori bono, quia non ſolum poteſt uoueri bonũ conſilij, ſed etiam bonum præcepti, vt non fornicari, non occidere, ad quod duplici uinculo tenebimur, pręcepti, & uoti, ex quo ſequitur, quod hæc ſequentia Vota ſunt nulla defectu materię, & quod ſic vouẽtes peccant. Primo, Votum de re mala. 2. Votum de re omnino indifferenti, quamuis ratione conſcientiæ erroneæ illud non implere ſit mortale, at ſi voueatur res indifferens propter circunſtantiam, quæ reddat illam bonam, uotum tenet, & obligat durante illa circunſtantia; & hic applica dubiũ, quod ſuperius mouimus de obligatione iuramenti de re indifferenti, uel mala, ſi poſtea incipit eſſe bona. 3. Votum de non faciendo aliquo bono, uel de faciendo bono, quod impedit maius bonum, ut de non ingrediendo religionem, uel de matrimonio contrahendo, quod impedit religionis ingreſſum, & perpetuam caſtitate, niſi ratione circunſtantiæ illud minus bonum efficiatur maius bonum, ut ſi incontinens ad euitandum peccatum uoueat matrimonium, ut inquit Nau. & ſi uolens matrimonium contrahere, uoueret ducere in uxorem meretricem, ut illam à peccato liberaret. 4. Votum de re bona in malũ finem relata, ut de danda eleemoſyna propter uanam gloriam, de eundo ad Eccleſiam ad ſolicitandam puellam. 5. Votum de re bona ob illicitam petitionem obtinendam. 6. Votum de re bona pro illicito obtento quaſi incompenſationem, & gratiarũ actionem, ſicut ſi quis uoueret ſe Deo ſacrificium oblaturum pro obtinenda, uel pro obtenta aliena uxore.

De uotis de re bona pro illicito quando teneāt Vbi notandum eſt, quod ratio ob quam Votum de re bona his tribus poſterioribus modis, eſt nullum, & malum, eſt quia res bona adhibetur tanquam medium ad malum, & ut mediũ, uel compenſatio mali, Deo promittitur, quaſi Deus ſit mediator,

tor, ſeu auctor mali, quod eſt impium. At cum Deus propter infinitam ſuam bonitatem, ex malo eliciat bonum, & malū uertat in bonum, ſi uotum fiat pro petitione licita, & pro re bona, licet pendeat ex cauſa turpi, tenet, & obligat, at uotum de danda certa eleemoſyna ſi ex concubina habuerit filium, ſi ex duello ſanus reuertetur, nam licet eſſe cum concubina, iniuſtè pugnare, occidere, & vulnerare, per fas, & nefas mercaturam exercere, ſint mala, & propterea uotum de eleemoſyna ad potiendā alienam vxorem, ad immorandum cum concubina ad occidendum, vulnerandum, & ad decipiendum ſit impium, & nullum, tamen habere filium, ſanum ex iniuſto bello reuerti, ditari, ſunt dona Dei, & uotum pro illis tenet, quia eſt de re bona, & fit pro re bona, quatenus eſt à Deo. Cum etiam bonum poſſit eſſe occaſio mali, ſi quis uoueat bonum propter malum, referendo bonum ad malum, iam diximus uotum eſſe malū, & nullum, quia quodcumque opus bonum in malum finem relatum, redditur malum; at ſi malum non ſit finis rei uoto promiſſæ, ſed ſit finis ſecundarius vouentis, licet ſic uouens peccet, uotum tamen tenet, quia eſt de re bona, ut ſi quis conſiderans, quod factus Sacerdos facile poterit conſequi beneficium, licet ſit indignus, hac intentione motus, uouet fieri ſacerdos, uouet etiam fieri religioſus, conſiderans quod poterit frequētare aliquot domus; & ſecretius luxuriari, beneficium, & luxuriari ſunt occaſiones ad uouendum, & finis ſecundarius uouentis, ſed uotum ſimpliciter eſt de Sacerdotio, & de religione, & propterea tenet, ſicut ſi quis ſimpliciter, & per ſe uoueat eleemoſynam, ſed inductus ex hoc, quod uidet ſe eleemoſyna uanam aucupari gloriam, votum tenet; ſecus ſi uoueret eleemoſynam ob inanem gloriam aucupandam; & ratio differentiæ eſt, quia in priori caſu inanis gloria non eſt finis eleemoſynæ, nec finis principalis uouentis; ſed ſecundarius, & cauſa excitatiua, & propterea uotum ſimpliciter eſt de re bona, at in poſteriori caſu eleemoſyna ordinatur ad inanem gloriam, & propter illam fit, & propterea uotum eſt de re mala. Poteſt etiam malum eſſe occaſio uoti, non ad perpetrandum, ſed ad euitandum, uel ad pœnitentiam de eo agendum, ut ſi quis uoueat ingredi religionem ſi committet adulterium, ad hoc, ut abſtineat ab adulterio, uel ut de eo pœnitentiam agat, quod eſt uerum uotum, & eueniente conditione obligat.

De peccatis, quæ fiunt ex hoc, quod non adimpletur votum, & quid de Voto metu emiſſo, & de Votis eorum, qui non ſunt ſui iuris. & an Pater poſt perfectam ætatem, poſsit irritare votum filij ante illam emiſsum.
Cap. XVIII.

SEcundo peccat contra uotũ, qui illud non adimplet quando tenet, quod multiplici ratione contingit. Primo, qui ob falſam, uel iniuſtam cauſam, uoti diſpenſationem impetrat, uel in eo diſpenſat. 2. qui non legitimè diſpenſatus non adimplet uotum, & toties peccat mortaliter quoties illud tranſgreditur, unde qui uouit ſe nunquam, aut certis diebus bibiturum vinum, toties peccat quoties bibit, etiam eadem die, ut cum Maiore inquit Nau. 3. qui uouet aliquid facere aliquo certo tempore, & non facit præſcripto tempore; & ſi uouens non reſpexit principaliter diem, & tempus, tenetur id facere quanto citius commode poteſt, at ſi principaliter illã rem vouit propter illum diem, extra illum non tenetur ad id, quod eo die facere debuit, ut ſi uoueret eo modo quo Eccleſia certis diebus præcipit ieiunare, & ſingulis diebus recitare horas canonicas, nam qui in uigilia non ieiunauit, uel uno die non recitauit horas canonicas, non tenetur alio die ieiunare, uel bis recitare horas canonicas, ſed pœnitere, & pro peccato ommiſſionis pœnitentiam agere. 4. qui vult non adimplere uotum peccat mortaliter, etiam ſi poſtea illud adimpleat, non tamen peccat mortaliter ex hoc, quod eum pœnitet uouiſſe, dummodo adimpleat, & non concipiat propoſitum nõ adimplendi. At qui aliquid uouit, ſed non animo ſtatim adimplendi, nec tempori terminum expræſsè, aut tacitè præfixit intra quod illud adimplere teneretur, non peccat mortaliter non adimplendo quamdiu conſcientia non remordet ſe eſſe in mora, hoc enim ſignum eſt, quod non eſt tranſactum tempus intra quod teneatur implere, ut ex Caiet. inquit Nau. quod intellige de conſcientia timorata. 5. peccat ille, qui cum conditionatè uouerit, impedit ne conditio eueniat, ut ad uotum non teneatur, ex quo infert Richar. illum non eſſe liberum ab obligatione uoti, qui aliquid Deo uouit cum conditione, ſi Deus ipſum ab aliquo peccato præſeruaret, & poſtea non facit id, quod feciſſet, aut delibera-

Rich. 4. d. 83. art. 3. q. 3.

berauit facere ad præſeruandum ſe ab illo peccato quando uouit, uel ſe in illud peccatum præcipitem dedit, ne uoto aſtringeretur. 6. peccat, qui non adimplet uotum eo quod uouerit animo non adimplendi, nam ſi uouit animo uouendi, & se illo obligandi, peccauit uouendo ſine intentione illud adimplendi, & peccat non adimplendo, quia uotum tenet, at ſi ſimulate uouiſſet, & non animo uouendi, & ſe obligandi in foro conſciẽtiæ non teneretur uoto, quia id uerè nõ eſt uotum. 7. peccat, qui ut licentioſe uiuat profeſſionem emittit in aliqua religione in qua non uiget regularis obſeruantia, & non obſeruat illa religionis præcepta, quæ obligant ſub reatu mortalis culpæ, eo ꝙ non fuit eius intentio obligandi ſe ad uiuendum arctius, quam in illo monaſterio viuitur, quod intelligendum eſt cum Nauarro de uotis eſſentialibus, & non de illis accidentarijs obſeruationibus, quæ ſunt iam ſublatæ, uel mitigatæ, Apoſtolicis priuilegijs ueris, uel tempore immemorabili præſcriptæ, uel ex licentia tacita, uel expræſſa proprij Prælati ad hoc facultatem habentis, uel ex conſuetudine, quæ licet non ſit immemorabilis, eſt tamen adeo rationabilis, & antiqua, quæ ad abrogãdas prædictas obſeruationes ſufficiat. 8 peccat, qui uouit ingredi ſtrictiorem religionem, & poſtea laxiorẽ ingreditur, ſed poſt profeſſionem in laxiori emiſſam, non tenetur illam ſtrictiorem intrare, ca. qui poſt uotum de reg. *in 6*. 9. peccat, qui uotum nõ adimplet ſub prætextu, quod non fuerit deliberatè emiſſum, ſi tanta fuit deliberatio, quæ ad peccandum ſufficeret, nam duplex eſt deliberatio, altera quæ importat actum deliberatum, & modum deliberandi, quando .ſ. cum magna maturitate, & diuturna deliberatione diſcurritur, & concluditur, & hæc non eſt neceſſaria ad uotum; altera eſt, quæ non eſt cum tanta præmeditatione, ſed eſt talis, & tanta deliberatio, quæ ad peccandum ſufficeret, & hæc eſt neceſſaria, & ſufficiens ad uotum, unde uotum factum ex motu primo, uel ſecundo primo non tenet, propter ſurreptionem niſi poſtea explicitè, uel implicitè confirmetur.

Nauar. in Man. c. 12 nu. 50.

Decimo peccat, qui non adimplet uotum ex eo, quod metu illud emiſit, niſi fuerit talis metus, quod uotum nullum reddiderit, hic autem eſt ſolus extrinſecus cadens in uirum conſtantem, & non quicumque extrinſecus, ſed illatus ad illum effectũ, vt per uiolentiam uotum emittatur, quo caſu votum non tenet, etiam ſi adſit interior conſenſus, quia uotum eſt eorum, quæ liberum conſenſum requirunt, cum ſit promiſſio Deo facta, ex li-

De uoto ob metũ.

bera

Quare cũ iuramentum metu extortum obliget votum non obliget. Sot. lib. 7. de iuſt. & iure. q. 1. ar. 1.

bera hominis uoluntate, cui repugnat uis, ſicut & de Matrimonio ſuperius diximus; ex quo loco poterit elici cauſa quare iuramentum extortum metu cadente in virum conſtantem obliget, & non uotum, & ratio non eſt illa quam aſsignat Sotus, quia ſcilicet obligatio Voti pendet ex pura uoluntate uouentis, & obligatio Iuramenti non ex uoluntate iurantis, ſed ex natura iuramenti reſultat, nam hæc reuerētia diuino nomini debetur, ut quod iuras, nunquam falſum eſſe ſinas quomodocumque iures, etiam ſi ſis mentis compos; nam idem poſſemus dicere de uoto propter reuerentiā diuini nominis, cum ſit promiſſio Deo facta, imo multo magis, quia iuramentum fit homini, & uotum fit Deo, & ut inquit S. Tho. maior eſt obligatio Voti, quam Iuramenti; Sed uera ratio differentiæ eſt, quia iuramentum ſequitur naturam rei cui adhibetur, & ſi adhibetur rei cui ſufficiat liber conſensus omnibus conſideratis, etiam metu cadente in uirum conſtantem, iuramentum ſimili metu extortum tenet, at ſi adhibetur rei, quæ liberum omnino à coactione conſenſum requirit, eſt nullum, & non tenet, ut ſuperius lib. 2. c. 7. diximus de Matrimonio ſimili metu contracto, & iuramento confirmato, at Votum eſt eorum, quæ liberum à coactione conſensum requirunt. Si igitur metus non ſit ad uouendum illatus, uotum propter talem metum emiſſum tenet, ut uotū emiſſum à captiuo cui hæreticus, uel turca minatur mortem, niſi fidem neget, & uotum emiſſum in naufragio, in carceribus, & in quocumq; alio periculo mortis, tam extrinſeco, quam intrinſeco ab infirmitate, quia cum hic metus non ſit ad uouendum incuſſus, uotum uoluntarie eligitur, & emittitur, ut Deus illo mediante ab imminenti periculo liberet, quare eſt ſimpliciter uoluntarium, cum metus non ſit propter uotum.

De uotis ſubditorum.

Vndecimo peccat, qui cum non eſſet ſui iuris uotum emiſit, ſi illud non adimplet ante irritationem in his, quæ alteri non præiudicant, nam ſi ſine alterius præiudicio adimpleri poteſt ante irritationem tenet; ſimiliter etiam tenent illa uota, quæ ſunt de rebus in quibus uouens alteri non ſubditur; Subditi quorum uota cenſentur conditionata, quia ad Superiorem pertinet illa confirmare, uel irritare, ſunt Religioſi, coniuges, filij, & ſerui. Religioſi nullo uoto ſe obligare poſſunt niſi de trāſcundo ad ſtrictiorem Religionem, in quo ſuo ſuperiori non ſubdūtur, alia omnia eorum uota etiam de re ad quam ex præcepto, uel diuino, uel religionis tenentur, superior irritare poteſt, quamuis enim ſuperior non poſsit ſibi ſubditum liberare à neceſ-

De uotis Religioſorum.

ceſſitate adimplendi præcepta diuina,& uota eſſentialia religionis,poteſt tamen eũ liberare ab illa noua obligatione qua ſubditus ſua ſponte ſe obligauit, cum ſit dominus ſubditarum ſibi voluntatum. Maritus etiam non poteſt aliquid uouere in præiudicium uxoris,neç vxor in præiudicium mariti,& maritus poteſt irritare illa uxoris uota,quæ ſine mariti ſcandalo adimplere non poteſt, ut de ieiunijs, de ſurgendo media nocte,de frequentando Eccleſias, & uxor quoq; poteſt irritare illa mariti, quæ ſibi præiudicant.de uotis coniugum uide ſuperius in præſenti lib.cap.4. De Votis côiugum.

Quoad uota filiorum,eſt primo notandum,quod uota quædam ſunt perſonalia,ut de ingreſſu religionis, de ieiunijs, orationibus, &c. quædam realia, quæ pertinent ad res in quibus ſumptus requiruntur,ut de dandis eleemoſynis,de conſtruenda Eccleſia,&c. Eſt ſecundo notandum tres eſſe limites ætatis Prima eſt infantia, quæ durat primo ſeptemnio quo tempore infantes nõ habẽt plenum rationis uſum,ut deliberare poſſint, & ita non poſſunt uouere; & ſi uouerint eorum uota nulla cenſentur:mox ſequitur pueritia,quæ maribus uſque ad quartum decimum annum,& fœminis uſque ad duodecimum protenditur, ubi pubertas aduenit, quo tempore pueri ſunt doli capaces,& uouere poſſunt,ſed parẽtes,uel tutores,ſub quorũ poteſtate ſunt omnia eorum uota,etiam perſonalia,& religionis ante dictos terminos emiſſa,irritare poſſunt. Modo autem uigore Conc.Trid.uotum ſolenne ante decimum ſextum annũ emiſſum,tam in uiris,quam in fœminis eſt nullum, etiam ſi parẽtes conſenſerint, nec ob id intelligitur extenſa parentum auctoritas irritandi filiorum uota perſonalia,uſque ad decimum ſextũ annum, cum non ſit recedendum à iure antiquo niſi quatenus eſt expræſſum in nouo, & Cõcilium ſolum irritet uotum ſolemne ante decimum ſextum annum emiſſum,in fauorem Religionis,ante quem annum cum filij, & filiæ ſint doli capaces, & habeant perfectum uſum rationis, & poſt pubertatis annum, non uſque adeo ſubdantur parentibus quo ad uſum libertatis, ſed ſolum in diſpoſitione bonorum, & nubere etiam poſſint, poterunt etiam ſe uoto obligare,& eorum ſimplicia uota poſt 12.annum in fœminis,& 14.in maſculis, firma erunt, & à parentibus irritari non poterunt. Deinde ſubſequitur tertia ætas puta adoleſcentia, quæ dicitur pubertas, & durat uſque ad uigeſimum quintum annum, quo tẽpore adoleſcentes ſunt ſub cura parentũ quo ad eorum bona,ut de ſuis bonis, ſine eorũ auctoritate diſpo-

De Votis filiorum.

Cõc. Trid ſeſſ. 25. c. 15.

diſponere nequeant,& ob id parentes eorum realia uota, ut de eleemoſynis,de conſtruenda Eccleſia, & huiuſmodi, uſque ad vigeſimum quintum annum irritare poſſunt, niſi ſint de rebus, quæ ad liberam filiorum diſpoſitionem pertinent, ut ſunt bona caſtrenſia,uel quaſi caſtrenſia,ideſt,in bello,uel in officio publico acquiſita. Sed dubium eſt an filiorum uota perſonalia ante decimum quartum annum emiſſa,& realia ante uigeſimũ quintum,infra dictos terminos non irritata, poſſint poſtea à parentibus irritari. Sotus dicit, quod non, quia poteſtas irritandi extra dictos terminos non extenditur. Caiet. & Nau. dicunt, quod ſi uota extra dictos terminos non fuerunt à filijs ratificata, poterunt à parentibus irritari;ad hoc autem,vt dicantur ratificata non ſufficit credere poſt prædictos terminos illa uota tenere, & ex hac credulitate uelle adimplere, ſed requiritur uelle,quod in poſterum ualeant, quamuis uſque ad illud tempus non ualuerint,nam credere ſpectat ad intellectum, approbare autem,& ratificare ad uoluntatem,intentio autem illa exequendi,erat quia illa præſupponebantur valida,& propterea licet ſit actus uoluntatis,non facit,nec pertinet ad firmitatem voti,ſed ad illius executionem, quemadmodum, & in contractibus uidemus,nam ſeruare contractum inualidum, & uelle illũ ſeruare ex hoc, quod creditur ualidus, non eſt illum ualidum reddere, ſed cognita poſtea illius nullitate, poterit reſcindi. Probant autem, quia natura uoti ante legitimam ætatem emiſſi,habet hanc implicitam conditionem,ut ſit ſine præiudicio paternæ poteſtatis,& ſi poſt legitimam ætatem,filius illud non ratum habuit,licet ſit mutata perſona, uotum ſemper remanet in ſua natura.ſ.conditionatum,& poterit poſtea à parentibus irritari,ſicut à principio, cum ſemper habeat annexam illam conditionem, quæ enim à principio non tenent tractu temporis non firmantur. De uoto autem ſolenni dicunt eſſe aliam rationem, quia poſt prædictam ætatem non poteſt amplius irritari, ut expreſſe habetur in cap. Puella 20.q.2.Et licet modo de Voto profeſſionis nulla poſſit eſſe difficultas,cum ante 16.annum, etiam de conſenſu parentum emiſſum,ſit nullum;ex d. tamen cap. volumus Caietani rationem infirmare, quia etiam militabat in profeſſione ante legitimam ætatem emiſſam, nam illa profeſſio erat cõditionata,& non ratificata,& in ſua natura permanebat; quare ergo non poterat poſtea irritari? dicet quia parentibus ſublata erat poteſtas illam, poſt legitimam ætatem irritandi, idem etiam nos dicemus de alijs uotis, cum nullam differentiæ

Sot. de iuſt. & iur. lib. 7. q. 3. ar. 2.
Caiet. 2. 2 q. 189. ar. 5
Nauar. in Man. c. 12. nu. 71.

tiæ rationem aſsignet. Quare dicimus ſententiam Soti probabilem eſſe, quia qua ratione confirmabatur profeſſio facta, eadē etiam alia uota, non ſimplici tractu temporis, ſed quia ſpirauit, ſeu ſublata fuit facultas illa irritandi. Nihilominus cum etiam Caietani ſententia ſit probabilis, illam ut benigniorem ſequimur, ad euitanda. ſ. peccata tranſgreſſionis uotorum, nam poſt legitimam ætatem pater contradicente filio, non poteſt eius uotum irritare, ſi autem ille petit irritari, ſignum eſt, quod eum pœnitet uouiſſe, & quod illud facilè tranſgredietur, mouemur autem non ſola ratione Caietani, ſed ea præſuppoſita ex differentia inter profeſsionem, & alia uota, nam cum in profeſsione ſit ſuſceptio, & delatio habitus, & executio eorum, quæ ad profeſsionem pertinent, parentes non poſſunt illius ignorantiam prætendere, & tam pater, quam ille, qui ante tempus profeſsionem fecit, non reclamando, præſumūtur illam ratificare, quod etiam in fauorem religionis ſtatuitur, at alia uota poſſunt parētibus eſſe incognita, imo pueri aliquando faciunt aliqua uota, nec amplius de illis cogitant, & grandiores effecti recordantur ſe vouiſſe, propterea rationabile fuit, quod in iſtis ſaluetur authoritas patris, & quod ignorantia ei non præiudicet, Verum limitandam Caietani ſententiam eſſe puto, nam ante perfectam ætatem licet pater ſciat uotum filij, & non ſtatim illud irritet nihilominus ſemper poteſt infra illud tēpus irritare, quia ſemper durat eius poteſtas, & patet ex d. cap. Puella. At ſi cum ſciuerit uotum filij illud infra tempus ei conceſſum non irritauit, credo quod extra illud non poſsit amplius irritare, & ſibi imputet, cum ſciuerit ſuam poteſtatem ſpirare, & ſic etiam tacendo cenſetur confirmare. Quod ſi pater poſt perfectam ætatem, ſciuit uotum filij ante illam emiſſum illud poterit irritare, quia fuit de re, quæ tunc, ex patris diſpoſitione pendebat, & taciturnitas filij non poteſt ei præiudicare, & ſemper intelligitur conditionatum, nam iſta patris taciturnitas, uſq; ad perfectam ætatem, non poteſt præſumi tacita confirmatio uoti, hanc autem noſtram limitationem, & declarationem, probamus, ponderando, & concordando duo Capitula, nam in cap. Mulier 32. q. 2. dicitur ſi autem ſtatim, ut audierit contradixerit pater, & uota, & iuramenta eius irrita erunt, & in cap. Puella 20. q. 2. dicitur de uoto profeſsionis, at ſi annum, & diem diſsimulando conſenſerit, ulterius nec ipſi, nec ipſa mutare poterunt, quæ uidentur cōtraria, & Gloſ. in d. cap. Mulier non ſatis concordat; ſed iuxta hanc noſtram ſententiam facile concordantur, nam infra tempus

pus

pus perfectæ ętatis pater poteſt diſſimulare, at ſi poſt perfectam ætatem, uotum ante illam emiſſum cognouit, non poteſt diſſimulare, ſed ſi uult, ſtatim contradicere, & ratio eſt, nam in priori caſu non eſt læſa poteſtas patris cum duret; in hoc autē cum ſpirauerit, uidetur omnino læſa, non quia ſpirauit, ſed quia de illo nihil in tempore, ei dictum fuit, & propterea ſi uult, debet ſtatim contradicere, & ſtatim contradicendo, beneficio legis illud irritat.

De Votis ſeruorū. Seruus, quia eſt in poteſtate Domini, etiam quantum ad perſonales operationes non poteſt obligare ſe uoto ad religionem, per quam ab obſequio domini ſui abſtrahatur; nec uouere peregrinationem, uel ieiunia quibus debilior ad ſeruiendum domino reddatur. de alijs uero in quibus nullum domino præiudicium affertur, ut de orationibus, de continentia ſeruanda, & huiuſmodi, uouere poteſt.

De obligatione Voti ex parte impoſsibilis, An contrahens Matrimonium cum Voto ſimplici ante conſummationem teneatur ingredi Religionem. Cap. XIX.

Duodecimo peccat, qui non adimplet Votum ſub prætextu, quod eſt ſibi impoſsibile, ſi ipſe data opera ſibi illud reddidit impoſſibile, uel ſi non eſt ſecundum ſe totum impoſſibile, & non adimplet pro ea parte quæ eſt ſibi poſſibile, quando ad illam tenetur. Pro quo notandum eſt, quod uotum debet eſſe de re poſſibili, nam ad impoſsibile nullus tenetur, quód non ſolum intelligitur de impoſsibili ſimpliciter, ſed etiam de impoſsibili moraliter loquendo. Et quod quis per ſe facere non poteſt, licet poſsit per alium, nō tenetur per alium efficere, niſi id in uoto fuerit expræſſum, non enim tenetur perpetuo infirmus alium ad peregrinandum mittere pro peregrinationis uoto, quod ipſe fecit. & ſi reddidit ſibi uoti obſeruationem impoſsibilem, peccauit quidem in principio, ſed poſtea non peccat ſi illud non obſeruat, quatenus eſt ſibi impoſſibile, ut ſi quis habens uotum ſimplex caſtitatis contraxerit matrimonium, peccat contrahendo, ſed poſtea non peccat reddendo debitum. Cum autem uotum aliquando non ſit ſecundum ſe totum impoſsibile, ſed ſecundum partem, uidendum eſt an ſemper obliget ad partem poſsibilem; ad quod dico reſpiciendam eſſe intentionem uouentis, nam ſi intentio principaliter,

ter, uel æquæ principaliter fuit de illa parte, quæ eſt poſſibilis; ad illam tenetur, ſi autem hæc pars acceſſoriè, & conſequenter ſe habet ad impoſſibilem de qua primo, & per ſe fuit uotum, ad illam non tenetur, quæ exemplis clariora efficientur. Emiſit quis uotum virginitatis, ſi eius intentio fuit ſolum de cauendo primo actu venereo, & non de continentia perpetuo ſeruanda, niſi conſequenter, & ſecundario quatenus ad perpetuam virginitatem ſequitur, illa amiſſa, poterit uxorem ducere, quia cum amiſerit, eſt ſibi impoſſibile illam ſeruare. At ſi uoto uirginitatis intendit perpetuam continentiam, ea amiſſa nō poteſt ducere uxorem. Sed quia uotum ſimplex caſtitatis ita impedit, ut non dirimat matrimonium contractum, ſi uxorem duxerit, nō poterit petere debitum, ſed reddere, quia tenetur obſeruare continentiam, quam perpetuo uouit, eo modo quo poteſt.

Dubitatur hoc loco an qui contra ſimplex uotū Caſtitatis cō traxit matrimoniū teneatur ingredi religionē antequā illud cō ſumet, cū illo modo poſſit adimplere uotū, & nō alio. Sylu. tenet ꝙ ſic quē ſequitur Nau. & probat, quia niſi ſic impleat, nō habet aliā cōmoditatē implendi, & etiā quia ſecundū S. Tho. & Rich. cōſumando matrimoniū peccat, ꝙ nō eſſet ſi poſt contractū, & non cōſumatū nō teneretur ad ſeruādum uotū caſtitatis, quod ſine religionis ingreſſu ſeruari nequit. Contraria ſentētia eſt Soti cui durum uidetur eiuſmodi uirū in tam arctas anguſtias redigere, cū non fecerit formaliter votū religionis, & votū nō obliget ultra intentionē uouentis. Solutio huius dubij ſumenda eſt ex hoc, an iſte cōſumando matrimoniū peccet, ſi peccat tenetur ingredi religionē, nā ea ratione peccat, quia tunc ſe reddit impotentē ad illud ſeruandū, & ſibi imputet, quia ipſemet ſe in illas anguſtias iniecit. Sed dico cum Soto, quod peccauit contrahendo, quia tunc tradit poteſtatem corporis ſui contra uotum, at conſūmando non peccat niſi exigat, uel niſi uotum fuerit religionis, quia reddendo dat parti, quod ſuum eſt. Et ſi dicatur. quod ad huc poteſt ſuum adimplere uotum: reſpondetur ſimpliciter negando, quia uotum fuit de caſtitate, & non de religione. Et confirmatur, quia ſi contrahens cum uoto religionis, ſecundum communem poteſt petere debitum, quia licet uotum caſtitatis ſit annexum uoto religionis, non tamen illud expræſsè emiſit, qua ratione obligandus eſt iſte ad tam arctum uinculum religionis, ad quod ſe nullo modo aſtrinxit? ſi quia ſic poteſt adimplere ſuum uotum, ille quoque poteſt aliqua ex parte adimplere ea, quæ ſunt religionis, quam uouit, ad

Sylu. V. Matrimonium 7. q. 5.
Nauar. in man. c. 16. nu. 80.
Sot. 4. ſ. d. 35. q. 2. ar. 1.

quæ magis tenetur, cum uirtualiter illa uouerit, quam alter, qui nullo modo religionem uouit. Confirmatur etiam, quia, ut dicemus, qui uouit certam religionem, ſi in ea non recipitur non tenetur ingredi aliam in qua reciperetur, imo nec aliud monaſterium eiuſdem ordinis, ſi certum, & determinatum uouit. Nec obſtat, quod uotum caſtitatis in ordine ad matrimonium eſt fortius illo religionis, nam habens uotum caſtitatis non poteſt petere debitum; quia hoc eſt per accidens, cum formaliter ſit de caſtitate, ſimpliciter tamen in ſe uotum religionis eſt ſtrictius, quia eſt ad plura, & ſtrictius etiã eſt aliqua ex parte in ordine ad matrimonium, quia cũ eo contrahens tenetur non conſumare, at contrahens cum uoto caſtitatis, licet melius faceret non conſummando, & ingrediendo religionem, non tamen peccat per redditionem debiti conſummando.

De illo qui poſt Votum Religionis duxit uxorem, & an Votum de profitendo magis obliget, quam Votum de ingrediendo. Cap. XX.

Sed tranſeamus ad alias difficultates, Vouit quis ingredi religionem, ſed cum non inueniat religionem, quæ illum recipiat, dubitari poſſet an licitum ei ſit matrimoniũ contrahere. Reſpondetur, quod ſi uouit religionẽ intentione præcipua ſeruandi perpetuã cõtinẽtiã, etiã ſi non admittatur ſi nõ poteſt fieri religioſus, debet in ſeculo cõtinẽter uiuere, & nõ poteſt ducere uxorẽ, at ſi ſimpliciter uouit religionẽ, & ad caſtitatẽ non intendit ſe obligare, niſi ſecũdario, & acceſſoriè quatenus religioſus, poteſt ducere vxorẽ, & debitũ petere; Idẽ dubiũ eſt de illo, qui ſua culpa nõ poteſt religionem ingredi, quia matrimoniũ contraxit, de quo certũ eſt, quod contrahendo peccauit, ſed dubitatur an teneatur cõtinere eo modo quo poteſt, nõ petendo debitũ, & Sylu. cũ alijs dicit, quod nõ poteſt petere debitũ, & poſſet etiã ratione probari, quia nemini ſua culpa ſuffragari debet, neque ſuus patrocinari dolus. Sed dicimus cum Caietano, & Soto inter illũ, qui ſine ſua culpa non admittitur, & illũ, qui ſua culpa redditur impotens ad ingrediendum religionẽ, eſſe quidem differentiã quo ad contrahendũ, quia iſte peccauit contrahẽdo, ſed quo ad petitionẽ debiti non eſſe differẽtiã, quia uterq; poteſt petere, ſi eodẽ modo, & eadẽ intentione uouerunt. ſ. abſolute religionem, & caſtitatẽ ſecundario, ut religioſi, & ratio eſt, quia nemo uirtute uoti obligatur niſi ad id, quod

Sylu. V. Votum. 2. §. 1. Caiet. 2. 2 q. Sot. lib. de iuſt. & iur. q. 2. ar. 1.

eſt

eſt proprium eius obiectum, illius autẽ, qui religionem ſimpliciter uouit, propoſita fuit tantum religio, ergo ad id tantum tenetur, quod ſi ſoluere non poteſt, immunis eſt à uoto. Et ſi obijciatur, quod qui obligatur ad aliquid obligatur etiam ad id, quod inde ſequitur. Reſpondetur hoc uerum eſſe ſtante principali, ſed falſum principali non ſubſiſtente, nam qui ſtatum aliquem pollicetur aſſumere, non ſe obligat ad leges illius ſtatus quouſq; ſtatum illũ reuera aſſumat, quia nõ exprimit in ſuo uoto obligationẽ ad peculiares leges illius ſtatus, & quemadmodum, qui uouit intra annum Sacros ordines ſuſcipere, ſi eo tempore non ſuſcipit, peccat quidẽ, ſed non obligatur ad diuinum officium, & fornicando nõ peccat contra uotũ, ſeu præceptũ cõtinentiæ, quod eſt ordini annexũ, ita etiam, qui uouit ingredi religionẽ, & in ea permanere, grauiter quidẽ peccauit cõtrahẽdo matrimoniũ, & eo ſoluto debet religionẽ ingredi, ſed illo ſtante non tenetur continere non petendo debitum. Nec obſtant cap. Quidam, & ca. Placet. de conuerſi. coniug. nam illi uota ſolẽnia emiſerunt, & caſtitatẽ explicitè promiſerunt, & ideo quatenus inuito coniuge ſe obligare potuerunt, aſtricti erant, & non poterant petere debitum, nec tranſire ad ſecũdas nuptias, ſed quia uotũ quo ad alia nõ tenuit, defunctis coniugibus, in ſeculo permanere potuerunt. Nec etiam obſtat ſi dicatur, quod qui uouit pauperibus erogare decẽ, aut Aduentus ieiunia ſuſtinere, ſi nõ poteſt totum perſoluere, tenetur quantum poteſt; quia non eſt eadem ratio, nam qui uouet totum, formaliter uouet partem, at qui uouet ſtatum non uouet formaliter leges illius ſtatus, ſed ſecundario, & conditionatè quatenus illum ſtatum teneat.

Obiectiones cũ ſolutionibus.

Idem etiam dubium eſt de illo, qui non ſolũ uouit ingreſſũ religionis, ſed uouit etiam uoto ſimplici profiteri, & perſeuerãtiam uſq; ad mortem, an ſi ſua ſponte matrimonij impedimẽto ſe ligauerit, ad aliquid amplius teneatur præ illo, qui non niſi ingreſſum uouit, nam cum iſte formaliter uouerit ſuum uotum ſolemnitate firmare, uidetur quod teneatur ad caſtitatem ſibi poſſibilem, ſcilicet, ut debitum exigere non poſſit. Sotus mouet hoc dubium, & reſpondet benè, quòd poterit petere debitum, ſed tamen (pace eius dixerim) in duobus errauit. Primo, quia repræhendit Caietanum, qui differentiam fecit inter eum, qui ſimpliciter uouit religionem, & illum qui uouit perſeuerantiam, & profiteri, & dicit hoc ſecundum nihil ſuperaddere uinculi, nam qui religionem abſolute uouit, uotum illud, ſecundum iura emittit, tam diuina, quam humana, ius au-

tem diuinum eſt, ut uoueat ea intentione, ut uerè efficiatur religioſus, & perſeueret, uſque ad mortem, iura autem Eccleſiaſtica dant tempus probationis, ut ſi experimento bona fide didicerit ſibi religionem non congruere, non ſuſcipiat id, quod ferre non poteſt, unde ſi quis uouendo ter quaterue addiderit perſeuerare, ſemper intelligitur niſi tempore probationis experientia aliud docuerit. At quod uotum cum promiſſione, ſeu intentione perſeuerandi, & profitendi, ſuperaddat maius uinculum uoto ſimpliciter de ingrediendo religionem, & quod ille magis teneatur ad perſeuerantiam expræſsè docet S. Thom. 2.2. q.189. art.4. ubi dicit, quod cum obligatio uoti procedat ex uoluntate, in tantum fertur obligatio uoti inquantum ſe extendit uoluntas, & intentio uouentis, ſi ergo vouens intendit se obligare non ſolum ad ingreſſum religionis, ſed ad perpetuo remanendum, tenetur perpetuo remanere, ſi autē intendit ſe obligare ſolum ad ingreſſum religionis cauſa expetiēdi, uel ſimpliciter abſq; eo quod cogiret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, uidetur obligari ad ingreſſum ſecundum formā iuris cōmunis, quę eſt ut ingrediētibus detur annus probationis, vnde non tenetur perpetuo in religione permanere. Et confirmatur cū Nauarro 1. quia uotū de ingrediēdo, & uotū de profitendo, & perpetuo remanēdo sūt diuerſa, & hoc ſecūdū eſt arctius. 2. quia ius cōmune nō adeo obligat ad perſeuerandū eū qui uouit ingredi ad probādū, quā qui uouit etiā perſeuerare, & profiteri. 3. qui uouit tātū ingredi religionē, & eā ingreditur, & poſt ingreſsum uouet profiteri, multo magis obligatur ad profeſſionem faciendā. 4. quia nullus iuris peritus inuenietur, qui non iudicaret diſpenſationem illam eſſe ſubreptitiam, quam qui uouit ſimul ingredi, & profiteri, impetraret exprimendo tantū, quod uouit ingredi, & tacendo quod vouit etiam profiteri. Accedit 5. quia annus probationis datus eſt in fauorem uouentis, & religionis; & poſſunt ei renunciare, extra de Regula. cap. Ad Apoſtolicam, uouens autem profiteri videtur quantum eſt ex ſe, ei renunciare. Secundo errauit Sotus in hoc, quod contra Caietanum dicit, quod habens uotum de profitendo, ſi contrahit, poteſt petere debitum, quod quidē uerum eſt, ſed Caietanus non dicit, quod non poſſit petere, ſed Sotus non uidetur poſſe intelligere maiorem obligationem dicti uoti, quam in ordine ad continentiam, & ad matrimonium. In quo autē cōſiſtat hæc maior obligatio nō ſatis explicatur, nā per illud Votū non tollitur ſimpliciter beneficiū anni probationis

Nauar. in man. c. 12. nu. 47.

nis à iure conceſſum, nec etiam maior inducitur obligatio continentiæ, ut cum eo contrahens non poſsit petere debitum, nã cum uotum ſit de ſtatu ſuſcipiendo, ſi ad illum redditur inhabilis, non tenetur ad illius leges, ut diximus. Vt ergo rem plenè explicemus, dicimus cum Caietano, quod tam illi, qui ſine uoto, quam illi, qui cum uoto ingrediuntur religionem, tenentur in conſcientia perſeuerare, niſi nouitiatus tempore inuenerint religionem eis non expedire, & ſi ſine rationabili cauſa egrediũtur, peccant, ſed differenter, nam qui nullum habẽt uotum, peccant uenialiter, qui autem habent uotum, mortaliter. Sed adhuc remanet dubium, quid amplius operetur uotum de profitendo; & dicimus hoc operari, quod qui habet huiuſmodi uotum, ſi iudicatur aptus religioni, tenetur in ea perſeuerare, licet experiatur aliquot difficultates quas iudicaret ſufficientes ad redeundum ad ſeculum, ſi uotum fuiſſet ſolum de experiendo, nam uouendo profiteri uidetur promittere ſe ſuperaturum difficultates religionis, & renunciare beneficio probationis ſibi cõceſſo, & ſi iudicat propter illas difficultates religionem ſibi nõ conuenire, ſi religio illum non dimittit, ſed ſibi utilem fore iudicat, non poteſt exire ſine diſpenſatione, & ad illam obtinendam exptimendum eſt, quod uotum etiam fuerit de profitẽdo.

De obligatione Voti impoſsibilis, & de illis, qui habent Votum Religionis, & non recipiuntur, uel expelluntur. Cap. X X I.

AGendum nunc eſt magis in particulari de impoſsibilitate adimplendi uotum, quæ ut diximus ſufficit, quod ſit moralis, impoſſibilitas autem ieiunandi, peregrinandi, faciendi eleemoſynas facile conſtat, ideo exemplaerunt de uotis ingrediendi religionem, de quibus frequentius contingit dubitare, Ille qui habet uotum ingrediendi religionẽ in certo monaſterio limitatè, ſi in eo recipi non poteſt, licet poſſit in alio, etiam eiuſdem Ordinis, non tenetur amplius religionem ingredi, quia uotum fuit limitatum ad illud ſolum monaſterium in quo non recipitur, & obligatio voti non ſe extendit vltra uouentis intentionem. Ille qui abſolute vouit ſe ingreſſurum certam religionem, ſi non recipitur in illo monaſterio, vbi uellet, non propterea excuſatur, ſed tenetur adire multa monaſteria ſi forte ſint in illa ciuitate uel propè, & ſi in nullo recipitur, excuſatur, & non tenetur totam prouinciam percurre-

re,nec aliam ingredi religionem in qua reciperetur. Ille, qui abſolute vouit religionem, tenetur plura monaſteria diuerſorum ordinum in illa ciuitate,uel prope exiſtentia adire, & ſi nõ recipitur remanet liber, nec tenetur totam prouinciam percurrere,cum uotum ſit de poſſibili morali.

Dubitatur hoc loco de illo, qui uouit religionem hac præciſa,& ſola intentione,ut inter illos recipiatur, qui ſacris initiantur,& non recipiuntur,quia grammaticam ignorat, ſed recipetur tanquam laicus,an teneatur,uel grammaticam diſcere, uel ingredi,ut laicus. Reſpondetur cum Soto,quod ſi bona fide uouit credens non eſſe ſibi neceſſarium ſcire latinam linguã, non tenetur neque diſcere grammaticam, neq; intrare ad ordinem laicorum,quia ſua ignorantia illum excuſare uidetur, at ſi ſciebat eſſe neceſſariam grammaticam tenetur illam diſcere ſi poteſt,uel ut inquit Sotus intrare, ut laicorum ordini deputetur,Sed quoad hoc vltimum puto eſſe diſtinguendum,nam quã do uouit,ſi credebat ſe eſſe aptum ad diſcendum,& omni adhibita diligentia non poteſt diſcere,non tenetur ingredi,at ſi ſciebat ſe eſſe ad diſcendum inneptum, credo quod teneatur ingredi,& in ea permanere,ut laicus,quia appoſuit limitationem,ſeu conditionem,quam ſciebat ſibi eſſe impoſſibilem, & ne uotum ſit deluſorium in fauorem uoti,& religionis, habetur pro non appoſita, ſicut etiam cõditio impoſſibilis appoſita matrimonio non ſuſpendit,nec illud tollit,ſed tenet,& conditio pro non appoſita habetur in fauorem matrimonij. Vnde Nau. de illo, qui uouit ire Hieroſolimam genibus flexis, ore bufonem portãdo, dicit,quod uotum tenet quo ad profectionem, ſed non quoad circunſtantias, nam prima moraliter eſt impoſſibilis, ſecunda parum decens,at profectio eſt honeſta,& poſſibilis, & utile per inutile non uitiatur quando ſunt ſeparabilia, ut hæc. Ille, qui poſt uotum ſolenne tãquam incorrigibilis à monaſterio expellitur quamdiu per ipſum ſteterit quominus recipiatur non eſt tutus, ſed tenetur ſe emendare, ſi autem correctus, & paratus ad ſatisfactionem non recipitur,tutus manet in ſeculo, & ut inquit Sotus non tenetur niſi ad uotum caſtitatis,nam à voto obedientiæ manet abſolutus,cum Prælatus eum reiecerit,& à voto paupertatis,quia conuentus eum non alit, & ſi non fuerit in ſacris, non tenetur etiam recitare officium diuinum, nec etiam tenetur ad ieiunia,& alia religioni annexa,quia illorum non fecit votum expræſſum, & ad illa non tenebatur niſi ratione religionis, à qua expellitur,à voto tamen caſtitatis non eximitur,

Nau.c.12 nu.43.

Sotus ibidem.

quia

quia expræſſe illud emiſit, & prælatus non potuit ab eo illum liberare. Votum de nunquam uenialiter peccando nobis peccatoribus de impoſsibili cenſetur, non enim id poſſumus ſine peculiari priuilegio.

De obligatione ad uota aliorum. De Votorum diſpenſatione, de Voto pœnali, & de blaſphemia.
Cap. XXII.

Decimotertio, peccat hæres, qui non adimplet uota realia defuncti, & ſunt illa, quæ ad illius rem familiarem pertinent, ut ſi vouiſſet ædificare templum, aliquam eleemoſynam pro Dei amore elargiri, nam ad hæc tenetur, ſicut & ad alia eius debita, ſecus de perſonalibus, ut de ieiunando, de caſtitate. At quando uotum eſt partim reale, & partim perſonale, ut inquit Palud. ſi utrumque fuit expræſſum hæres tenetur ad reale, vt ſi uouit ire ad S. Iacobum, & offerre vnum equum, hæres non tenetur ire, ſed equum mittere, Si vouit fundare monaſterium, & intrare, nō tenetur intrare, ſed fundare, at ſi perſonale eſt principaliter expræſſum, & reale tacitū, vt acceſſorium, hæres ad nihil tenetur, quia ſublato principali ſubmouetur acceſſorium, ut ſi uouit ire ad S. Iacobum, non tenetur hæres expenſas quas ille feciſſet eundo, ſtando, redeundo, & etiam ibi offerendo dare, ſicut nec ire, Decimo quarto, peccat populus, qui non adimplet uota eiuſdem populi ſuperioris ætatis, ut de obſeruatione feſtorum, de oblationibus faciendis, nam tenetur ratione uoti cum ſit idem populus, aut ſaltem ui contractus, aut promiſsionis, quæ tranſit in uniuerſalem ſucceſſorem.

De peccatis propter aliorum uota & primo heredum.

Palud. 4. d. 38. q. 3. ar. 3.

Decimo quinto, peccat qui aliquem retrahit à propoſito religionis, quód uolebat exequi, & grauius ſi poſt ingreſſum, & grauiſsime ſi poſt profeſsionem, & ſi poteſt illum religioni reſtituere, tenetur, & ſi non poteſt, debet perſuadere alteri æque bono, vt religionem ingrediatur, & ſi non ingreditur, non propterea tenetur ipſe ingredi, ſed ſatis eſt, vt pœnitentiam agat de peccato, & præiudicio facto.

Quando excuſet res parua, & de Voti irritatione, & diſpenſatione, quando teneant in cõſcientia, diximus ſuperius in principio præſentis lib. quæ filiorū, & ſubditorū uota poſsint irritari, diximus in cap. 18. modo 11. quo peccatur cõtra uotū. Quibus nunc aliqua breuiter addemus de illis, qui in Votis diſpenſare

poſſunt. & in quinque uotis.ſ.perpetuæ continentiæ, religionis,peregrinationis in Hieruſalem, Romam, & ad S. Iacobum Compoſtellæ, ſolus Papa, uel qui ab ipſo peculiarem facultatẽ habet diſpenſare poteſt. In cæteris autem uotis alij Prælati inferiores poterunt diſpenſare,ut Epiſcopi,& qui iuriſdictionem Epiſcopalem habent, Prælati inferiores non habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem nõ poſſunt,niſi ad hoc præſcriptione,uel priuilegio peculiari muniantur. At Prælati regulares nõ ſolum poſſunt ſuorum religioſorum uota irritare, ſed etiam in eis diſpenſare, quia eorum iuriſdictio quaſi Epiſcopalis reputatur iuxta Gloſ. in Clem. 1. de reb. eccl. Ex priuilegio multis confeſſarijs conceditur facultas diſpenſandi, & commutãdi uota pœnitentium,Innocentius 8. conceſsit confeſſarijs rite præſentatis ex ordine Fratrum Minorum, ut poſsint diſpenſare in omnibus uotis in quibus poſſunt Epiſcopi, præter quam in uoto peregrinationis ultra duas dietas, ut habetur in compendio priuil.relig.idem etiam poſſunt confeſſarij Ordinis Prædicatorum, & aliorum, qui ſunt participes priuilegiorum ordinis S. Franciſci, Alijs etiam Confeſſarijs,non pro ſemper,ſed certis uicibus,eadem, uel etiam maior facultas conceditur, uel omnibus,ut tempore iubilei,uel electis, ut uigore particularium indulgentiarum,uel bullarum,quæ facultas non extenditur ultra conceſsionem, & propterea debent confeſſarij uidere formam conceſsionis,ut ſciant,quæ facultas eis conceditur,& quæ conditiones requirantur ex parte diſpenſandorum.

Dubitatur de uoto pœnali, quod quis facit ingrediendi Religionem,ſi certum aliquod peccatum cõmiſerit, an Epiſcopus in eo diſpenſare poſsit; de quo ſunt tres ſententiæ, prima eſt
Nau.c.12. nu. 43. Nau. quod ante commiſſum peccatum, poteſt diſpenſare Epiſcopus, quia uotum principale eſt de non committendo illud peccatum, uotũ autẽ religionis eſt acceſſorium, ſed Epiſcopus poteſt diſpenſare in primo, ergo poterit etiam diſpenſare in ſecundo,quia acceſſorium ſequitur principale, & ſublato princi-
Sot.lib.4. de iuſt. & iur. q. 4. ar.3. pali,tollitur acceſſorium. Secunda ſententia eſt Soti,quod etiã ante commiſſum peccatum non poteſt diſpenſare niſi Papa, quia uotum Religionis illi reſeruatur. Tertia ſententia eſt Bar-
Bart.Med. in inſtruc. Cõf.præc. 2.§.16. tholomei Medinæ, quod Epiſcopus diſpenſare poſsit etiã poſt commiſſum peccatum, quia in hoc caſu Religio non uouetur, ut uolita,ſed tanquam non optata,& pœna grauiſsima, & ut uolita, ſecundum quid, ſimpliciter autem non uolita, ſed Papa quando ſibi reſeruat uota Religionis,peregrinationis,&c. illa

ſibi

ſibi reſeruat quatenus ſunt per ſe uolita, & habent propriam rationem uoti, & non pœnæ, quia huiuſmodi reſeruatio habet quandam rationem pœnæ, & propterea eſt ſtrictè interprætanda, & ad proprios, & formales terminos reſtringenda, ut tunc uota reſeruentur quando ſunt de re ſimpliciter uolita; quiſque eligat illam ſententiam, quam maluerit.

Eſt autem notandum, quod cum diſpenſare, & commutare differant, qui habet poteſtatem commutandi Vota, non poteſt in eis diſpenſare, quia maius eſt, ſed dubitatur an habens facultatem diſpenſandi, poſsit commutare, Nauarrus repræhendit Sotum id affirmantem, ſed uiſis iuribus à Nauarro adductis, dicimus cum Soto, quod qui poteſt diſpenſare in uotis, poteſt etiam illa commutare, & ratio eſt, quia commutatio eſt quædā ſpecies diſpenſationis, quando fit in minus, uel in æquiualens, ſed commodius bonum; nam diſpenſatio poteſt fieri, uel in totum, uel in parte, & remittendo, & commutando. Commutatio in melius quando conſtat eſſe melius iuxta Caiet. & Sotum poteſt fieri etiam propria auctoritate, at in æque bonum requiritur auctoritas Superioris, Vota perſonalia non poſſunt commutari in realia propria auctoritate, ut uotum ieiunij in eleemoſynam, Alia poſſent tractari, quæ breuitati conſulentes, ſcienter omittimus. Nau. ibid. num. 79. Sot. ibid.

De blaſphemia.

PEccatur tandem contra hoc ſecundum præceptum blaſphemando, quod tunc contingit, quando dicitur tacite, uel uerbo aliquid contumelioſum contra Deum, aut eius Sanctos; & multis modis fit, quos ut notos relinquimus, peccatum eſt grauiſsimum, & ſi blaſphemās credit ita eſſe, ut dicit, eſt hæreticus. Interroget etiam Sacerdos hoc loco an diuino cultui ſeculares cantilenæ admiſceantur, & an uerba Sacræ ſcripturæ extra proprium ſenſum, etiam iocandi, & ridendi cauſa, uſurpentur.

De Tertio Præcepto Decalogi, & de Præceptis Eccleſiæ.

De ratione tertij præcepti, Quæ feſta ſint obſeruanda, & quæ in illis prohibeantur, & quomodo.
Cap. XXIII.

S.Th.2.2. q.122.ar.4

REmotis impedimentis ueræ Religionis per primum, & ſecundum præceptum decalogi, ſequitur tertium, per quod homines in uera Religione fundantur, ad quam pertinet cultum Deo exhibere, ſed quia ad interiorem cultum, qui conſiſtit in oratione, & deuotione, magis inducitur homo, ex interiori inſtinctu Spiritus ſancti, præceptũ legis, magis dandum fuit de exteriori cultu, ſecũdum aliquod ſenſibile ſignum, & cum præcepta decalogi ſint quaſi quædam prima, & communia legis principia; præceptũ de exteriori Dei cultu datum fuit ſub ſigno communis beneficij. ſ. ad repræſentandum opus creationis mũdi, à quo Deus die ſeptima requieuiſſe dicitur; quod præceptum eſt partim morale, & partim cæremoniale; morale quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus uitæ ſuæ ad uacandum diuinis, cæremoniale inquantum in eo determinatur ſpeciale tempus in ſignum creationis mundi, & ut cæremoniale ceſſauit, & manſit ut morale, & feſtiuitas Sabbati tranſlata eſt in diem Dominicam, & ad hoc præceptum pertinent etiam aliæ omnes feſtiuitates ab Eccleſia præceptæ, & reducuntur etiam præcepta Eccleſiæ, quæ ad exteriorem Dei cultum pertinent.

Nolumus in rebus claris, & quæ facilè inueniuntur diutius immorari, & propterea circa hoc tertium præceptum aliqua ſolum præcipua notabimus, ex quibus emergentes difficultates facile ſoluentur. Et primum ſit, quod quamuis finis huius præcepti ſit interior cultus, ut homo ad Deum conuertatur, Deo uacet, ipſoq; fruatur, & in eo quieſcat, tamen præceptum eſt de exteriori cultu, & quando finis præcepti eſt aliud à re præcepta, tũc nõ cadit ſub præcepto, iuxta S.Tho. Ex quo ſequitur, quod licet peccata, quæ ſunt contra alia præcepta, facta in die feſto, ſint contra finem huius præcepti, non tamen ſunt contra hoc præceptum, & conſequenter non eſt circunſtantia neceſſario con-

confitenda iuxta ſcholam thomiſtarum, quam quæſtionem Sotus diffuſe tractauit.

Sot. lib. 2. de iuſt. & iure q. 4. ar. 4.

S.Th. ibid ad quartũ

Eſt ſecundo notandum ex S.Tho. quod cum obſeruatio diei Dominicæ in noua lege, ſuccedat obſeruantiæ ſabbati, non ex ui præcepti legis, ſed ex conſtitutione Eccleſiæ, & ex conſuetudine populi Chriſtiani, & iſta obſeruatio non ſit figuralis, ſicut fuit obſeruatio ſabbati, non eſt ita arcta prohibitio operandi in die Dominica, & in alijs feſtis Eccleſiæ, ſicut fuit in die ſabbati, ſed quædam opera conceduntur, quæ in die ſabbati prohibebantur, ſicut decoctio ciborum, & huiuſmodi, & in quibuſdam operibus prohibitis, facilius propter neceſſitatem diſpenſatur in noua, quam in ueteri lege, quia figura pertinet ad proteſtationem ueritatis, quam nec in modico præterire oportet, opera autem ſecundum ſe conſiderata, immutari poſſunt pro loco, & tempore.

Quæ ſeruanda.

Eſt tertio notandum, quod quamuis feſta iure cõmuni omnibus obſeruanda, ſint expræſſa, & determinata in cap. Pronunciandum de conſ. diſt. 3. & cap. conqueſtus de ferijs, & alibi, conſuetudo tamen multa ex eis abſtulit, & alia induxit, & propterea in ſingulis regionibus obſeruanda ſunt illa feſta, quę lex, aut conſtitutio ſynodalis recepta, & non abrogata, uel conſuetudo præſcripta ibi præcipit obſeruari. Et qui degit in aliquo loco tenetur obſeruare feſta illius loci ubi tunc degit, & nõ illa, quæ in propria patria obſeruantur, Sed ſolus tranſitus ad peculiaria feſta non obligat, ſi ibi non quieſcitur, non enim tenetur iter agẽs retardare ſuum iter, ut audiat ſacrum in die feſto proprio loci per quem tranſit, at ſi ibi ante prandium ſiſteret, teneretur audire, & ſi ibi pranderet, teneretur ueſci cibis ieiunij ſi peculiare ibi ieiunium obſeruaretur. Modus etiam incipiendi, & terminandi feſta, an. ſ. à ueſpera ad ueſperam, uel à media nocte in mediam noctem, ſumendus eſt à conſuetudine loci. Imo ſi communis conſuetudo alicuius loci eſſet illa ſeruare à ueſpera ad ueſperam, & aliquæ artes propter ſuum proprium exercitiũ haberent propriam cõſuetudinem illa ſeruandi à media nocte in mediam noctem, vt ſutoria, & barbitonſoria, excuſantur ratione cõnſuetudinis propriæ omnium fere illarum artium.

Quãdo incipiunt, & terminantur.

Eſt quarto notandum, quod hoc præcepto prohibentur diebus feſtis opera ſeruilia, ut ab eis liberi expeditius diuinis uacemus, unde ſi fiant, ut Deo ſeruiamus, uel immediate propter Dei cultũ, uel mediate, proximi, uel proprijs neceſsitatibus ſubueniendo, non erimus huius præcepti tranſgreſſores, Quæ autem

Sot. ibid.

Sex capita vnde poteſt innoteſcere, quę liceāt diebus feſtis.

Primum.

tem, diebus feſtis licitè fieri poſſunt, cum Soto ad ſex capita reducere poſſumus. Primum eſt ſi opus ad Dei cultum pertinet, & huiuſmodi opera ſunt in triplici differentia, quædam ſunt ſpiritualia, ut Sacramenta adminiſtrare, exorcizare, prædicare, quædam ſunt corporalia in quibus per ſe conſiſtit cultus, ut in proceſſionibus portare Crucem, Sanctorum reliquias, organis, & alijs inſtrumentis cantare, quædam tertio ſunt præparatoria ad diuinum cultum, & iſta adhuc ſunt in triplici differētia, quędam ſunt ipſi cultui propinqua, ut pulſare campanas, alia uero ſunt, quæ poſſunt fieri die præcedenti, ut Eccleſiæ apparatus, & quæ ad eius apparatum pertinent, & hæc non ſunt facienda in die feſto, niſi forſan id exigat continuatio feſtorum, uel quia præcedenti die non potuerunt abſolui, quædam alia ſunt non per ſe, ſed accidentariè, & remote ad diuinum cultum ſpectantia, ut colere agros paupercula Eccleſiæ, uel hoſpitalis, aut ad eius ſtructuram portare lapides, & hæc ſine neceſsitate, & ſine Epiſcopi licentia non debent fieri in die feſto, quia ſunt opera ſeruilia.

Secundum.

Secundum genus operum, quæ in feſto licent eſt ſpiritualiū actionum, quæ à ſpiritu noſtro proficiſcuntur, ut docere, conſulere, & huiuſmodi, nam opus ſeruile idem eſt, quod corporale, quia corpus animæ ſeruit, & propterea, quæ ad animam pertinent non connumerantur ſeruilibus, artes autem quamuis ſint intellectuales, ſunt nihilominus ſeruiles, & mechanicæ, quia eorum finis eſt opus, & non intelligere ſicut finis ſcientiarum. At sunt non nulla ſpiritualia, quæ Eccleſia in feſtis prohibuit, & hæc ſunt ius dicere, cauſas agere, proceſſus formare, iuramētum ſolenniter in iudicio niſi cauſa pacis præſtare, quæ tamen ingruenti atroci, & extraordinario crimine diſpenſationem admittunt, ut ſi publicus latro, aut læſor maieſtatis caperetur in feſto, liceret eum ſubito in ſupplicium rapere.

Tertium.

Tertium genus eſt illorum operum licitorum, quæ quamuis ſint corporalia, non tamen propriè ſunt ſeruilia, nam inter corporalia quædam exiſtunt genere ſuo ſeruilia, ut ſunt opera artium mechanicarum, quæ prohibentur, quędam ſunt genere ſuo libera, ut opera liberalium artium, qualis eſt muſica, & figuras geometricas in abaco ducere, deſignare, recamare, quod faciunt puellę ad diſcendum, quæ certum eſt in feſtis licere, quędam autem ſunt liberis, & ſeruis communia, ut ſcribere, iter agere, uenari, &c. & quidem ſcribere literas, orationes habendas ad populum, aut lectiones prælegendas, & etiam conſilia, &

instru-

inſtrumenta de his rebus, quæ licite fiunt diebus feſtis, etiam ſi ob lucrum fiant, ut inquit Nauarrus, licitum eſt, quia non ſunt opera ſeruilia, at tranſcribere librum, aut inſtrumẽtum ob quæſtum non licet, quia quamuis ſcribere de ſe non ſit opus ſeruile, etiam ſi ob lucrum fiat, eſt tamen ſeruile tranſcribere, & tranſcribendo componere libros, ut lucretur, quia hoc eſt mechanichum, & corporale; Ire etiam uenatum audita Miſſa animi gratia, imo (ut inquit Nauarrus) etiam ſi ob quæſtum fiat, non eſt mortale, quia non eſt opus ſeruile, neque ex numero non ſeruilium prohibitorum. Nau. c. 13. nu. 14.

Quartum genus eſt operum ſeruilium neceſſariorum, nam neceſſitas excuſat, hac ratione excuſantur. Primo, qui parant ea, quæ ad communem uictum pertinent, ut coqui. 2. ob neceſſitatem ſalutis corporalis, excuſantur Medici, pharmacopolæ, ſanguinis emiſſores, & qui fugiunt propria pericula, at pharmacopolæ non excuſantur niſi ſecundum neceſſitatem diei præſentis, quia eſt ars ſeruilis. 3. ob neceſſitatem ſalutis communis reipublicæ, excuſantur milites in bello, & qui illis aggeres, & uallũ ducunt, & quoſuis alios labores proferunt. 4. ob particularem neceſſitatem excuſantur, qui occurrunt cõflagrationibus, & inundationibus, & etiam qui coguntur ob aeris inclementiam metere, vendemiare, ſed quando dubitatur an ſit tanta neceſſitas, petenda eſt licentia ab Epiſcopo, uel ſaltem à Parocho; ſic etiã excusãtur Agaſones, qui iumẽtis oneratis ſuũ iter nõ intermittunt, ſecus ſi de ſuis domibus diebus feſtis proficiſcuntur ſi in alium diem differre poſſunt: niſi conſuetudo audita Miſſa eos excuſet. 5 ob eandem cauſam excuſantur illi, qui munera reipublicæ neceſſaria exercent, quæ non poſſunt ſine graui iactura diebus feſtis intermitti, ut ſunt nautæ, curſores, muliones, & qui iſtis ſeruiunt, ut fabri ferrarij, & qui ea faciunt quæ in alium diem differri non poſſunt, ut excoquere uitrum, ollas, tegulas, calcem, iuxta Ang. Caiet. & Nau. 6. excuſantur, ut inquit Sotus, qui propter reipublicæ ornatum, & ludum mechanice ſeruiunt, præparando, & diſponendo, quæ neceſſaria ſunt, ut in torneamentis, licet ſalubrius ſit diſpenſationem petere. 7. excuſantur ſubditi, ſerui, agricolæ, filij, & uxores, iuſſi & compulſi à ſuis dominis patribus, viris, ad opus agendum diebus feſtis, non in contemptum feſtorum, ſed alterius rei gratia, qui niſi morem gererent in magnum aliquod damnum perſonale, uel reale inciderent, maxime ſi ob id non prætermittitur Miſſa. 8. pietas ſine neceſſitate non excuſat ab operibus Quartum

ſer-

ſeruilibus, ſed excuſat ab operibus non ſeruilibus, diebus feſtis prohibitis, ut inquit Nau. & ſic excuſātur iudices ruſticorū, qui diebus feſtis ius eis dicunt, eo quod alijs diebus, neq; iudices, neq; teſtes ſuppetunt, aut ne pauperes amittāt ſuos dies operarios, quibus ad uitam ſuſtentandam maxime indigent. Non excuſantur autem illi ciues, qui ſub ſpecie pietatis, ut aliquibus pauperibus ſubueniant faciunt diebus feſtis illos laborare in uinea, uel agro, & illis poſtea ſoluunt mercedem, nam uera pietas erit dare illis eleemoſynam, & non ſuam rem agere, contra præceptum Eccleſiæ, nec excuſantur, quia laborabunt in alterius agro, ſicut non excuſantur dantes ad uſuram per hoc, quia indigens benè accipit, & ſi non dat ei unus dabit alius. Imo, ut inquit Nauar. contra hoc pręceptum peccat, qui laborat pro pauperibus diebus feſtis, etiam audita Miſſa, ſed principalius propter aliquod commodum, uel amicitiam, aut cognationem quam ob eleemoſynam, aut etiam principalius propter paupertatem, ſed non uſque adeo magnam, aut uſq; ad ultimam eius potentiam laborat.

Nau. ibid. nu. 13. — Nau. ibid. nu. 10.

Quintum. Quintum genus eſt eorum operum ſeruilium, quæ ab Eccleſia conceduntur, conceſsit enim Alex. 3. in cap. licet de ferijs, ut piſcatores in feſtis haleces piſcari poſſent, & idem intelligitur de alijs piſcibus, qui ſolo uno anni tempore, eoq; breui capiuntur. Sextum. Sexta cauſa excuſans eſt conſuetudo præſcripta, & de nouo non prohibita ab eo, qui illam prohibere poteſt, nam diebus feſtis prohibētur nūdinæ, & iā creberrima cōſuetudo eſt, vt in illis celebrētur, Pręlatis ſciētibus, & nō cōtradicentibus, hac etiā ratione excuſantur multi mercatus, & tā hac ratione quam Septimū. etiā ſeptima, quæ eſt ob modicitatem operis, excuſantur mulieres, quæ audita Miſſa, & Diuinis officijs, ac ſuis orationibus recitatis, ad euitandū otium, quod eſt puluinar ſathanæ, aliquid domi operantur, & ſint potius opera induſtriæ, ad diſcendum, uel animi gratia, quam mechanica, niſi excuſet neceſſitas.

Duo notanda. Duo autem ſunt hoc loco notanda. Primū, quod ea, quæ poſſunt fieri diebus feſtis, poſſunt etiā licite fieri ob pecuniā etiam principaliter eo modo quo fiunt alijs diebus, Contrariū tenent Rich. Ang. Tab. & Sylu. Sed ita tenent Caiet. Sot. Nau. & alij, & ratio eſt, quia propoſitum, & intentio lucrandi non facit, ut opus, quod aliàs ex ſuo genere non eſt ſeruile, ob hoc fiat ſeruile formaliter, uel materialiter; qui plures rationes deſiderat uideat Caiet. & Sotum. Eſt ſecundo notandum, quod quando Epiſcopus præcipit ſub pœna excommunicationis, ut nemo diebus feſtis

Caiet. 2. 2 q. 122. ar. 4. & in ſūma V. Feſtos. Sotus loco citato. Nau. c. 13 nu. 5.

ſtis operetur, non comprehenduntur illi, qui neceſſitate compulſi operantur, ſed eius generalis ſententia eſt iuridicè interpretanda, ut ſcilicet nemo efficiat opus niſi lege conceſſum.

De Miſſa audienda. *Cap. XXIIII.*

Contra primum præceptum Eccleſiæ de audienda Miſſa diebus feſtis mortaliter peccat. Primo, quicumq; habens uſum rationis nõ audit die feſto integram Miſſam, niſi rationabili cauſa excuſetur, eſſet quidem audienda quotidie, ſed tamen præceptum eſt de ſolo die feſto, & eſt audienda integra, & ſi ommittatur pars notabilis non ſatisfit præcepto, quæ autem ſit pars notabilis prudẽtis arbitrio relinquitur, ea uidetur, quæ protenditur ab introitu, uſq; ad Epiſtolam incluſiue, ex una etiam particula principij, & altera finis poſſet conſtitui una notabilis; & qui audiret dimidium vnius Miſſæ, & alterum dimidium ommiſſum alterius, ut ex aliorum etiam ſententia inquit Nauarrus, ſatisfaceret. Cauſa licita excuſans, eſt illa ob quam non poteſt audiri ſine graui damno animæ, corporis, honoris, bonorum propriornm, uel proximi. Et ita excuſantur primo, excommunicati, & interdicti, & ut inquit Nauarr. etiam ſi abſolutionem procurare neglexerint. 2. infirmi, & eis inſeruientes, qui ſine ſalutis damno eam audire nequeunt. 3. nutrices, quæ eos quos lactant ſine periculo relinquere non poſſunt. 4. illi, qui ratione ſui officij exire prohibentur, ut arcium cuſtodes, & domini, & eorum conſultores, qui tempore Miſſæ negocijs moram nõ patiẽtibus impediuntur. 5 illi, qui graui aliquo negocio, quod differri nõ poſsit, impediuntur. 6. iter agentes, qui audiendo Miſſam, ſocios neceſſarios ammitterent. 7. pauperes, qui carent ueſtibus ſine quibus abſq; notabili pudore eam audire non poſſunt. 8. puellæ nubiles, quæ iuxta conſuetudinem loci ex honeſtate clauſæ ſeruantur, dummodo non eãnt ad choreas, & non ſtent in feneſtris, aliàs peccatum eſt matrum, quæ illas non ducunt, & etiã ipſarũ ſi nõ faciunt, ꝙ in ſe eſt, ut ad Miſsã ducãtur. 9. nuptæ, quæ ſine magno ſcandalo nirorũ nõ poſsũt audire, puta, quia aliàs nõ præparãtur domi, q̃ præparari debẽt. 10. uiduæ, quæ iuxta regionis cõſuetudinẽ poſt mortẽ mariti domi ſe cõti nẽt, per hebdõmadã, uel mẽsẽ, ſed non per plures menſes, iuxta Sylu. at Nau. dicit excuſari illas, quæ integro anno domi ſe cõti nẽt in quadã prouincia Hiſpaniæ, iuxta illius loci cõſuetudinẽ,

Nauar. in Man. c. 21. nu. 2.

De illis q̃ excuſãtur

licet

licet ſanctius eſſet conſuetudinem illam non ſeruare. Sanctum etiam eſſet audire diebus feſtis reliqua diuina officia, de hoc tamen nullum eſt præceptum,& non audientes non peccant, niſi aliquo iure particulari,uoti,iuramenti,ſtatuti,beneficij,religionis, uel conſuetudinis præſcriptæ ad id teneantur, qualis conſuetudo uidetur eſſe in Gallia, & Nauarra auidendi Veſperas, ſed ut inquit Nau.illæ conſuetudines obligant ſolum ad ueniale,tum quia laxius,quam auditio Miſſæ ſeruantur, tum etiam quia pauci de illarum fractione tãquam de mortali ſe accuſãt.

Secundo peccat mortaliter,qui Miſſam quidem die feſto audit,ſed animum applicat his, quæ attentioni neceſſario debitæ repugnant in aliqua eius notabili parte, colloquendo, pingendo,ſcribendo, dormiendo, & alia huiuſmodi faciendo, & licet peccet,qui Eccleſiam principaliter adit ad uidendum, aut alloquendum fœminam,aut ob aliud quod uis illicitum, ſi tamen audit Miſſam,ſatisfacit huic præcepto. Tertio peccat, qui audiens Miſſam ex præcepto, ita recitat publicas, uel priuatas preces, ut auditioni Miſſæ neceſſariam attentionem non adhibeat; nec quoad hoc refert an preces ſint debitæ iure communi,uoto,pœnitentia,uel alio modo,an uoluntariæ; nam eodem tempore poteſt ſatisfieri præcepto de audienda Miſſa, & de dicendis horis canonicis, dummodo non ita attendatur uni rei, ut alteri neceſſaria attentio non adhibeatur,ut docet Nau.contra Ang.Gab.Maio.& Caiet.& quod ſimul, & eodem tempore intentio,&attentio poſſint eſſe ad multa,etiam non ſubordinata, quilibet per ſe facile experiri poteſt, & patet in illis, qui ſimul plures dictant litteras;hoc dicimus non ut aliæ orationes, & horæ canonicæ recitentur dum auditur Miſſa, melius enim eſt ſoli Miſſæ totam attentionem præbere, ſed ne ita facile condemnentur illas recitantes. Quarto peccant,dominus,uel pater,qui notabiliter negligendo,uel in opera, quæ differri poterant,occupando,ſeruos,filios,uel familiam, ſunt cauſa ne die feſto Miſſam audiant.

De ieiunio ſeruando. Cap. XXV.

Ieiunium eſt de iure diuino,ſed tempus, & modus ieiunandi,eſt de iure Eccleſiaſtico,ius diuinum tunc obligat quando conſcientia dictat, quod ſine illo non poteſt grauis aliqua tentatio ſuperari. Sed modo de illo loquimur quatenus eſt ſecundum præceptum Eccleſiæ, in quo tria ſunt conſideranda

deranda. Primo, ciborum qualitas. 2. comeſtio. 3. hora. De cibis.
Primo igitur mortaliter peccat, qui ieiunij tempore, ueſcitur cibis prohibitis; carnes quidem ſemper prohibentur, oua autem, & lacticinia non niſi in quadrageſima, & propterea in alijs ieiunijs licet eis ueſci, niſi obſtet conſuetudo patriæ, quæ ad hoc vt obliget, debet eſſe vniuerſalis, quod ſi in aliquibus locis eſſet etiam conſuetum uti butyro in quadrageſima, utentes ex quo Eccleſia ſcit, & tolerat, excuſarentur. 2. peccat, qui pluries in die ieiunij comedit, nam ad ieiunium neceſſaria eſt una comeſtio, à media nocte in mediam noctem, ſæpius autem bibere nõ frangit ieiunium, imo nec comeſtio ante prandiũ, uel poſt prandium, quando fit non ad nutrimẽtũ, & ſuſtentationem naturæ, ſed ad medicinam, ut ne uinum, quod ad ſedandam ſitim ſumitur noceat; hac ratione excuſantur, qui aliquid ſumũt ante prandiũ, q̃ ultra horam conſuetã differre coguntur, ut qui legunt in menſa, & qui etiam antequã eant cubitum collationẽ ſumunt, quæ licet fuerit introducta cauſa medicinæ, nunc tamen ratione conſuetudinis omnes ſumere poſſunt, dummodo nõ ſit tanta, quæ ſit in fraudem ieiunij, nam cum iſta omnia ieiunia ſint iure humano inducta, poſſunt rationabili cõſuetudine præſcripta, duriora, uel blandiora fieri. Ex quo ſequitur ieiunium eſſe facile, cum & ante prandium, & poſt, cum neceſſitas expoſcit per modum medicinæ aliquid comedi poſſit, quod dicimus non ad relaxandum ieiunium, ſed ut oſtendamus non eſſe admittendam multorum excuſationem, qui dicunt ſe ieiunare non poſſe. Inter comeſtionem autem pluries factam, & comeſtionem ciborum prohibitorum, hæc eſt differentia, quod qui pluries comedit, peccat ſolum in ſecunda comeſtione, quia illa ſola frangit ieiunium, at ueſcendo cibis prohibitis toties quis peccat, quoties illis ueſcitur, & ratio eſt, quia hoc præceptum eſt negatiuum, ut non comedantur, & illud principaliter affirmatiuum, ut ſemel comedatur; prægustantes autem cibos infirmorum ex debito ſui officij, non peccant. Ex qua differentia notandum eſt, quod qui mane comedit in die ieiunij per talem ignorantiam, uel inaduertentiam, quæ à uiolando ieiunio excuſat, & ob id non ieiunat, mortaliter peccat; quia adhuc poterat ieiunare, & ueſci hora conſueta, ac ſi nihil comediſſet, at qui ita fregit ieiunium, quod excuſari non poſſit, licet poſſit abſtinere, factus eſt tamẽ impotẽs ad illud ſeruandũ, & propterea ſæpius comedendo, non cõmittit nouũ peccatum, ut contra Palud. cum communi tenet Nau. nec ob id negamus

De una comeſtione.

quin melius faciat abſtinendo, ſed loquimur de ui præcepti.

De hora commedendi. Tertio peccat, qui notabiliter abſq; iuſta cauſa, horam comedendi in loco conſuetam præuenit, & niſi conſuetudo aliam habeat, hora eſt nona; & licet pro libito prandiũ differri poſſit, non tamen anticipari ſine iuſta cauſa, qualis eſt non poſſe comedere hora conſueta, ob iter arripiendum, ob hoſpites, uel aliam honeſtam cauſam. Non eſt autem licitum mane ſumere collationem ueſperi ſolitam, & prandium in ueſperum differre, quia illa non fit cauſa medicinæ, nec poteſt fieri ratione conſuetudinis, quia talis nullibi eſt, & cõſuetudo, quæ eſt contra ius, non eſt amplificãda, iuſta tamẽ ex cauſa id fieri poſſet, ut cauſa medicinæ, debilitatis complexionis, uel neceſſitatis aliqua neceſſaria agẽdi.

De ieiunijs uotiuis in die Dominica, & Natiuitate Domini. Eſt autem hoc loco notandum, quod licet Eccleſia uigilias quæ ueniunt in die Dominica, celebret die Sabbati, & quando feſtiuitas Natalis Domini, uenit die veneris, uel Sabbati concedat carnes, nihilominus ſi quis ieiunaret die dominico, nõ quaſi contra Eccleſiæ conſuetudinem agens, nec ex ſuperſtitione, ſed ad ſanitatem, uel ad mortificationẽ corporis, quæ propter præſentis carnis petulantiam differri non poteſt, bene faceret. Ieiunia autem, quæ fiunt ui uoti, & de non comedẽdis carnibus ſeruanda ſunt illis diebus pro quibus facta fuerunt. Excepta die dominica quo ad ieiunia, nam licet aliquando ob peculiarẽ cauſam liceat in ea ieiunare, nõ tamẽ quis poteſt ſe obligare ad generaliter ieiunandum illo die, quia Eccleſia propter ſolennitatẽ, & exultationẽ tanti diei, nec in ipſamet quadrageſima, uult quod illo die ieiunetur, unde Palud. inquit, quod nec ipſa cõſuetudo efficere poteſt, ut quis teneatur ieiunare die dominico; illi autẽ, qui in perpetua abſtinentia uiuunt, poſſunt diebus dominicis eam cõtinuare, illis tamen nõ liceret diebus dominicis facere arctiorem abſtinentiã, ad maiorem carnis afflictionem ratione diei, ſecus ſi ratione tentationis; qui ergo uouit ieiunare in uigilia exẽpli gratia Natiuitatis B. Virginis, quãdo uenit diebus dominicis ieiunandum eſt die Sabbati, at ſi uenerit in alijs feſtiuitatibus, quantumcumq; ſolẽnibus, in illis ieiunãdũ eſt, unde uidemus, ꝙ Eccleſia ſolũ propter diem dominicã uigiliam transfert in præcedentẽ diem; ex quo ſequitur, quod qui uouit ieiunare, aut non ueſci carnibus certo die, ſi illo die uenerit feſtiuitas Natalis Domini, ſeruandum eſt uotum, & de carnibus eſt canon expræſſus, de obſer. ieiu. ca. fin. ex quo etiã ex identitate rationis ſumitur argumentum de ieiunio, ad quod etiam facit, quod multi religioſi, ut inquit Palud. ieiunant in die Nata-

Palu. 4. d. 15. q. 4. ar. 3.

ſis,& nunquam in die dominica. Illud poſtremo notandum eſt, quod ieiunia ex uoto ſeruanda ſunt iuxta intentionē uouentis.

De cauſis excuſantibus.

. Cauſæ ob quas multi excuſantur à præcepto ieiunij sūt multæ. Prima eſt impotentia, ex qua cauſa excuſātur. Primo pueri, uſq; ad finē tertij ſeptēnij, ideſt uſq; ad uigeſimū primū annū cōplerum, licet eis expediat ieiunio aſſueſcere. 2 ſenes, reſpectu quorū nō eſt aſsignatus certus numerus annorū, cū alij citius, alij tardius reddātur impotētes, & ideo prudētis, vel ſuperioris arbitrio relinquēdū eſt, & cōmuniter uidetur, ꝙ ętas ſexagenaria excuſet. 3. mulieres grauidæ, & nutrices, quæ potius ieiunando peccarēt, niſi eſſent ita robuſtæ, ꝙ una comeſtione ſibi, & infantibus ſatisfacere poſſent. 4 infirmi nō ualētes, uel nō debētes ſimul tantū comedere, quātū eorū ſaluti ſufficiat. 5 illi, qui tā infirma sūt cōplexione, ut uacuo ſtomacho capitis dolorē, uel uertiginē patiātur, aut tota nocte calere, uel dormire nequeāt. 6. pauperes nō habentes cibū ad unā comeſtionē ſufficiētē.

Prima eſt impotentia.

Secunda cauſa eſt neceſſitas

Secūda cauſa eſt neceſſitas, quādo. ſ. faciendū eſt opus, cui ieiuniū eſt incōpatibile, ad uitæ, aut ſtatus ſui decori conſeruationē neceſſariā, aut ad uitandū aliquod notabile dānū, aut aliquid lucrādū, quod raro lucrifieri poteſt, hac de cauſa excuſantur. primo, ferrarij, carpētarij, agricolæ, & alij artifices, ſeu operarij, qui aliter, quā aſſiduo ſuo labore nō poſsūt ſe, aut ſuā familiā ſuſtentare, aut filias ſuas collocare, aut ſtudijs filiorū neceſſaria ſuppeditare, nec ſibi, nec ſuis ad decētē cultū neceſſaria cōparare. 2 Excuſantur, qui ieiunādo nō poſsūt, ad ſuā, aut aliorū ſalutē ſpiritualē, uel corporalē neceſſaria efficere, ut concionari ex officio, aut obedientia, uerbo aut ſcripto docere, tueri, ut faciunt lectores, aduocati, procuratores, aut confeſſiones audire, & alij multi, qui ieiunando ſuo officio, tam corporali, quā ſpirituali, ut par eſt fungi nequeunt, quia ſicut ieiuniū nō impedit opera neceſſitatis, ſic nec obligationis, & ſic etiā excusātur qui facturus eſt magnū iter ſaltē pedes, maritus (ut inquit Nauarrus) qui aliter uxori ſuæ debitum reddere non poteſt, & vxor, quæ ieiunando marito ſuo ſatis placere nequit.

Tertia cauſa eſt maius boū.

Tertia cauſa eſt maius bonum, ob quam excuſantur illi, qui non poſſunt ieiunando ſanctioribus, & melioribus operibus uacare, quibus non ieiunando uacarēt, nam ieiunium præcipitur, ut ad maius bonum inductiuum, quando ergo maius bonum per illud impediretur, Eccleſia non intendit ad illud obligare. qualia ſunt opera miſericordiæ ſpiritualia, & corporalia, nam miſericordia eſt præſtantior abſtinentia cuius actus eſt ieiunium,

dummodo non aſſumantur illa opera die ieiunij ad euitandũ ieiunium, nam principalis intentio attendenda eſt; ex quo ſequitur, quod cum ieiunium ſit maius bonum, quam peregrinatio, quæ eſt corporalis exercitatio, non poteſt quis aſſumere peregrinationẽ dimiſſo ieiunio, niſi alia circunſtãtia, uel neceſſitatis, uel maioris boni ueſtiatur, ut ſi fieret ex uoto, uel præcepto, uel pœnitẽtia iniuncta, uel etiã ex magno deuotionis feruore, & cõmode differri nõ poſſet, uel quia tẽpus ſatisfaciendi accedit, vel quia ſocij, qui pp itineris pericula neceſſarij sũt, poſtea deerũt.

Qui commutare, transferre & diſpenſare poſsit

Quoad ieiunia ab Eccleſia præcepta, Solus Papa poteſt illa cõmutare in alia opera, Epiſcopus uero loquendo de illis, qui ieiunare poſſunt non poteſt commutare, niſi illa, quæ sũt ex voto, uel alia particulari obligatione, ieiunia uero Eccleſiæ non niſi ob cauſam ex parte excuſantem, poteſt tamen uigiliam alicuius ſancti, quæ uenit in feſto ſolenni transferre in priorem diẽ, ſicut in Francia vbi ſunt Eccleſiæ ſancti Quintini, uigilia omnium Sanctorum ieiunatur die præcedenti, ut inquit Syłueſt. Vxor à ieiunijs uoluntarie uotis excuſatur, ſi maritus contradixerit, ſecus quo ad ieiunia Eccleſiæ, niſi cũ ex ipſius ieiunio inter ipſam, & maritum, notabilis diſcordia, aut odium, aut ſcãdalum, rixa, percuſſio, aut blaſphemia conſequeretur (quod intellige dũmodo maritus nõ prohibeat in contemptum ieiunij) quia Deo gratius eſt conſeruare pacem, & impedire prædicta mala, quam ieiunare. Epiſcopi, & Prælati poſſunt in ieiunijs, etiam Eccleſiæ diſpenſare ex cauſa, nam ieiunia Eccleſiæ, neq; relaxare, neq; commutare poſſunt, cum ſint à ſuperiori præcepta, eis tamen conceditur, quod poſſint ex cauſa diſpenſare, ad ſedandas conſcientias, & tollendos ſcrupulos, ob quam causã eorum diſpenſatio non eſt ſimplex declaratio, ſed conceſſio, quando dubitatur an cauſa ſit ſufficiens, ad non ieiunandum, & qui ieiunare non poſſunt, nihilominus deberent ſaltem à Confeſſore licentiam petere, non tamen peccant mortaliter (non loquor de religioſis, qui habent proprias regulas, ſecundum quas omnia cum licentia Prælati facere debent, ſed non omnes eodem modo obligant) qui bona fide non ieiunant, credentes ſe iuſtam cauſam habere, ſed qui dubitant an ſit cauſa ſufficiẽs, debent ad Superiorem, uel pro conſilio, uel pro diſpenſatione accedere, qui poteſt iubere, ut experiantur, & ut inquit Caietanus non deberet id relinquere ſubditorum conſcientiæ, ſed eis compati, & benigne diſpenſando à ſuis ſcrupulis illos liberare.

Eſt

Eſt autem hoc loco notandum, quod illi, qui iuſta cauſa excuſantur à ieiunio, & illi qui diſpenſantur, ut pluries comedant, ſi poſſunt ſuſtentari eſcis ieiunio congruis, peccant mortaliter veſcendo cibis prohibitis, nam niſi ſit cauſa excuſans in totum, ſeruandum eſt quo ad illam partem, quæ ſeruari poteſt. De excuſatis.

Tertio contra hoc præceptum peccant cooperãtes, qui.ſ.sũt cauſa, quod alij illud transgrediantur, quales primo ſunt paterfamilias, æconomus, tabernarius, aut caupo mane, aut ueſpere diebus ieiuniorum ſuis filijs, famulis, aut alijs quorum curam gerit, aut ijs, qui ſuam tabernam, aut cauponam adeunt, proponunt cibos prohibitos indifferenter omnibus, at ſi tabernarij non darent omnibus petentibus, ſed illis ſolis quos probabiliter crederent poſſe iuſta cauſa (vt aſſerunt) comedere, excuſarẽtur. 2 peccat, qui ad cœnam inuitat illũ quem neſcit à ieiunio minime eſſe exemptũ, & probabiliter credit, aut dubitat eũ ob id ieiuniũ fracturum, quod aliàs ſeruaturus eſſet, quia dat cauſã propinquã mortaliter peccandi, quod Nauarrus limitat cum Caiet. ut hoc non procedat in eo, qui ſcit inuitatum alibi eſſe cænaturum; ſi ex cauſa iuſta illum inuitat, puta urbanitatis, uel amicæ hoſpitalitatis, in quantum cœna eſt actus ex ſe bonus, uel indifferens, nullatenus conſentiendo in eum quatenus eſt fractio ieiunij; quia licet inuitare, & prouocare iuſta de cauſa alium ad aliquem actum ſuo genere bonum, uel indifferentem, nullo modo conſentiẽdo in eum quatenus eſt malus, quod Nauarrus multipliciter probat, primo, quia Deus ipſe inuitat, & iuuat ad agendum aliqua, quæ ſunt peccata, quatenus ſunt entia, quia ut talia ſunt bona, & ab ipſo. 2. quia licet gaudere de eo, quod eſt peccatum, alia ratione qua eſt bonum, ut de morte Chriſti. 3. quia egens poteſt mutuũ petere ab vſurario quem ſcit non eſſe mutuaturum ſine vſuris, imo poteſt etiam accipere ad vſuram, non conſentiendo in dationem quatenus eſt mala. 4. quia licet parochiano petere, & accipere Sacramenta à ſuo parocho quem ſcit eſſe in peccato mortali. 5. quia licet locare meretrici domum ſitam in ea parte urbis in qua permittitur. 6. quia licet petere à gentili iudæo, uel ſaraceno, ut confirmet iuramento contractum, licet ſciatur, quod iurando peccat. 7. quia S. Laurentius dixit Decio tyrãno aſſatum eſt iam, uerſa, & manduca, & S. Andreas Apoſtolus, prouocauit ad ſui crucifixionem, & eius protractionem, reſiſtendo ne deponeretur, quæ tamen erant grauia peccata ex parte occidentium.

De cooperantibus.

De inuitante ex urbanitate.

Caiet. 2.2 q. 147. ar. 4.

Nau. c. 21 nu. 24.

De Decimis ſoluendis. Cap. XXVI.

Præceptũ de decimis partim morale, & partim iudiciale.

TErtium præceptum Eccleſiæ eſt de ſoluendis decimis, pro quo notandum eſt, quod decimæ in ueteri lege dabantur ex præcepto Dei, ad ſuſtentationem miniſtrorũ Dei, quod præceptum partim fuit morale, partim iudiciale, quod enim eis, qui diuino cultui miniſtrabant ad ſalutem totius populi, neceſſaria uictus miniſtrarētur à populo, ratio naturalis dictat, ſicut & ijs, qui communi utilitati inuigilãt. ſ. Principibus, militibus, & alijs, ſtipendia uictus debentur à populo. Sed determinatio certæ partis exhibendæ miniſtris diuini cultus, non eſt de iure naturali, ſed fuit introducta inſtitutione diuina, ſecundum cõditionem illius populi cui data fuit lex, nam cum in duodecim tribus eſſet diuiſus, undecima tribus. ſ. leuitica, quæ tota erat miniſterijs diuinis mancipata, non habebat poſſeſſiones, unde conuenienter inſtitutum fuit, ut darent decimam partem ſuorum prouentum Leuitis, ut honorabilius uiuerent, & quia etiam aliqui per negligentiam erant futuri tranſgreſſores. Et quia omnia in figura contingebant illis, hoc præceptum ratione ſignificationis conueniebat cum cæremonialibus, qui enim dat decimam, quæ eſt ſignum perfectionis (eo, quod denarius, eſt quodammodo numerus perfectus, quaſi primus limes numerorum, ultra quem numerum, non procedũnt, ſed reiterantur ab uno) nouem ſibi partibus reſeruatis, proteſtatur quaſi in quodam ſigno ad ſe pertinere imperfectionem, perfectionem uero, quæ erat futura per Chriſtum, eſſe expetendam à Deo, nec ob id eſt præceptum cæremoniale, ſed iudiciale, quia non reſpicit immediate Deum, nec eſt principaliter datum ad ſignificandum, ſed ad æqualitatem ſeruandã inter miniſtros Dei, & populum, & inter miniſtros inter ſe, & ea mediante ordinatur ad Deum. Cum autem cæremonialia, & iudicialia legis ceſſauerint (ſed differenter, quia cæremonialia illicitum eſt obſeruare tempore nouæ legis, iudicialia uero, licet tẽpore gratiæ non obligent, ſunt tamen ad exem[illegible]lum, & abſque peccato obſeruari poſſunt, & ad eorum obſeruantiã aliqui obligantur, ſi ſtatuantur auctoritate eorum quorum eſt condere legem) ſolutio decimæ partis tempore nouæ legis, fuit auctoritate Eccleſiæ inſtituta, & præceptum de decimis ſoluendis non obligat, ut diuinum ueteris legis, ſed ut eccleſiaſticum; nec obſtat, quod in multis capitulis extra de Decimis dicitur, quod de-

Obligat nũc, ut eccleſiaſticum.

decimæ debentur, quia Deus non homo ſic inſtituit; nam uerè Deus ſic inſtituit in ueteri lege, & pro illa lege, & illa inſtitutio remanet in noua lege, non ad obligandum, ſed ad exemplum; & ſéſus eſt, quia Deus in ueteri lege obligauit populum ſuum ad decimam, dedit nobis exemplum ſimilis obligationis ſuſcipiendæ ab Eccleſia, tanquam iuſtæ, rationabilis, & piæ, & ſi nomine decimæ non intelligatur ſimpliciter decima pars, ſed ſuſtentatio miniſtrorum Dei, præceptum eſt diuinum, & naturale, ſed eccleſiaſticum quoad determinationem partis dandæ. Et ita Eccleſia præcepit decimam, ſed ampliorem, quam fuerit in ueteri lege, nam triplex eſt decima, prædialis. ſ. perſonalis, & mixta, prædialis eſt, quæ prouenit ex fructibus prædiorum, tritico, uino, oleo, &c. perſonalis eſt decima lucri ex ſola induſtria, aut labore perſonæ quęſiti, quale eſt lucrum mercedis, mercis, officij, uenationis, &c. mixta eſt, quæ partim ex prædijs, & partim ex induſtria capitur, qualis eſt fætuum, pecudum, & pullorum, auium, in ueteri lege præcipiebatur ſolum decima prędialis, & mixta, at ab Eccleſia pręcipitur omnis decima. Triplex decima.

Eſt ulterius notandum, quod conuenienter amplior decima fuit ab Eccleſia inſtituta, & conuenienter etiam Eccleſia permiſit, quod eius præceptum de decimis ſoluendis, in multis locis (ut fere in tota Italia) uel per contrariam conſuetudinem, uel per rationabilem conuentionem, non haberet amplius locum, & vult obſeruari in alijs locis in quibus habet locum, ex quo ſequitur, quod multi miniſtrorum Eccleſiæ, ſunt ditiores laicis, & multi etiam longe pauperiores, quod ſanctè, & mira Dei prouidentia contingit, & ut horum rationem reddamus, nõ loquemur de bonis Eccleſijs relictis, hoc enim respectu noſtri, eſt per accidens, quod uni Eccleſiæ relinquantur multa, & alteri nihil, ſed noſter ſermo erit de hac differentia in ordine ad inſtitutionem, ſeu permiſſionem eccleſiaſticam, ratione decimarum; uigore quarum miniſtri Eccleſiarum ſunt longe ditiores, tum quia præter decimas reales habent etiam decimas perſonales, tum etiam, quia tribus leuitarum erat duodecima pars populi, at numerus clericorum curatorum, quibus ſolis debentur decimæ eſt forte centeſima pars populi Chriſtiani, & dato, quod clerici quibus debentur ſint quinquageſima pars populi, quælibet quadraginta nouem partium populi, non habebit niſi de decem partibus rerum, & ſuorum laborum, nouem, clerus autem habebit quadraginta nouem partes, & ita habendo decimam partem, cuiuſlibet quadraginta nouem partium populi, Quod cõuenienter ſit amplior, & in aliquibus locis non ſit in uſu.

eorum facultates multum excreſcunt, quod cōuenienter inſtitutũ fuit, tam ex parte miniſtrorũ, quã ex parte populi; ex parte quidẽ miniſtrorũ, quia licet conſiderato eorũ paucorũ decenti, & honorabili uictu, nõ cõſonet ueteri legi determinatio decimę in noua, ſi tamẽ attendatur miniſtrorũ dignitas, & officium, plus eis debetur, quã miniſtris ueteris legis, quia illi erant tãtũ miniſtri diuini cultus, & quæ eis dabantur, erant pro eorũ victu: at noſtri nõ ſolũ ſunt miniſtri diuini cultus, & Sacramẽtorum, ſed sũt etiã patres pauperũ, & quæ eis dãtur ſunt pro eorum uictu, & pro vſu pauperũ, 16.q.1.ca.quoniã, & ca.decimæ, tãta autẽ eſt pauperũ multitudo, ut decimæ quantitas nunquã ſit tãta, ut pauperibus ſufficiat. nec obſtat, quod multi miniſtri Eccleſiæ nõ ſe exhibẽt patres pauperũ, nã Deo rationẽ reddituri sũt; & iuſtitiæ legali Eccleſiaſticæ, ſufficit quod illis commiſſa ſit diſpẽſatio in pauperes, qui iure debent eſſe eorũ patres. Ex parte etiã populi plura debentur miniſtris nouæ legis, quia populus nouæ legis ad maiora obligatur iuxta illud Mat. 5. *Niſi abundauerit iuſtitia ueſtra pluſquam ſcribarum, &c.* Sed quamuis Eccleſia has decimas iuſtè, & ſanctè præceperit, & cogat etiã ſoluere ubi eſt conſuetudo, nihilominus ſanctè, & iuſtè non cogit illas ſoluere, nec illas renouat, in illis locis in quibus non ſunt amplius in uſu, uel per remiſſionẽ populo factam, uel per rationabilem conuentionem, uel per contrariam conſuetudinem, præſertim cum ex laicorũ donatione ſint fundata beneficia pro miniſtrorum uictu, & multa etiam, quæ ad largas eleemoſynas faciendas ſufficiunt, quia miniſtri Eccleſiæ maiorem curam debent habere ſpiritualium bonorum in populo promouendorũ, quam temporalium colligẽdorũ, & ſpiritualia ob Dei amorem principaliter miniſtrari debent, & quãdo habent unde uiuant, ceſſat obligatio iuris naturæ, & poſſunt remittere ſecularibus illa, quæ iure eis deberentur, quãdo iudicant magis expedire ad maiorem populorũ in ſpiritualibus profectum, exẽplo Apoſtoli, qui noluit uti poteſtate ſibi à Domino tradita, ut.ſ.acciperet ſtipendia uictus ab ijs, quibus Euangelium prædicabat, ne daretur aliquod impedimentum Euangelio Chriſti; Nec obſtat, quod decimæ eis etiam dantur propter pauperes, nam magis, & principaliter ſunt patres pauperum, & diuitum in ſpiritualibus, & quando omittuntur eſt ob ſpiritualẽ populi profectum.

De peccatis contra hoc præceptum.

Hoc tertio præcepto ſic declarato, cõtra illud peccat, qui decimam iure debitã non ſoluit integre cui debet, illa eſt iure debita, quæ præſcripta loci conſuetudine nõ eſt ſublata, in totum, uel

uel in parte, nam ſi alicubi eſſet conſuetudo, ut non ſolueretur integra decima, ſed pars, illa fideliter eſſet ſoluenda. Peccat etiam, qui ſoluit quidem decimam, ſed prius deducit impenſas ſationis, collectionis fructuum, aut ſemen ſatum, uel penſionem, aut decimam partem peiorem, aut non ſoluit, ubi, & quando debet, Idem de primitijs.

Contra diuinum, & naturæ præceptum peccant filij ſpirituales, qui ſuis patribus ſpiritualibus in neceſſitate exiſtentibus non ſubueniunt, ut ſuſtentari poſsint, etiam ſi decimarum ſolutio in illis locis ſit à præſcripta conſuetudine ſublata.

De Præceptis Confeſsionis, & Communionis, & quod infirmus qui mane communicauit, non poſsit eadem die per modum viatici iterum Communicare. Cap. X X V I I.

QVartum præceptum Eccleſię eſt de confitendo ſaltem ſemel in anno, ad quod tenentur omnes habentes vſum diſcretionis, Ius autem diuinum obligat in probabili periculo mortis, & etiam quando celebrandum, uel communicandum eſt, ſi habetur copia Cõfeſſoris, etiam ſi ſæpius quis eodem anno confeſſus ſit. & licet ad alia etiam Sacramenta in peccato mortali accedere, ſit peccatum mortale, tamen quoad alia ſufficit contritio. & cum de Confeſsione ſuperius diffuse tractatum ſit, ad vltimum Eccleſiæ præceptum tranſeamus.

Quintum præceptũ Eccleſiæ eſt de cõmunicãdo in Paſchate, cui ſatisfacit, qui ante, uel poſt octo dies cõmunicat, iuxta declarationem Eugenij 4. Et qui infra dictũ tẽpus nõ cõmunicant, peccant mortaliter, niſi excuſẽtur, quia de cõſilio proprij Confeſſoris differunt in aliquot dies, uel quia ſunt excõmunicati, interdicti, uel ſuſpenſi à cõmunione, & non poſſunt obtinere abſolutionẽ per impotẽtiã facti, aut iuris, aut ob aliud impedimẽtum, quale eſt illud occultum, quo quis impeditur à faciendo id quod requirit abſolutio, ſicut ſæpe accidebat ante Conciliũ Tridentinũ, quando contrahebantur matrimonia clandeſtine. Dubium eſt an qui nõ communicauit in Paſchate, poſsit ſine nouo peccato expectare ad alterum Paſcha. Communis ſententia eſt, quod poſsit, Sed probabilior mihi uidetur ſententia Nauarri, quod teneatur prius communicare vigore præcepti præcedentis anni, quia præceptum de Communione

non

non eſt limitatum ad illud tempus ſimpliciter, ſicut ieiunium ad certum diem, & ſicut Horæ canonicæ ſingulis diebus ſunt affixæ, ſed iſtò præcepto Eccleſia determinat tempus communicandi à iure diuino indeterminatum, intra quod ei ſatisfaciamus, & præceptum non eſt ſimpliciter de communicando in Paſchate, ſed de communicando ſemel in anno, & communicãdo in Paſchate, ca. Omnis. de pœn. & rem. & licet elapſo Paſchate non poſſit impleri præceptum de communicando in eo, poteſt tamen impleri præceptum de communicando, ſicut & de confitendo ſemel in anno, licet ſit elapſus annus, & conſequenter commiſſum ſit peccatum mortale contra pręceptum, quia adhuc remanet uis præcepti præcedentis anni, & ratio eſt, quia licet quando determinatur tempus ad finiendam obligationẽ, eo elapſo obligatio finiatur, ut in ſponſalibus, cap. ſicut de ſpõſ. quando tamen tempus præfinitur ad dilatandam ſolutionem, per lapſum ipſius non finitur obligatio, ſed potius efficacior efficitur, exemplum habetur in cap. cum dilecti de dolo, & contum. de citato ad comparendum Romæ certo die, quod ſi non poteſt comparere illo die, tenetur comparere quantocius poſt illum poterit, quod etiam ibidem notat Abbas, at terminus Paſchę præfinitus in d. cap. Omnis, non aſsignatur ad finiendam obligationem, ſed ad dilatandam debiti ſolutionem, quod patet ponderando uerba; ſuſcipiens reuerenter ad minus in Paſchate Euchariſtiæ ſacramentum.

Quamuis præceptum Eccleſiæ ſit de communicando ſaltem ſemel in anno, & conſilium ſit ſingulis diebus feſtis, & etiam frequentius Sanctiſsimum Chriſti Corpus ſumere, imo & quotidie dummodo qui quotidie communicant ita uiuant, & proficiant, ut à tanta frequentia meritò non ſint à diſcreto Confeſſore arcendi; eſt tamen ad huc præceptum diuinum, quod obligat in probabili periculo mortis.

De peccatis contra hoc præceptum.

Contra hoc præceptum peccant etiam Pater, tutor, & Dominus, qui notabiliter negligunt procurare, ut filij, pupilli, aut famuli domi ſuæ uiuentes, & ad communionem obligati communicent tempore debito, maxime ſi ſciũt, aut ſcire debent eos nõ communicaturos niſi moneantur, pueri obligantur cum ad annos diſcretionis peruenerint, & ſciunt diſcernere inter bonum, & malum, nec eſt repræhendenda illa honeſta conſuetudo, ſecundum, quam pueri tardius communicant, quam confiteantur, ob reuerentiam tanti Sacramenti, quæ non eſt contra præceptum d. cap. Omnis, ſed potius illud limitat, & declarat, at ſi

eſſent

eſſent in articulo mortis, melius eſſet illos communicare, ſi sũt doli capaces. Quod qui in peccato mortali non præmiſſa confeſſione, & non ieiuni (infirmis exceptis) & pluries in die communicant, mortaliter peccent, certum eſt: ideo ad finem properantes duo breuiter notabimus.

Eſt hoc loco primo notandum inter communionem ordinariam, & extremam per modum uiatici, hanc eſſe ſolum differentiam, quod per modum uiatici poteſt dari Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum infirmo non ieiuno, etiam poſt prandium, ſi de eius uita timetur, & periculum eſt in mora. Ex quo ſequitur, quod infirmus, qui mane ieiunus communicauit, nõ poteſt eodem die veſperi, ſi in articulum mortis deuenerit, iterum communicare per modum uiatici, nam Sacramentum mane ſumptum eſt illi uiaticum, & nullus canon, & nullus doctor concedit, quod quis bis in die poſſit communicare, ſed omnes expræſsè negant, nullo caſu exceptuato; & malè fecerunt, nec ſunt imitandi illi Religioſi, qui poſt prandium communicarunt ſuum Prælatum per modum uiatici, quem eadem die mane etiã communicarunt, nam dicitur uiaticium quatenus ultimo ſumitur à tranſituris ad aliam uitam; & quia nullus debet tranſire ſine tanto Sacramento, ne quis ob præceptum de communicando ieiunè, illo priuetur, conceditur quod per modum uiatici poſſit ſumi à non ieiunis, eſſe ergo uiaticum non importat nouam, & peculiarem rationem, ſecundum quam diſpenſetur præcepto de ſemel tantum in die communicando. Loquimur autem de communione extra Miſſam, nam Sacerdotes in die Natiuitatis Domini celebrant tres Miſſas, & in caſibus neceſsitatis poſſunt etiam pluries eadem die celebrare, ut ſuperius diximus in prima parte ſuo loco.

Infirmus qui mane communicauit, non poteſt iterum codẽ die p modum uiatici cõmunicare.

Eſt ſecundo notandũ, quod quãuis aliqui dicant eũ peccare, qui intra unũ diem naturalẽ, poſt habitã copulã carnalem, aut pollutionẽ illicitã, etiã contritus, & confeſſus cõmunicat, nullo tamẽ textu, uel ratione neceſſaria probant; Ideo cum Palud. & Sylu. quos citat, & ſequitur Nau. in Manuali, licet alibi cõtrariũ tenuerit, dicimus, ꝙ uera contritione puraq; Confeſsione præcedente, & nullo contemptu, nec diſtractione notabili, nec alio quod obſtet interueniente, poteſt humiliter celebrare, & communicare, & multo magis ſi celebrare tenetur, aut ex magna deuotione deſiderat; & licet coniugati intra diem, quo debito coniugali ſatisfecerint, de honeſtate communicare non deberent, non tamen peccant, uel ſolum uenialiter.

De Communione poſt copulam.

Nauar. in Man. c. 21. nu. 51.

SECVNDAE PARTIS DE OFFICIO SACERDOTIS.

LIBER QVARTVS.

De Secundo Pręcepto Charitatis, De peccatis Capitalibus, De Quinto, Octauo, Sexto, & Quarto, Præceptis Decalogi..

Quod præceptum de dilectione proximi, ſit fundamentum præceptorum ſecundæ tabulæ, & de eorum ratione, & diſtinctione.

Cap. I.

Amor ꝓximi fundamentũ præceptorum.

SICVT fundamentum præceptorum primę tabulæ, eſt amor Dei ſuper omnia, ita etiã fundamentum præceptorum ſecundæ tabulæ, quæ reſpiciunt proximum eſt ſecundum charitatis præceptum, de dilectione proximi, iuxta quod, quæ uolumus nobis fieri, alijs facere debemus, & quæ nolumus nobis fieri, alijs facere non debemus: Duplex autem eſt ordo hominis ad hominem, uel particularis, uel generalis, nam duæ ſunt partes iuſtitiæ, bonum facere, & declinare à malo; & cum ſimus finitæ, & exiguæ uirtutis præceptum de bene faciendo, non ſe extẽdit ad omnes, ut quis omnibus bene facere teneatur, ſed ad certas perſonas, maxime coniunctas, at præceptum de non ledendo, eſt uniuerſale reſpectu omnium, nemini enim eſt iniuria inferenda, ſed cum in Decalogo non ponantur niſi præcepta vniuerſalia, quæ ex duobus communiſsimis præceptis charitatis, circa quę non contingit intellectum obtenebrari, tanquam immediatæ concluſiones per ſe, & facile deducuntur, & omnibus etiam ignatis ſunt nota; ita tamen, ut ob morum peruerſitatem aliquando rationis iudicium peruertatur, non deſcenditur ad particularia, ſed ſolũ communiſsima, & omnibus facile nota, Deus præcepit, reſeruans

Præceptũ de dilectionis ꝓximi ad quos ſe extendat.

Quæ præcepta ponantur in decalogo.

uans

nans eorum explicationem,& cæterorum,quæ facienda,uel cauenda ſunt deductionem, ad alios ſacræ ſcripturæ locos, & ad eos,qui multitudinis curam gerunt, quorum primum locũ tenet Dei in terris Vicarius. Ob quam cauſam quoad bene faciẽdum proximis,de quo eſt quartum præceptum, exprimitur ſolum, ut honoremus parentes, quibus mediantibus uitam, quæ eſt bonorum omnium fundamentum habuimus. Reliqua prohibent proximis nocumentum inferre, & iuxta nocumentorum capita, ſeu genera,fuerunt præcepta. Primum eſt in propria perſona, de quo eſt quintum præceptum. Non occides. Secundum eſt in perſona coniuncta, de quo eſt ſextum. Non mæchaberis. Tertium eſt in bonis exterioribus, de quo eſt ſeptimum,Non furtum facies. Quartum eſt in fama,de quo eſt octauum. Non loqueris aduerſus proximum tuum falſum teſtimonium. Sed quia delectatio adulterij,& utilitas diuitiarũ, ſunt propter ſe ipſa appetibilia, in quantum habent rationem boni delectabilis,uel utilis, ideo oportuit in eis prohibere non ſolum opus,ſed etiam concupiſcentiam,& ſunt duo ultima præcepta,de non concupiſcenda uxore,aut re proximi,quo ad alia ſatis fuit prohibere opus,nam homicidium,& falſitas ſunt propter ſe ipſa horribilia.

Præceptorum diſtinctio, & ſufficientia:

Quare ſint tantũ duo præcepta de non cõcupiſcendo.

In explicandis iſtis præceptis, non obſeruabimus ordinem quo tradita ſunt,ſed illa,quæ reſpiciunt ſtatus hominum, propter maiorem continuationem materiæ, & ne cogamur eadem ſæpius repetere,poſtponemus,& ſeptimum, cum requirat longiorem tractatũ,ultimo loco reſeruabimus,ad iſta præcepta reducemus peccata capitalia, opera miſericordiæ,& peccata magis propria cuiuſq; ſtatus,iuxta quem ordinem Confeſſarij exactiores erunt in examinandis pœnitentibus,& confuſionem, & moleſtiam quas parit eorundem repetitio, facile euitabunt.

Ordo ſeruandus.

De peccatis,quæ fiunt contra præceptum de dilectione proximi, & de dilectione inimicorum, de ſignis amicitiæ eis oſtendendis, & an ſit neceſſarium ceſſare querelam. Cap. II.

FVndamentum, ut diximus præceptorum ſecundæ tabulæ eſt, ſecundum præceptum charitatis de dilectione proximi, contra quod multipliciter contingit peccare, & primo peccat, qui nec ſe, nec proximum amat amore charitatis,ideſt propter Deum,& ut capaces æternæ beatitudinis,

De peccatis.

mis, eam ſibi, & proximis ſuis expetendo, & licèt hoc præceptū, tanquam affirmatiuum, non obliget pro ſemper, ſed loco, & tēpore, quatenus tamen eſt etiam uirtualiter negatiuum, prohibens odium proximi, nunquam illum odio habere poſſumus, vel malum ei deſiderare, aut à generalibus noſtris orationibus excludere. 2. peccat, qui diligendo ordinem charitatis peruertit, iuxta quem primo debemus diligere Deum ſuper omnia. 2. animam noſtram. 3. animam proximi. 4 corpus noſtrum. 5. corpus proximi. 6. proprias diuitias. 7 illas proximi. Sed inter iſta eſt maxima differentia, nam Deum, & ſalutem animæ propriæ, ſemper neceſſario debemus prçferre, ita vt pro quacumque re mundi, & ſalute ſpirituali cuiuſcumq; nunquam liceat peccare, & ſi aliquando charitas ſuadet, ut pro peccatoris conuerſione, quis faciat id, quod ſibi poſſet eſſe occaſio peccandi, ut meretricem ſecreto monere, & ad pœnitētiam hortari, ut minus diſtracta ad cor eius loquatur, hoc non cuicumque ſuadet, ſed in Dei dilectione feruentibus, qui licèt etiā cadere poſſint, eos tamen docet, ut in domino confidant cuius gratia illis in eadem diſpoſitione perſeuerare uolentibus, nunquam deerit. At propriam corporalem uitam poſſum exponere non ſolum pro ſalute ſpirituali proximi, ſed etiam pro corporali, imò etiam pro eius honore, & fama, & bonis temporalibus, & etiam pro meis, quia ille ordo quantum ad temporalia non eſt neceſſarius, cum temporalia per ſe non pertineant ad perfectam felicitatem, ſed ſint tantum media, & ſicut poſſum illam exponere, ita etiam poſſum illam preferre, etiam ſaluti ſpirituali proximi, extra caſum neceſſitatis, quia ille ordo non obligat niſi in caſu neceſſitatis, ut etiam dicemus inferius, ubi de homicidio. Peccat igitur mortaliter, qui ſe, uel alia ita amat, ut paratus ſit pro illis mortaliter peccare, & qui deſiderat alios mortaliter peccare, uel illos inducit, aut eis occaſionem præbet, aut cum poſſit, non impedit quo minus mortaliter peccêt.

Ordo charitatis.

Interrogent hoc loco Confeſſores pœnitentes de periculis quibus ſe exponunt mortaliter peccandi, & de occaſionibus quas aliis dant peccandi, quæ autem ſint illæ occaſiones ob quas niſi relinquantur deneganda eſt abſolutio, diximus ſuperius.

De dilectione inimicorum

Occurrit hoc loco dubium circa dilectionem inimicorum, quæ nam ſigna beneuolentię, ſeu dilectionis, & remiſsiones iniuriæ, ſint eis oſtendenda, & loquimur de neceſsitate prçcepti, & non de perfectione conſilii. Pro cuius ſolutione notandum

eſt

eſt ex S.Tho. quod dilectio inimicorum, tripliciter poteſt conſiderari. Primo, vt inimici diligantur in quantum inimici, & hoc eſt peruerſum, & charitati repugnans, quia eſſet diligere malum alterius. 2. quantum ad naturam. ſ. in uniuerſali, & ſic dilectio inimicorum eſt de neceſſitate charitatis, à generalitate enim dilectionis proximi, non poſſunt excludi inimici. 3. in ſpeciali, ut. ſ. aliquis in ſpeciali moueatur motu dilectionis ad inimicum, & hoc abſolute non eſt de neceſsitate charitatis, ſed de perfectione, quia nec etiam moueri motu dilectionis in ſpeciali ad quoslibet homines ſingulariter, eſt de neceſsitate charitatis, quia hoc eſſet impoſsibile, eſt tamen de neceſsitate charitatis, ſecundum præparationem animi, pro caſu neceſsitatis. Cum autē effectus, & ſigna charitatis ex interiori dilectione procedant, & ei proportionētur, ſigna uel beneficia dilectionis, quę exhibentur proximis in communi, ut cum quis orat pro omnibus fidelibus, uel pro toto populo, aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati, ſunt de neceſſitate pręcepti exhibenda etiam inimicis, nam ſi eis non exhiberentur, pertineret ad liuorem uindictæ, contra illud Leuit. 19. *Non quæres ultionem, & non eris memor iniuriæ ciuium tuorum.* At beneficia, uel ſigna dilectionis, quę quis exhibet particulariter aliquibus perſonis, non ſunt de neceſsitate ſalutis exhibenda inimicis; niſi ſecundum pręparationem animi, ut. ſ. ſubueniatur eis in articulo neceſsitatis, ſecundum illud Prou. 25. *Si eſurierit inimicus tuus ciba illum.* nam, ut ibidem inquit Caiet. regula generalis eſt, quod pręcepta affirmatiua, quantum eſt ex iure naturę, non obligant niſi in articulo neceſsitatis. Ex qua doctrina S.Tho. etiam infert, quod cum loqui huic perſonæ, ſalutare illam, conuiuari cum iſto, & huiuſmodi, non ſint actus, qui fiant omnibus, ſed certis perſonis in ſpeciali, non eſt nęceſsitatis, ſed perfectionis, quod aliquis inimico ſuo loquatur, illum ſalutet, aut aliquid huiuſmodi faciat. Et ſubdit, quod cum inter aliquos ex neutra parte in ueritate eſt inimicitia, ſed quia præceſſit odium, uel offenſa, neuter vult ſe flectere, ut loquatur alteri, aut alter tantum recuſat loqui alteri, in neutro caſu fit contra charitatis præceptum, quia homo non tenetur ad locutionem, & alia particularia beneuolentiæ ſigna, reſpectu omnium homi num, ut dictum eſt ex S.Tho. niſi in articulo neceſsitatis; Vnde Dauid quamuis pepercisset Abſalon filio ſuo, noluit etiam eum uidere, ſed dixit, *Reuertatur in domum ſuam, & faciem meam non uideat.* 2. Reg. 14. Verum idem met Caiet. moderationem adhibet

S.Th. 2. 2. q. 25. ar. 8. & 9.

De ſignis dilectionis eis exhibendis.

bet dicens, quod quamuis hæc uera ſint per ſe loquendo, per accidens tamen ratione ſcandali, ſi quandoq; ob particulares circunſtantias, loquendum ſit inimico, prudentis arbitrio relinquitur.

Ex hac doctrina facilè erit reſpondere ad quotidianum dubium, an.ſ. teneamur ſecundum facultatem remittere inimicis ueraciter veniam petentibus, ideſt paratis emendare, Ad quod reſpondet Sylu. ex Pet. Taran. quod ex iniuria, vel dãno tria conſueuerunt oriri.ſ. in corde rancor, in opere ſigna rancoris, & iniure actio contra iniuriantem. Primum ſecundum omnes tenetur homo ſtatim remittere, imo nunquam in corde habere, dicimus in corde, ſeu in uoluntate, quia ex ſenſu rancor non poteſt ad libitum expelli, ſicut nec amor, intelligitur etiã de odio & rancore malo, qui eſt filius accidię, non enim obligamur ad eijciendum illum rancorem bonum, qui naſcitur ex ira, qua quis appetit, ut per iudicem caſtigetur delictum, imo aliquando tenemur illum concipere, conſeruare, & oſtendere, ut dicemus. Secundum.ſ. ſigna rancoris, tenetur quis remittere ueniã ueraciter petenti, imo Abb. dicit, quod tenetur illa remittere etiam non petenti ueniam, ſed ex prędicta doctrina S. Tho. facile cum Sylu. deducetur, quę ſigna rancoris ſint remittenda, Cum enim omnes inimici ſint generali dilectione neceſſario diligendi, etiam ueniam non petentibus tenemur remittere illa ſigna rancoris per quę tolluntur illa ſigna dilectionis uniuerſalis ad quam tenemur, ſicut ſalutatis duobus, tertium reſpuere; Sed quia ad particularem inimicorum dilectionẽ non tenemur, non tenemur etiam remittere illa peculiaria ſigna rancoris, quę peculiari dilectioni opponuntur, quando retinentur non ex odio, ſed quia ſic magis expedire iudicatur, qualia ſunt non ſalutare, non loqui, nec amicabiliter ſimul conſeruari, ſicut prius. Sed hic diſtinctione opus eſt, nam ueniam non petenti, iſta ſigna non ſunt neceſſario remittenda, eſt quidem melius illa remittere, & uincere in bono malũ; ſed nõ loquimur de perfectione conſilij, ſed de neceſsitate pręcepti; At ueniam petenti ſunt remittenda, ſed non ſemper neceſſario omnia, nam aliquãdo ad correctionem, ad reprimendam temeritatem, & ad euitanda inconuenientia, poſſunt aliqua retineri, non ex odio, ſed quia hoc magis expedire uidetur; nam veniam petenti benigne reſpondendum eſt, & ſignificandum qualiter nullum contra ipſum retinetur odium; ſed cum hoc, qui iniuriam recepit, ſi non vult in poſterum amicabiliter cõuerſari cum illo, & loqui,

Sylueſt. v. charitas. §. 4.

ſicut

ſicut prius faciebat, ex iuſta cauſa, eſt abſoluendus, & multo magis ſi non eſt ei plene ſatisfactũ, nec obſtat illud Apoſt. quod abſtinendũ eſt ab omni ſpecie mali, quia hoc non eſt de neceſsitate ſalutis, niſi quãdo malũ non poteſt eſſe bonum, at rancor aliquando eſt licitus, ſicut ira. Et ſi petatur quis debeat ueniã petere, reſpondetur quod ille, qui iniuriam intulit. Et quãdo duo ſe mutuo offendunt, & amborum offenſio eſt æque grauis, qui prius offendit, debet prius reconciliationẽ petere, at ſi poſterioris iniuria ſit maior, poſterior debet prius eã petere. Tertiũ autẽ iniuriatus non tenetur remittere. ſ. actionẽ contra iniuriantẽ in foro iudiciario, & ratio eſt, quia legitime poteſt peti ęſtimatio iniuriæ, etiã ultra intereſſe rerũ, de immun. eccle. c. quoniã in 6. & etiã quia iuſtitia eſt bona, & ſancta, ergo iuſtè, & sãctè deſiderari, & peti poteſt, ut id fiat, quod iuſtitia exigit, imo poteſt eſſe melius, & opus miſericordiæ permittere, & inſtare, ut qui iniuriam intulit, ſuſpẽdatur vel mittatur ad triremes, aut in exiliũ, etiã ſi per caſſationẽ quærelæ, & remiſsionem iniuriæ poſſet liberari, quando. ſ. ad ſalutẽ ſpiritualem offenſoris, uel ad Dei obſequium, aut ad Reipublicæ utilitatẽ cõducit, quia eſt homicidijs, latrocinijs, aut alijs ſceleribus deditus, ca. eſt iniuſta miſericordia, 23. q. 4. Poteſt nihilominus dari caſus in quo quis ob particulares circũſtantias teneatur in iudicio pro liberatione illius, qui iniuriam intulit remittere offenſam, puta ſi haberet uxorem, & filios, qui alias deſtituti, in extrema neceſsitate remanerent, & ille ueniam petit, pro poſſe ſatisfacit, & nõ eſt vir ſeditioſus, aut Reipublicę nociuus. Et ſi in hoc casu ille, qui iniuriã recepit tenetur remittere actionẽ, quam habet in iudicio, eſt potius ratione extremæ neceſsitatis uxoris, & filiorũ, adiunctis alijs circunſtantijs, & ratione ſcandali, quã ratione præcepti de diligendo inimicũ, nam quando dicitur hoc præceptum obligare ad particularẽ ſubuentionẽ in caſu neceſsitatis, nõ eſt caſus neceſsitatis quando ei uita iuſte adimitur, nã tunc etiam obligaret Regem, ſaltem in caſu quo poſſet ſine alterius præiudicio parcere delinquenti, qui tamen poteſt non parcere, & iubere illum ſuſpendi, prout meretur. Hæc fuſius diximus non ut retrahamus ab opere perfectionis, ſed ut oſtẽdeamus id quod eſt de neceſsitate ſalutis, & ne confeſſores iniuriam paſsis laqueum inijciant, nam qui iniuriam fecerunt inſtant ne illos abſoluant niſi actionem in iudicio remittant. Si igitur dicunt ſe nullum habere odium, & quod ſi illos dormientes inuenirent, & poſſent impune occidere, non eis nocerent, & in neceſsitate

Ii eis

eis iuuarent, ſed interim ſe nolle cum illis conuerſari, & loqui imo ſe uelle iuſtitiam contra illos ſuum locum habere, ſunt abſoluendi, debent quidem hortari ad id, quod eſt perfectionis, & ſi nolunt, non eſt eis deneganda abſolutio, quia iuſtitia pro qua inſtant eſt bona, & ſancta, quod ſi mentiuntur dicentes ſe non ex odio, ſed iuſta de cauſa, uel ex zelo iuſtitiæ id agere, nõ mentiũtur hominibus, ſed Deo, q eſt iudex cordiũ, & abſolutio non eſt deneganda, ſi non fit id, ꝙ eſt conſilij, & perfectionis.

De Operibus Miſericordiæ ſpiritualibus, & corporalibus, De auxilio ſpirituali dando peſte infectis, Eleemoſyna quando ſit de præcepto, Quando tenemur impedire proximi iniuriam, & damnum, & eius peccatum mortale. Cap. III.

AD dilectionem proximi reducuntur opera miſericordiæ, quorum ſeptem ſunt ſpiritualia. ſ. peccatores corrigere, ignorantes docere, dubitantibus recta conſulere, conſolari mæſtos, iniurias patienter ferre, offenſas remittere, & pro omnibus orare. Alia ſeptem ſunt corporalia. ſ. eſurientes paſcere, potum dare ſitientibus, ueſtire nudos, captiuos redimere, viſitare infirmos, hoſpitio recipere peregrinos, & mortuos ſepelire. De correctione fraterna dicemus in explicatione octaui præcepti. De remiſsione iniuriarum modo diximus, Ad alia opera miſericordiæ, tã ſpiritualia, quã corporalia, tenemur ſub peccato mortali in caſu extremæ neceſsitatis, etiã cũ proprio incõmodo, & etiam quando neceſsitas nõ eſt extrema, ſed magna, & cõmode ſubueniri poteſt, & probabiliter credo, ꝙ niſi ego ſubueniam, alius non ſit ſubuẽturus. Et cum quis teneatur præferre animam proximi ſuo corpori, etiam cum periculo uitæ corporalis faciendũ eſt opus miſericordiæ ſpiritualis, eius extremã neceſsitatẽ pro ſalute animæ patiẽti. Vbi dubitari poſſet de peſte infectis, an cũ periculo uitæ corporalis teneatur quis eis ſpiritualia miniſtrare. Ad quod dico primo, ꝙ cũ cõtritio eis ſufficiat, nõ ſũt in extrema neceſsitate vitę ſpiritualis, licet ſint uitæ corporalis. Dico 2. ſi cõſtaret aliquem nõ eſſe cõtritũ, ſed male diſpoſitũ, ille qui hoc ſcit, & credit nullũ aliũ ei ſpirituale auxiliũ daturũ, tenetur cũ periculo uitæ illũ uiſitare, & dare ei illud ſpirituale auxiliũ, ꝙ poteſt, & ſi eſt laicus ad contritionẽ, & Dei amorẽ hortando diſponat, probatur quia eſt in extrema neceſsitate uitę ſpiritualis. Dico 3. Parochus tenetur

[Margin: Quando teneamur]

[Margin: De auxilio ſpirituali dando peſte infectis.]

tur eos uiſitare,& ſaltem à longe eorũ cõfeſsiones audire,&,forſan tenetur etiã alia Sacramenta.ſ.Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis eis miniſtrare,ſed quia quo ad iſta Sacramenta, eſt maius uitæ periculũ,& peſte infectis ſatis prouidetur Sacramento Cõfeſsionis, nõ auderẽ affirmare Parochos teneri ad illa eis ad miniſtrandũ,idq; eo magis,quia eorũ corporalis uita eſt neceſſaria etiã pro aliorũ eodẽ morbo laborantiũ,ſpirituali ſalute,& quod Parochi teneãtur illos uiſitare, & eorũ cõfeſsiones audire probatur,quia ſunt paſtores, & pro ſalute ſuarũ ouiũ quãdo opus eſt,tenẽtur vitã ponere,& licet illis ſufficiat cõtritio,forte sũt ſolũ attriti,& attritio ſine ſacramẽto non ſufficit. Et ſi peſte infecti eſsẽt multi ſimul in eodẽ loco, adeo ꝙ Confeſsio nõ poſſit à longe ſecrete fieri,bene faceret Parochus,ſingulis ãurẽ prębendo,ſed nõ credo,quod ad hoc teneatur,cũ aliter poſsint, & ſine Sacerdotis periculo,& ſine eorũ infamia cõfiteri:hoc igitur casu admoneat Sacerdos infirmos,quod publice poſſunt confiteri,& omnes ad ſigillũ confeſsionis tenentur,& cũ publice poſſint cõfiteri,poſſunt etiã omnia ſua peccata dicere,ſed nihilominus ſi quis haberet peccata,quæ nolit ita publice dicere, licet poſsit ad maiorem confuſionem,& contritionem illa dicere,nihilominus illis relictis ſecure,& ſine ullo ſcrupulo poterit dicere alia de quibus non eſt aliquod infamiæ ,uel alterius damni periculũ, ut adſit materia pro ſacramẽtali abſolutione,ita tamẽ ꝙ habeat omniũ ſuorũ peccatorũ cõtritionẽ, & firme proponat illa cõfiteri cũ primum ex illo periculo euaserit, & quod hoc liceat,probatur,ꝙ enim confeſsio poſsit eſſe publica docet Cõc, Trid.ſeſſ.14.c.5. quod etiam confeſsio poſsit eſſe per accidens dimidiata,& ad euitãdũ uitæ,uel animæ periculũ , uel proximi infamia poſsit ſciẽter omitti aliquod peccatũ, donec habeatur copia alterius Cõfeſſoris, probauimus ſuperius in cap. de integritate Confeſsionis.Dico 4. magnũ opus charitatis eſſe,ſæuiẽte peſte uiſitare infirmos pro eorum ſpirituali ſalute, & temporali auxilio,etiam ſi quis ad id non teneatur. Quomodo poſsint confiteri.

Sed ut magis in particulari deſcẽdamus ad opera miſericordiæ,de tribus præcipuis ſigilatim agemus,Primo de eleemoſyna. 2. de repellẽda à proximo iniuria. 3 de impediẽdo alterius peccato.Eleemoſyna eſt de cõſilio,& in duobus caſibus de præcepto.Primus caſus eſt,quãdo quis habet ſuperflua naturæ, & occurrit,& petit ab eo eleemoſynã aliquis in extrema neceſsitate exiſtẽs,c.Paſce.d.86. Secũdus,cũ quis habet non ſolũ ſuperflua naturæ,ſed etiã ſtatus,& alius eget neceſſarijs ad ſtatũ ſuũ. Eleemoſyna quando ſit de præcepto.

Circa quos eſt primo notandũ, ꝙ nullus tenetur quærere egentes, ut eis eleemoſynas faciat, niſi ex officio ei incumbat. 2. ꝙ in utroq; caſu, ſatisfit præcepto cõmodando, vel mutuãdo, vt reſtituãt cũ uenerint ad pinguiorẽ fortunã. 3. ꝙ in primo caſu eleemoſyna faciẽda eſt petẽti, in ſecũdo uero nõ eſt neceſſario faciẽda petẽti, ſed põt fieri ad libitũ, & ſatis eſt, ꝙ ſuperfluũ ſtatus, ſit in uſũ pauperum; & ratio diuerſitatis eſt, quia in caſu extremæ neceſsitatis pauperis, neceſſitas eleemoſynæ ſumitur ex parte petentis, at extra caſum extremæ neceſſitatis, neceſſitas eleemoſynæ non ſumitur ex parte petentis, ſed ex parte dantis, quia habet ſuperfluum, cuius eſt diſpenſator in vſum pauperum. 4. quod quamuis omnes conueniant in priori caſu, nõ tamen in ſecundo, quod de ſuperfluo ad decentiã ſtatus ſit de præcepto facienda eleemoſyna, ſed quod ſit neceſſario facienda. S.Th. & Caiet. efficaciter probant, & duas ſolum eorum adducã rationes. Prima eſt S.Tho. quia eleemoſyna cũ ſit actus uirtutis, debet cadere ſub præcepto, & eius præceptũ cum ſit affirmatiuum, non obligat ad ſẽper, ſed pro loco, & tẽpore, cũ autem uſus diuitiarum ſit ordinatus ad ſubueniẽdũ neceſsitatibus præſentis vitæ, & ſubuentio debeat eſſe ordinata, ſequitur ꝙ qui diuitijs nõ vtitur ad ſubueniendũ neceſſitatibus præſentis vitæ, uel inordinate utitur, à uirtute recedit, iſte autẽ ordo ſubuentionis, debet attẽdi quantũ ad duo, primo ex parte eorũ quibus ſubuenitur, ut primo ſibi, poſtea ſibi cõiunctis ſubueniat, deinde extraneis, ſecundo ex parte neceſsitatis, ut prius abſolutis neceſsitatibus ſubueniatur, quã alicui neceſſitati cõditionatæ, quæ eſt cũ quis indiget aliquo, ad ſui ſtatus decentẽ conſeruationẽ, & ideo præceptũ legis obligat, ut illud, ꝙ ſupereſt alicui, poſt ſubuentionẽ perfectã ſibi, & ſibi coniunctis, puta familiæ, quã gubernare debet, reſpectu utriuſq; neceſsitatis, in eleemoſynas expendat, ad ſubueniẽdũ alijs reſpectu utriuſq; iſtarũ neceſsitatũ, ſicut etiã natura id quod ſibi de alimẽto ſuperfluit ab actu nutritiuæ, in quo attenditur neceſsitas abſoluta, & actu augmentatiuæ, in quo attenditur quaſi neceſsitas cõditionata, parat ad cõſeruationem ſpeciei generatiuæ uirtuti ſubminiſtrans; obligat etiam præceptum legis, quod primo ſubueniatur neceſſitati abſolutæ extraneorum, quam propriæ, uel propinquorum conditionatæ, ergo dare eleemoſynam de ſuperfluo ad decentiam ſtatus, & dare eleemoſynam ei, qui eſt in extrema neceſſitate de ſuperfluo naturæ, eſt de præcepto. Secunda ratio eſt Caietani, quia iure naturali omnia ſunt communia, & ius gentium appro-

De ſuperfluo ſtatus eſt faciẽda de præcepto eleemoſyna.

S.Th. 4.ſ. d.15. ar.1. q.4.

Caie. tom 2. opuſc. tract.5.

appropriauit quo ad vsũ, procurationẽ, & diſpenſationẽ, cũ autẽ à iure gentiũ nihil inordinatũ uim ſũmat (oritur enim à naturâ ut rationalis eſt) eſt impoſsibile, quod ea, quæ huic ſuperfluunt quoad naturam, & ſtatum, ſint eius quoad uſum, licet ſint eius quoad procurationem, & diſpenſationẽ, vſus.n. ſuperfluorũ eſt inordinatus, aliter ſuperflua non ſunt, ſi autem iure gentium nõ ſunt eius quoad vsum, iure naturali debentur indigentibus, diſpenſanda tamẽ ad arbitriũ poſſidentis, cui ius gentiũ diſpenſationẽ appropriat, ergo eſt contra ius naturale ſuperflua naturæ, & ſtatus nõ dare indigentibus. Licet etiã neceſſariũ ſtatus, ſit habentis quoad uſũ ſimpliciter loquẽdo, in caſu tamen quo occurrit alterius extrema neceſſitas, ut ſuperfluũ cenſetur, reſpectu iſtius patiẽtis extremã neceſſitatẽ, & ius naturale exigit, ut tãquã ſuperfluũ extremè laborãti debeatur; nã ratio à qua ius gẽtiũ deriuatur, nõ ita applicat neceſſariũ ſtatus huic quo ad vſum, quin iudicet in caſu neceſſitatis alteri deberi, ob uim iuris naturalis, eſt ergo cõtra ius naturale nõ ſubuenire extremæ neceſſitati de neceſſario ſtatus. Et quòd de ſuperfluo perſonæ, ſeu ſtatus ſit de præcepto facienda eleemoſyna probatur etiam ex cap. ſicut hi. 47. diſt. Sed pro prædictorum explicatione notandũ eſt, quod extremè egere dicitur, non ſolum, qui iã animã agit, ſed etiã cũ indicia probabilia apparent eo deuenturũ, niſi ei ſubueniatur; & nõ ſe offert, nec probabiliter expectatur alius qui ei ſubueniat. Superfluum naturæ dicitur omne id, quod alicui ſupereſt, demptis neceſſarijs ad uitã ſuam, & ſuorũ. Superfluum uero ſtatus eſt, id quod ſupereſt alicui deductis neceſſarijs ad uitã, ſtatumq; decentẽ ſuũ, & ſuorũ, habita ratione caſuũ non omnium, qui accidere poſſunt, ſed eorũ, qui probabiliter timeri, uel expectari debent, ad eumdem ſtatũ pertinẽt nõ ſolum neceſſaria ſuſtentandis filijs, filiabus mancipijs, famulis, hoſpitibus, conuiuijs, muneribus honeſtis, & magnificẽtijs moderatis, ſed etiam illa, quæ ſunt neceſſaria ad aliquod dominium emendum, & ad mutandum ſuum ſtatum in alium meliorem, ad quem eſt idoneus, & hoc neceſſarium ad decentiam ſtatus, non conſiſtit in indiuiſibili, ſed habet latitudinem, & eo maiorem, quo maior eſt ſtatus, quia in uno erit decem plus, aut decem minus, in alio centum plus, aut centum minus, & in alio mille plus, aut mille minus, &c. Ex quo ſequitur Roſellam immeritò dixiſſe paucos diuitum confeſſarios ſaluari, ſi de præcepto ſuperfluum dandum eſt pauperibus, non enim tot ſunt quot putat huiuſmodi diuites, qui habent

Qui egeãt extreme.

Quod ſit ſuperfluũ naturæ, & ſtatus.

ſuperfluum ſtatus, cùm nec Reges, nec magni Principes, qui habent theſauros, ſuperflua habere cenſeantur, cum parati eſſe debeant ad bella; quæ occurrere poſſent. Concludamus igitur, quod peccat mortaliter, qui ſupeſflua ſtatus non conuertit in vſum pauperum.

Quando tenemur ſub mortali proximi iniuriã & damnũ repellere.

Alterum miſericordiæ opus de quo ſpecialiter tractare uolumus eſt alterius iniuriam repellere, non ſolum enim iniuria non eſt inferenda, ſed eſt etiam repellenda, ad quod duo ſolum ex multis adducemus capitula. Primum 23. q. 3. Non in inferenda, vbi dicitur, quod qui non repellit iniuriam à ſocio ſi poteſt, tã eſt in uitio, quam ille, qui facit. Secundum eſt cap. quantæ ext. de ſent. excom. vbi dicitur. Eos delinquentibus fauere interpretamur, qui cum poſſint, manifeſto facinori deſinũt obuiare, & loquitur Papa de illis, qui non defendũt clericos quibus violentæ manus inijciuntur, & dicit eos quoq; eſſe excommunicatos. Et hoc non ſolum intelligitur de illis, qui ex officio tenentur alterius iniuriam repellere, ſed etiam de alijs, qui illam, cum poſſint, non repellentes, peccant, non quia cõſentiũt, nam etiam ſi non conſentiant peccant, & conſentientes magis peccant, ſed quia omittunt facere id ad quod tenentur, ſi non ex officio, ſaltem lege charitatis, iuxta quam tenemur proximi iniuriam repellere, etiam cum proprio in commodo, & damno, facultatum, honoris, & exiſtimationis, quãdo neceſsitas id exigit, cap. Non ſatis, diſt. 86. habenda tamen eſt ratio iniuriæ alterius, & proprij incommodi, nam ſi damnum proximi eſſet tam paruum, ut arbitrio boni uiri non debeamus nobis incommodare tantum, quantum opus eſt ad illud impediendum, non tenemur, & multo minus tenemur cum detrimẽto honoris, cum honor pluris faciendus ſit, quam pecunia, at ſi proximi damnũ eſſet magnum, & detrimentum honoris paruum, poſtponẽdus eſſet honor. Vnde excuſantur uiri graues, à defenſione puerorum, & leuium hominum, quos alij pugnis cædunt, ſi concitato gradu, & cum notabili honoris, & exiſtimationis iactura eis nõ ſuccutrunt, non autem excuſarentur ſi eſſent in periculo uitæ, aut mutilationis, & eis ſuccurre poſſent. Ex quibus ſequitur ſententias ab Abbate citatas in d. cap. quantæ, & illa, quam ſequitur Abbas, non plene ſatisfacere, nec explicare, qui teneantur repellere proximi iniuriam, licet loquantur de non prohibente clerici percuſsionem. Prima eſt Io. quam etiam ibidem citat Gloſ. quod quilibet potens obuiare, ne clericus percutiatur, tenetur obuiare, & non obuians incurrit excommunicationem,

nem, ſed ut inquit Gloſ. hoc nimis generaliter aſſerit, quia aliquis poſſet periculum incurrere. Secunda eſt Gloſæ Bernardi, quod intelligatur de habente iuriſdictionem, ſeu poteſtatem ſupra uerberantem, ſecus de alio, puta ſocio, non habente hanc poteſtatem. Tertia eſt Innoc. & Abb. quod generaliter intelligatur de omnibus, etiam de non habente poteſtatem, ſeu iuriſdictionem, dummodo doloſe patiatur, ſecus ſi non doloſe, ſed ex negligentia, uel quia non vult ſe immiſcere ruinis aliorum. Sed ſi bene ponderentur, & intelligantur uerba Gloſæ, eius ſententia non eſt illa ſecunda, quam ei tribuunt Abbas, & Nauarr. Nau. c. 24 ſed quam ſibi attribuit Nau. inquit enim ſolos Prælatos, ſeu Iu- nu. 20. dices, & alios, qui habent poteſtatem ad hoc teneri ratione poteſtatis, & ſubdit, at ſi ego, qui non habeo poteſtatem, uideo, quod aliquis vult uerbetare clericum, ſine meo conſilio, uel auxilio, non credo, quod ſim excommunicatus ſi non prohibeo illum, licet aliàs forte peccem, ubi diſtinguit duplicem obligationem ad repellendam iniuriam, una quæ fundatur in lege iuſtitiæ, cui apponitur etiam pœna, & ommittens repellere, tenetur ad reſarciendum damnum, & hac ratione obligantur illi ſoli, qui habent auctoritatem, & tenentur ex officio; altera eſt, quę fundatur in lege charitatis, quæ obligat solū ad peccatum, ſed non ad pœnas legum, nec ad reſtitutionem damni, & hac ratione tenentur omnes, qui poſſunt impedire cum dicto moderamine, etiam ſi nullam habeant iuriſdictionem, & etiam ſi ſine dolo, ex ſola negligentia non defendant, uel non ferant opem, quia licet non puniantur in foro exteriori, neq; ciuili, neq; canonico, puniendi tamen ſunt in foro conſcientiæ.

Eſt autem hoc loco notandum ex Nau. eſſe maximam differentiam inter opera miſericordiæ corporalia quo ad dandum egenti, & quo ad impediendum alterius damnum, nam ad dandum egenti, non tenemur ſub peccato mortali, niſi ſit in extrema neceſsitate, at ad impediēdum alterius damnum, tenemur ſub peccato mortali in neceſsitate, etiā ſi ille, qui illud patitur, non egeat extremè, unde iura plus fauent agenti de damno uitando, quam agenti de lucro captando, Et probatur quia quilibet tenetur bouem proximi, etiam inimici, errantem, ſi poteſt, ad illum reducere, & aſinum ſub onere iacentem ſubleuare, uel ad ſubleuandum iuuare, ſi credit probabiliter alium id non facturum. Exod. 23. & idem de ueſte, & de quacumque alia re proximi, amiſſa, præcipitur, Deut. 22. Ex quo infert Nau. quod iter faciens, qui offendit mulionem egentem ope alterius ad le-

Nau. c. 24. nu. 21.

Tenemur etiam ſi extreme nō egeat.

uandum mulam luto hærentem, ſi iter eſt à multis frequentatum, quos credit probabiliter ei auxiliaturos, non peccat mortaliter non opitulando ei, ſed peccaret ſi iter eſſet à paucis frequentatum, & qui offendit iumenta proximi ſegetes depaſcentia, aut uidet ædes, ſegetes, aut ſupellectilem proximi ardere, & non extinguit cum poſſet ignem, & qui uidet alium emere animalia, pannos, prædia uel alia uitioſa, uel longe minora, uel peiora, quam putat ipſe, & non monet illum, & qui audit famæ proximi grauiter detrahentem, & non reſiſtit, etiam ſi ei non credat, putat tamen alios credituros, idem de alijs innumeris, qui uident notabiliter lædi proximum in corpore, honore, uel re familiari, nam ſi credunt alios non impedituros illa mala, & ipſi cum poſſint non impediunt, peccant mortaliter contra legem charitatis.

Quãdo tenemur ſub mortali impedire peccatum mortale proximi.

Tertium opus miſericordiæ de quo in particulari tractare promiſimus eſt de impediendo alterius peccato, & dicimus, quod peccat mortaliter ille, qui cum poſſit non impedit peccatum mortale proximi, & ſatis patet ex dictis, ſi enim peccat mortaliter, qui cum poſsit non impedit mala, uitam corporalem proximo adimentia, qui non retinet uolentem ſe præcipitare, qui non extrahit etiam inuitum e domo iam ruitura, & etiam, qui non impedit damnum proximi, quod credit ab alio non impeditum iri, multo magis peccabit mortaliter, qui non impedit peccatum mortale proximi, quod eſt maius damnum, quia eſt mors animæ. Hoc Nau. ut refert in Man. c. 14. num. 26. limitauit cum Fely. ut procedat quando ſine uerecundia, incommodo, & dedecore id impedire poteſt, ſed merito ſe ipſum correxit, in cap. 24. nu. 23. Manu. ubi inquit hoc procedere etiam ſi oporteat ob id amittere facultates, honorem, & uitam ipſam, quando anima proximi eſt conſtituta in extrema neceſſitate auxilij noſtri, & etiam quando non eſt in extrema neceſsitate auxilij noſtri, ſed tamen ob ſuam imbecillitatem, uel ignorantiam craſſam, aut affectatam, aut ob aliam cauſam, & occaſiones peccandi, eſt in ea neceſsitate, ut niſi nos ei opitulemur, peccabit mortaliter, & ſi opitulemur non peccabit, & miror Nauarrum tantum, & tam diu laboraſſe in inuenienda huius ratione, quam apud nullum ſe inueniſſe aſſerit, cum ſit in promptu, facilis, & fere cuilibet nota, & eſt, quia ſecundum ordinem charitatis tenemur magis diligere animam proximi, quam uitam corporalẽ & ſicut ui eiuſdem ordinis tenemur, magis diligere uitã corporalẽ proximi, quam proprias diuitias, & cum earũ diſpendio ei in

in extrema neceſſitate exiſtenti ſubuenire, ita etiã, & multo magis cũ periculo uitæ tenemur ſuccurrere ſaluti ſpirituali proximi in extrema neceſsitate exiſtentis, ne in peccatum mortale labatur. Quamuis hoc ſit uerum, uidendũ tamen eſt quando ſit iſta neceſsitas, quæ nos obliget, nam certũ etiã eſt, quod poſſumus uti iure noſtro, & iuſte petere ab alio, quod faciendo, peccabit mortaliter, Et dicimus, quod quatuor debent concurrere ad hoc, ut quis teneatur, ſub peccato mortali impedire peccatũ mortale proximi, quorum tria ſunt illa, quæ requirũtur, ut præceptum fraternæ correctionis obliget. Primo, certitudo, quod ſit peccatum mortale. 2. ſpes, quod illud omittet. 3. oportunitas non ſolum perſonæ. ſ. quod ipſe magis ad id teneatur, quã alij, ſaltem conſiderata eorum ad quos id magis ſpectat negligentia, ſed etiam temporis. 4. quod peccet ex ignorantia, uel fragilitate, & non ex malitia, nam ſi peccat ex malitia, & ad impediendum eius peccatum, neceſſe eſt, ut quis non utatur iure ſuo, uel ſuo bono ſpirituali, uel temporali, non tenetur ſic illud impedire; ſi eſt ſpes emendationis per fraternam correctionem tenebitur illam ei facere, ſi hac uia non corrigitur, poteſt illum relinquere, & ipſe uti iure ſuo, quia iſta neceſsitas non eſt ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione malitiæ ipſius, ut dicemus, cap. 9. præſentis libri, hac ratione inuaſus poteſt ſe defendere, & cum moderamine inculpatæ tutelę inuaſorem occidere, etiã ſi æternaliter damnetur, & quis poteſt denegare pecuniam dono petitam, ab eo qui niſi detur vult ſe præcipitem dare, à parocho etiam in peccato mortali exiſtente, poſſunt peti Sacramenta, & ab eo, qui non vult mutuare niſi cum uſura, indigens poteſt accipere ad uſuram, & mulier pulchra poteſt egredi, & deformis, ſe recta intentione ornare, nec ob id debet domi manere, aut non ſe ornare, quia alij ad eam concupiſcendam inducuntur, ut dicemus, cap. 5. nam quamuis iſti peccent mortaliter, à quo abſtinerent ſi alij omitterent id, quod iure facere poſſunt, nihilominus, quia malitioſe id agunt, alij poſſunt vti iure ſuo, & illos in ſuis peccatis relinquere, iuxta illud Matt. 15. *Sinite illos cæci ſunt.* Ratione etiam expectatæ oportunitatis, non peccat mortaliter, qui non impedit aliquod peccatum mortale proximi, etiam ſi ex officio teneatur, ex eo, quod expectat maiorẽ oportunitatem, ut in eo deprehenſus fructuoſius caſtigetur, & emendetur, quia licet non ſint facienda mala, ut bona ſequantur, poteſt tamen malum permitti, & non impediri, propter bonum, quod ſperatur, quod quotidie erga nos Diuina bonitas facit.

Quatuor debẽt concurrere.

Poſſumus vti iure noſtro, & illos relinquere.

Quot

Quot ſint peccata Capitalia, quid ſint ſuperbia, & vanagloria, quæ earum filiæ, & quando ſint peccata mortalia. Cap. IIII.

Ordo ſeruandus.

DEbitus præceptorum ordo expoſceret, quod hoc loco tractaremus de quarto præcepto, ſed quia debemus etiam tractare de peccatis diuerſorum ſtatuum, & fere omnes ſtatus reducuntur ad duo præcepta, de honore.ſ.parentum, & de non faciendo furtum, ideo hæc duo præcepta ad maiorem materiæ continuationem, vltimo loco reſeruabimus, & ſicut ad præceptum de non furando, reducitur peccatum auaritiæ, ita etiam ad præcepta de non occidendo, & de non mœchando, reducuntur peccata iræ, & luxuriæ, ideo ad cuitandam repetitionem, & ut tractatus noſter recto (ut dicitur) curſu procedat, pro maiori confeſſorum in examinando facilitate, tractabimus nunc de peccatis capitalibus, & poſtponemus illa, quæ coincidunt cum prædictis præceptis, ut cum illis ſimul tractentur.

Peccata capitalia ſeptem.

Septem ſunt uitia.ſ.Superbia, Auaritia, Luxuria, Ira, Gula, Inuidia, & Accidia, quę vulgus ſeptem peccata mortalia appellat, ſed cum non quælibet Superbia, auaritia, ira, gula, &c. ſint mortalia, & ſæpe ſint uenialia, conuenientius cum S.Gregorio, dicũtur ſeptem peccata principalia, ſeu cum alijs capitalia, nõ quia ſunt peiora, aut ſemper, uel ſæpius mortalia, ſed quia ſunt fontes particulares multorum aliorum, & eorum peruerſi duces, quorum omnium Regina, eſt ſuperbia.

Superbia quid.

Superbia eſt uitium inclinans ad appetitũ inordinatum propriæ excellentiæ, quatenus eſt excellentia; Vt appetitus propriæ excellentiæ ſit ſuperbia, requiritur quod ſit inordinatus, vel quia illa excellentia eſt immerita, uel ſi eſt merita, modo indebito appetitur, uel quæritur, etiam ſi ſit ſine actuali intentione præferendi ſe proximo. Dicitur quatenus eſt excellentia, quia ut inquit Nauar. appetitus eius, quod re uera eſt quædam excellentia, ſed non appetitur eo reſpectu quo eſt excellentia, ſed alio, non eſt Superbia, ſed aliud uitium, nam ſi eſt appetitus honoris, eſt ambitio, ſi poteſtatis, præſumptio, ſi gloriæ, uanagloria, quamuis enim iſta in ſe ſint ueræ excellentiæ, quia tamẽ non appetuntur, ut excellentiæ, earum appetitus formaliter nõ eſt Superbia. Nec requiritur ad formalem rationem Superbiæ, quod ſit cum actuali contemptu ſubijciẽdi ſe Deo, & legi eius,

Nau.c.23 nu.6.

nam

nam ſine illo eſt ſuperbia, uerè, & propriè dicta, ſed erit ſolum veniale, ut autem ſit peccatum mortale; requiritur prædictus contemptus, actualis, uel uirtualis. Eſt igitur ſuperbia peccatum mortale. Primo, quando eſt cum contemptu ſubiectionis Dei, aut legis eius. 2. cum quis appetit inordinatam excellẽtiam, uel de illa lætatur, ſine actuali quidem contemptu ſubiectionis Dei, ſed cum notabili eius irreuerentia, uel damno proximi ex eo reſultante. 3. quando eſt alicuius harum quatuor ſpecierum. Prima ſi quis putet à ſe habere bona naturæ, uel fortunæ, uel ſpiritualia, cum omnia ſint à Deo. Secunda, qui à Deo quidem illa recognoſcit, non tamen gratis, ſed ex iuſtitia, ſuis.ſ. meritis exigentibus data. Tertia, qui ſibi attribuit bona, quę non habet, cuiuſcumque ordinis ſint. 4. qui alios inordinate contemnit, aut vult, ut ſibi ſubmittantur, quamuis eũ præcedant, iſta ſunt peccata mortalia, niſi ratione primi motus, & inaduertẽtiæ excuſentur, uel ſint uenialia, & niſi etiam in duabus poſterioribus ſpeciebus excuſet leuitas materiæ; & circa duas priores ſpecies ſuperbiæ, interroget Confeſſor an ita putet non ſolum ex particulari affectu, ſed etiam, quia ita eſſe credit, hoc enim ad infidelitatem pertineret. *Quãdo ſit peccatum mortale.*

Interroget etiam Confeſſor pœnitentem de gradibus ſuperbiæ, qui ſunt duodecim.ſ. Curioſitas, lęuitas, inepta letitia, iactantia, ſingularitas, arrogãtia, prę ſumptio, defenſio peccatorũ, ſimulata confeſsio, rebellio, libertas, & peccandi conſuetudo, qui vt inquit S.Tho. ex S.Bernardo opponuntur duodecim gradibus humilitatis, ex quorum oppoſitione facilius etiam intelligentur. Primus gradus humilitatis eſt corde, & corpore ſemper humilitatem oſtendere, defixis in terram aſpectibus, cui opponitur curioſitas, per quam aliquis curioſe ubique, & inordinate circumſpicit. Secundus eſt, ut pauca uerba, & rationabilia loquatur aliquis, non clamoſa uoce, contra quem opponitur leuitas mentis, per quam.ſ. homo ſuperbe ſe habet in uerbo. Tertius eſt, ut non ſit facilis, & promptus in riſu, cui opponitur inepta lætitia. Quartus eſt taciturnitas, uſq; ad interrogationem, cui opponitur iactantia. Quintus eſt, tenere, quod communis regula monaſterij habet: cui opponitur ſingularitas, per quam.ſ. aliquis ſanctior uult apparere. Sextus eſt, credere, & pronuntiare ſe omnibus uiliorem: cui opponitur arrogantia, per quam.ſ. homo se alijs præfert. Septimus eſt ad omnia inutilem, & indignum ſe confiteri, & credere: cui opponitur præſumptio, per quam aliquis reputat ſe ſufficientem ad maiora. *Duodecim gradus ſuperbiæ cõtra totidẽ humilitatis.*

maiora. Octauus, eſt confeſsio peccatorum: cui opponitur defenſio eorundem. Nonus eſt in duris, & aſperis patientiam amplecti; cui opponitur ſimulata confeſsio, per quam .ſ. aliquis nõ vult ſubire pœnam pro peccatis, qui ſimulatè confitetur. Decimus eſt obedientia: cui opponitur rebellio. Vndecimus eſt, ut homo non delectetur facere propriam uoluntatem: cui opponitur libertas, per quam .ſ. homo delectatur liberè facere, quod vult. Vltimus autem gradus humilitatis eſt timor Dei: cui opponitur peccandi conſuetudo, quæ implicat Dei contemptum.

Vanagloria quid.

Vanagloria ponitur à quibusdam filia Superbiæ, ab alijs Socia, cum habeat propriam rationem formalem diſtinctam à Superbia, eſt enim uitium inclinans ad inordinatum appetitũ gloriæ. Et cum multas habeat filias poteſt etiam dici uitium capitale, nam ſeptem ſunt eius filiæ, quæ ex ſe tendunt in manifeſtationem gloriæ, & propterea, ut tales non ad ſuperbiam, ſed uanam gloriam pertinent, & ſunt Iactantia, quæ inclinat ad declarandam inordinatè uerbo propriam excellentiã, Inuẽtio nouitatum, inclinans ad oſtendendam eandem ueris factis laude vera, uel falſa dignis, Hypocriſis ad idem factis falſis inclinat, Pertinacia, quę inclinat ad inordinate oſtentandum iudicium, Diſcordia, quę inclinat ad inordinate oſtendendum noſtram uoluntatem, uoluntati alterius præſtare, Contentio inclinat ad inordinatè altercandum, Inobedientia inclinat ad inordinate renuendum iuſſa. Pręſumptio autem (quæ eſt uitium inclinans ad appetendum inordinate ea, quæ uires, vel merita excedunt) & Ambitio (quę inclinat ad inordinatum appetitum honoris) nõ ſunt filię uanagloriæ, ſed eius ſocię magnanimitati cõtrarię.

Eius filiæ.

Eius ſociæ.

De quibus omnibus prudens Confeſſor debet interrogare, & cum gradus ſuperbię, & filię uanagloriæ ſint adeo affines, ut ſepe fere coincidant, ex quorundam interrogatione facile iudicabit de cęteris, ne idem ſępius interroget. Et non ſunt ſemper mortalia, ſed ut plurimum uenialia, niſi ſint de re mortali, uel ordinentur ad finem mortalem, uel ratione ſcandali, aut periculi peccandi mortaliter, efficiantur talia, & ut aliqua exempla adducamus, de curioſitate, peccat mortaliter uirgo, quæ curioſe vult ſcire quanta ſit delectatio carnalis copulæ, etiam ſi eam experiri nolit, ratione periculi, & eadem ratione vir qui vult videre fœminam nudam, uel eius pudenda, & fęmina, quę vult uidere uirum nudum, credens, aut credere debens ex illo aſpectu conſenſum prębituram actui, aut delectationi mortali, aut pollutionem ſequuturam, & ille, qui ut ſciat quantam in caſtitate,

Non ſunt ſẽper mortalia, & quando. Exempla de curioſitate.

tate,conſtantiam ipſe, & alia habeant, loquitur ſolus cum ſola,tempore,& loco ſecreto, credens,aut credere debens ſe cauſam fore,ut ipſe,uel illa conſentiat ſaltē delectationi moroſæ,& ille qui cum eadem credulitate legit,uel audit libros amorum, peccat etiam mortaliter ille, qui vult ſcire alienum peccatum, confeſſionem Sacramentalem alteri factam clam auſcultando, & ille,qui vult ſibi reuelari ſecretum,quod ſine mortali peccato reuelari non poteſt,& ille,qui ut addiſcat, res ſibi non neceſſarias,omittit cognitionem rerum officio ſuo neceſſariarum,vt Parochus,qui ob ſtudium poeſis,uel officij mechanici, non curat addiſcere illa,quæ ſunt officio ſuo neceſſaria.

De ornatu, & præcipue mulierum. Cap. V.

CVm multi ſint ſatis faciles ad cōdemnandū mulieres ſe ornantes,& fucantes,de peccato mortali;de ornatu, & præcipue mulierū, hoc loco fuſius tractare uoluimus, non ut earū uanitatē,& laſciuiā tueri uelimus,ſed ut diſtinguētes peccatū mortale à ueniali, nō inijciatur laqueus peccati mortalis illis,quæ ſolū ueniaIiter peccant, & in eo uolunt perſiſtere, nec ratione conſcientiæ erroneæ illaqueētur ad mortem.Hanc quæſtionem fusè,& doctè tractat Caiet.cum quo eſt notandum,quod exterior apparatus ad tria, ſecundum rectam rationem ordinatur,primo ad fomentū corporis, & hoc eſt neceſsitatis, & propterea Deus primis parentibus fecit tunicas. 2. ad honeſtatē,& hoc etiam eſt neceſsitatis ex parte animæ,& propterea primi parentes fecerunt ſibi perizomata, ptius prouidentes animæ, quam corpori. 3. ad ornatum, uel honoris, uel pulchritudinis,& licet ornatus non ſit omnibus communis cum mortui mundo ab huius ornatus cura ſint exempti, ratione tamen miniſterij, poteſt etiam illis eſſe communis, ſed non loquimur modo de ornatu miniſteriorum, & officiorum maxime Eccleſiæ cum de illo non ſit dubium, loquentes igitur de ornatu perſonæ. Primo agemus de illo, qui ſit cauſa honoris, portando ueſtes, & gemmas præcioſas, & dicimus, quod ornare ſe ueſtibus præcioſis, auro,& gemmis, ſecundum conſuetudinem patriæ, & ſtatus ſui decentiam, ex ſe nullum eſt peccatum ſi recta fiat intentione, & ſine inordinato affectu, imo ornare ſe ultra decentiam ſui ſtatus, poteſt eſſe ſolum ueniale.Hoc noſtro dicto multa comprehendimus,& primo dicimus,

Marginalia: Caie. 2. 2. q. 169. ar. 1 — Indumenti triplex cauſa. — Ornare ſe ueſtibus precioſis, & gēmis ex ſe non eſt peccatum.

mus, quod tam uiri, quam mulieres licitè ſe ornare poſſunt iuxta conditionem ſui ſtatus, & patriæ conſuetudinem, & probatur primo, quia exteriora ſunt quędam teſtimonia interiorum, & exterior ornatus eſt quoddam teſtimonium qualitatis, & cõditionis perſonæ, non ſolum publicæ, ſed etiam priuatæ, ergo recta ratio dictat, ut quilibet in hac uita honorabiliter procedat, pro ut eum decet, ut non ſolum ab illis, qui eum cognoſcũt, ſed etiam ab alijs ex ornatu, habeatur, & reuereatur, ut talis qualis eſt; probatur ſecundo, quia ſacra ſcriptura multas mulieres tanquam Deum timentes, religioſas, & Sanctas deſcribit, & dum eos commendat, ueſtes præcioſas, in aures, monilia, & torques aureas, quibus ſe ornabant habuiſſe commemorat, ſimiliter, & ſanctos Patriarchas huiuſmodi ornamenta uxoribus ſuis dediſſe dicit, ut patet Gen. 24. Judith. 10. & de Heſter etiam, & Suſanna, quæ præcioſis ueſtibus ornatæ incedebant. Vnde S. Aug. ad Poſſodium epiſt. 73. inquit Nolo de ornamentis auri, uel ueſtis, præproperã habeas in prohibendo ſententiã. & Epiſt. 196. ad Ediciam, dicit quod in ſuperbo cultu poteſt haberi cor humile, idq; oſtendit exemplo Heſter. Et S. Antoninus addit etiam exemplum S. Ceciliæ, & aliarum, quæ de auraras veſtes deferebant, & quia poſſet dici quod hoc fecerunt loco, & tempore, propter excellentem fructum inde ſequendum, reſpondet S. Ant. quod ſi in ſe fuiſſet illicitum, non excuſaſſet pia intentio, nec fructus inde ſecuturus, quia non ſunt facienda mala, ut eueniant bona, & quod ſi Sanctę illæ mulieres se ornantes non peccauerunt, poterunt in hoc à mulieribus immitari, quæ ſententia eſt etiam S. Tho. & aliorum multorum. Dicimus ſecũdo, ad hoc ut præcioſus ornatus ſit ſine peccato, multa requiri, & ſi aliquid eorum deſit, erit peccatum mortale, uel ueniale, iuxta qualitatem rei. Primo, debet fieri recta intentione, ſi autẽ fiat ad ſuperbiam, uel ad libidinem erit peccatum, mortale ſi finis eſt mortalis, ut prouocare ad malum ſui concupiſcentiam, ueniale ſi finis eſt uenialis, ut uideri pulchrior, ditior, ſuperior. 2. debet eſſe ſecundum consuetudinem, uel legem patriæ, at qui contra morem, & legem patriæ citra contemptum indutus incederet, peccaret ſolum uenialiter, niſi lex obligaret ad mortale, ut ſi haberet annexam excommunicationem. 3 debet eſſe ſecundum decentiam ſtatus, & perſonę, unde qui pręcioſiori habitu incedit, quam requirat eius conditio peccat, ſed uenialiter, niſi ex circunſtantia fiat mortale, ut ſi ob eam cauſam non ſoluit debita, uel non prębet alimenta cui præbere tenetur.

Probatur primo.

ſecundo.

S. Ant. 2. p tit. 4. c. 5. § 8.

Obiectio cum ſolutione.

Vt non ſit peccatum tria requiruntur.

Quoad

Fucatio ex ſe non eſt peccatum.

Quoad ornatũ, qui fit cauſa pulchritudinis, qui eſt fere proprius mulierum, eſt maior difficultas cum ſit incentiuus luxuriæ, & dicimus ex ſe non eſſe malum, & quod poteſt tanta honeſtari cauſa, ut etiam fiat ſine peccato ueniali, & duæ ſunt cauſæ ob quas ſi ornatus ad maiorem pulchritudinem exprimendam fiat recta intentione, & iuxta decentiam ſtatus, nullum eſt peccatum. ſ. ad inueniendos, uel conſeruandos maritos bene diſpoſitos, nam mulieres ut maritos inueniant, & ut ab illis amentur debent pulchræ apparere, & pręcipue quando mariti ſic uolũt; & ſicut ornatus honoris licite apponit ſupra ueſtem neceſsitatis, ita etiam ornatus pulchritudinis, quando opus eſt, licite apponit ſupra ornatum honoris. Sed duę hic oriuntur difficultates.

Duabus cauſis honeſtatur.

Prima eſt, quia fucatione, & alienis capillis mulieres mentiuntur, oſtendentes pulchritudinem, quam non habent, & conſequenter ſemper peccant, & multi dicunt eas peccare mortaliter. Secunda eſt, quia fucatorius ornatus ad luxuriam prouocat, ergo eſt peccatum mortale. Non eſt dubium quin ſępe ſit peccatum mortale, ut inferius dicemus, ſed modo reſpondentes ad has duas obiectiones; oſtẽdemus quomodo fieri poteſt ſine peccato, uel cum ſolo ueniali.

Duo argumenta in contrariũ.

Ad primam igitur difficultatem reſpondemus cum S.Tho. Sylu. & alijs, quod aliud eſt fingere pulchritudinem non habitam, & aliud occultare turpitudinem ex aliqua cauſa prouenientem, puta infirmitate; uel huiuſmodi, hoc ſecundum eſt licitum, & non eſt mendacium, quia iuxta Apoſt. 1. Cor. 12. quę putamus ignobiliora membra corporis eſſe, his honorem abundantiorem circũdamus, & ita mulier ad abſcondendam maculam, uel alienas irriſiones euitandas, poteſt ſe fucare, & ſi ex infirmitate ſit decaluata ubi mulieres eiuſdem conditionis non incedunt uelatæ, ne caput habeat quaſi cucurbitam, poteſt portare alienos capillos, & ſi debita ſit intentio non peccat.

Ad primũ S.Th. 2.2. q.169. art. 2. ad ſecũdum.

Non eſt mendaciũ

At fingere pulchritudinem non habitam, eſt mendacium, & peccatum, ſed ex ſe non eſt peccatum mortale, nam eatenus eſt peccatum quatenus eſt fictio, & mendacium, at certum eſt non omnem fictionem, nec omne mendacium eſſe peccatum mortale, ſed ſolum pernicioſum, at mulierum fucatio ad pulchritudinem ſeruiens poteſt eſſe officioſa, & non pernicioſa, nam ſicut ſuprema pulchritudo naturalis, ſecũdum ſe non eſt pernicioſa, ita nec artificialis; quando enim idẽ effectus poteſt fieri ab arte, & à natura, eiuſdem rationis eſt ſi à natura, & ſi ab arte fiat, cum ergo ſuprema pulchritudo ex ſe non ſit pernicioſa, fictio pulchritudinis poteſt eſſe officioſa, nã

Eſt mẽdacium officioſum.

ſola ratio mendacij appoſita, non facit, quod ſit pernicioſa, cum mendacium ſæpe ſit officioſum.

Ad ſecundum. Ad ſecundam difficultatem reſpondetur cũ Caietano, quod fucatio eſt occaſio concupiſcentiæ, & multorum malorum, ſed non ſemper imputanrur mulieri se fucanti, & propterea non ſemper ob id peccat, ſaltem mortaliter, nam unumquodq; iudicandum eſt ſecundum propriam cauſam, & non ſecundum occaſionem, ſicut enim diximus pulchritudo eſt à natura, & ab arte, cum ars imitetur naturam, & eadem eſt utriuſq; ratio, utraque enim excitat ad ſui concupiſcentiam, ſed multo magis mulieris pulchritudo naturalis, quia maior eſt, quam artificialis, eum natura ſuperet artem, & ſicut omnis naturalis pulchritudo mulieris eſt inculpabilis, ita etiam ſecundum ſe eſt inculpabilis omnis artificialis pulchritudo, ita quod neutri pulchritudini, ſecundum ſe ſit imputandum ad culpam, quod eſt prouocatiua ad cocupiſcentiam mulieris; & ſi mulier naturaliter pulcra, uel ſe ornans, non intendit prouocare alios ad ſui concupiſcentiam, non imputatur illi ſi concupiſcitur, ſed propria cauſa concupiſcentiæ eſt uoluntas uiri cõcupiſcentis, & quamuis mulier ſe fucans det operam rei illicitæ, ex eius tamen opere non cauſatur ruina uiri, ſed ex mala uiri uoluntate, & propterea ſi eius ruina non eſt intenta à muliere, non imputatur illi, ſicut nec pulcherrimæ mulieri vanè egrediẽti domo, imputatur peccatum concupiſcentium eam, quam non concupiſcerent ſi domi fuiſſet, & hoc inquam quantum eſt ex parte naturalis, uel artificialis pulchritudinis, quæ poteſt etiã eſſe cum peccato mortali, uel ueniali, iuxta finem mulieris ornantis ſe, & uirorum cõſpectui ſe præſentantis, Eſſe igitur prouocatiuum ad concupiſcentiam, quandoque eſt nomen uitij, quandoq; eſt nomen conditionis naturalis, pulchritudo mulieris, tam naturalis, quam artificialis, ex ſe, & ex naturali conditione, & proprietate, eſt prouocatiua ad concupiſcentiam, at impudicitia eſt uitioſe prouocatiua ad concupiſcentiam.

Prouocatiuum cõcupiſcentiæ ex ſe nõ eſt malum.

De oſtendentibus pectora nuda. Sed dubium eſt an mulieres oſtentantes pectora nuda mortaliter peccẽt, nam nuditas pectoris uidetur ad impudicitiam pertinere, Reſpondetur cum Caiet. & Nauarro, quod illa oſtendentes iuxta conſuetudinem patriæ, ſine mortali intentione, non peccant mortaliter, quamuis hæc conſuetudo ſit indigna, ut obſeruetur, & digna, ut à locis in quibus eſt paulatim extirpetur, nam aliud eſt loqui de nuditate perſonæ, & uerendorum, aliud de nuditate pectoris, nuditas pudendorum, ſecundum ſe

eſt turpis,

eſt turpis,& corruptiua pudicorum animorũ,vnde ueſtire ſe adeo tenui ueſtẽ,ut pudẽda traluceãt eſt mortale,tã uiro,quã fœminæ,quia talis nuditas per ſe ad luxuriã prouocat, ꝙ nõ facit pectorum nuditas,quæ per ſe,ſolam pulchritudinis oſtenſionẽ reſpicit,unde primi parentes genitalia tantũ cooperuiſſe dicuntur,cũ ergo pectoris nuditas ad ornatũ pulchritudinis reducatur,eiuſdẽ rationis eſt, quo ad eſſe prouocatiuũ cũ pulchritudine. Nec obſtat,ꝙ multi ſũmiſtæ cõtrariũ tenẽt,& dicũt omnem fucationẽ eſſe peccatũ mortale, nã ut inquit Caiet. ibi trepidauerũt timore, vbi non erat timor, nec obſtant auctoritates Cipriani,& Auguſtini,& aliorũ ſanctorũ,qui fucationẽ condẽnant tanquam peccatũ mortale,quibus illi innituntur, nã ut inquit S.Th. loquuntur de fucatione,quæ fit propter laſciuiã,uel in cõtẽptũ Dei,& ſic interprætandi,& intelligendi ſunt, nõ.n.omnis fucatio eſt peccatũ,& quãdo eſt peccatũ,nõ ſemper eſt peccatũ mortale,ut diximus. Eſt autẽ peccatũ mortale. Primo ratione finis mortalis. 2. ratione affectuoſæ ſollicitudinis ſi ſit tanta,ut ad ſe ornãdũ relinquat ea,quę ſũt de neceſſitate ſalutis, ut Miſſã diebus feſtis. 3. ratione ſcandali quando ornatus eſt ultra decẽtiam ſtatus,ut uideatur quædã ſui expoſitio,ut ametur, & ſolicitetur,ut ſi uilis,& paupercula nimis ornate uirorũ conſpectibus ſe præſentet,nã ſcandalũ eſt actiuũ,attẽto ornatu,& qualitate perſonæ. Sed dubiũ eſt de illis mulieribus,quæ nolunt nubere,an peccent mortaliter;ad quod reſpondet Nau. diſtinguẽdo,nã illæ,quæ nõ poſſunt nubere ratione uoti, uel alterius impedimenti,ſi ſe ornent,& cõſpiciendas ſe offerũt illis, qui ſciũt impedimentũ, ut ab eis ſine iuſta diſpenſatione in vxores expetantur, mortaliter peccant, ꝙ intelligẽ quando hac intentione ſe ornant,quia conſentiunt peccato mortali alieno, at ſi ſe ſimpliciter ornent,ut pulchræ appareant, eſt ueniale, imo inquit Nau. quod illa,quæ poteſt nubere,ſed nõ vult,& etiam illa,quæ non poteſt nubere propter ſecretum impedimentum, quia ſcilicet ſecreto uouit caſtitatẽ,aut religionis ingreſſum, licite ſui conſpectum facere poteſt,& ſe ornare, & uelle, ut ab aliquibus in uxorem appetatur,ut in alijs rebus ſibi, uel ſuis faueant, aut ob alium bonum finem, Subdit etiam, quod non peccat fœmina quæ ueſte uirili ſe ueſtit, nec uir, qui fœminea iuſta de cauſa, veluti, ne ab inimicis agnoſcatur, aut quia alia ueſte caret, uel ob honeſtam ſui, aut alterius oblectationem, & ſi ob leuitatem id facit abſque alio fine, uel circunſtantia mortali, peccat ueniali ter.

Reſpondetur cõtrarijs auctoritatibus.

Quãdo ſit peccatum mortale.

Dubiũ de nolẽtibus nubere.

Nau. c. 23 nu. 22.

De ueſte uirili.

De Accidia, Gula, & Inuidia. Cap. VI.

Accidia quid.

ACcidia generaliter ſumpta compræhendit omnem triſtitiam de quocumq; bono ſpirituali, ſed modo ſumitur ſpecialiter,& eſt contraria charitati cuius proprius effectus eſt gaudium de Deo, & definiri poteſt cũ Nau. eſſe uitium inclinans ad triſtandum de bono ſpirituali diuino quatenus eſt diuinum in accidioſo, dicitur quatenus eſt diuinum, quia contriſtari de eo quatenus eſt laborioſum, uel aliorum operum impedimentum, non eſt accidia, dicitur in accidioſo, quia contriſtari de eo, quatenus eſt in Deo, pertinet ad odium eius,& quatenus eſt in proximo, pertinet ad inuidiam, ſed triſtitia de eo quatenus eſt in ipſo, eſt accidia, quod peccatum eſt ualde graue,& genere ſuo mortale, cum deliberato, & aduertente animo committitur, & eſt cognatum odio Dei, quod raro uidetur contingere. Et dicitur accidia, quia ut acidum frigeſacit,& tepefacit calorem, ita hoc uitium, amorem, & deſiderium boni diuini ſpiritualis ſui in animo iam aliunde excitatum. Et ut inquit Sylu. in genere duobus modis accidia eſt peccatum mortale. Primo quando inducit ad mortalem omiſſionem, quod tripliciter contingit. Primo, cum quis horret,& omittit ſpiritualia bona ad quæ de præcepto tenetur. 2. cum dolet ſe bene feciſſe, ſiue non omiſiſſe huiuſmodi bona, quæ fecit. 3. cum proponit in futurum omittere. Secundo cum inducit ad mortalem commiſſionem, puta deſperationẽ ſalutis, aut cõtemptum beneficiorum Dei, quia. ſ. nollet eſſe natus, aut uellet eſſe beſtia, aut mori, non curans qualiter modo per patiẽtiam poſſet æternam damnationem euadere. Eſt etiam mortale per accidens in ſuo effectu, quando homo ex hoc inducitur ad corporis grauem infirmitatem, cum tamen poſſet ſe iuuare, ſi conari uellet. Eſt autem ueniale quando homo quidem in operando attediatur, ſed tamen non omittit ea ad quæ tenetur, nec aliquid contra præceptum committit. Habet accidia tanquam uitium capitale ſuas filias, de quibus etiam Confeſſor interrogabit, & ſunt ſex. ſ. Malitia, quæ bona diuina contemnit, & eſt mortale, Rancor ideſt diſplicentia hominum inducentium ad ſpiritualia,& eſt ueniale niſi ſuperueniat odium. Puſillanimitas, quæ conſiſtit in ſubtrahendo ſe à bonis, quæ fieri potuiſſent timore deficiendi, ut à ieiunijs, religione,& huiuſmodi, & eſt ueniale ſi illa bona non ſunt de præcepto. Deſperatio, quæ eſt mortale.

Quando fit mortale. Sylu. V. Accidia.

Eius filiæ ſex.

tale. Negligentia, quæ eſt circa multa, & eſt mortale, uel ueniale iuxta illa de quibus eſt, attentis debitis circunſtantijs. Euagatio mentis in oratione, quæ eſt ueniale, & poteſt etiam eſſe tanta, & adeo culpabilis, maximè in oratione, quæ eſt de præcepto, ut ſit peccatum mortale.

Gula eſt uitium inclinans ad commedendum, uel bibendum inordinatè, & regulariter eſt ueniale, eſt autem mortale cum in ea ponitur ultimus finis, aut per eam aliquod præceptum ad mortale obligans uiolatur, aut cum notabile damnum ſalutis propriæ, aut proximi infertur, aut procuratur, aut debita ob eã non ſoluuntur. Et quinque ſunt ſpecies gulæ. ſ. comedere ante tempus, nimium, nimio ardore, nimia feſtinatione, nimio apparatu, & nimio ſumptu. Quinque etiam ſunt eius filiæ. ſ. hebetudo mentis, immoderata lætitia, multiloquium, ſcurrilitas, & ſpurcitia. Gula, qd & quando fit mortale. Eius ſpecies, & filiæ.

Inuidia eſt uitium inclinans ad inordinate triſtandum de bono alieno, eo quod ſuam excellentiam minuit, nam triſtitia de bono alterius eo quod ſit ſuum, pertinet ad odium, & illa, quæ eſt de bono alieno quatenus eſt damnoſum ſibi, poteſt eſſe bona, & mala, & illa, quæ naſcitur ex eo, quod ille eſt eo indignus, pertinet ad indignationem, & eſt mala, quia bona temporalia indignis ex diuina diſpoſitione proueniunt, at inuidia eſt triſtitia, quæ naſcitur ex eo, quod minuit ſuam excellentiam, quæ eſt peccatum, & genere ſuo mortale, quia eſt contra charitatem inclinantem ad gaudendum de quolibet bono proximi, quatenus eſt ei bonum; & dicitur uitium capitale, quia parit quinque filias. ſ. odium, ſuſurrationem, detractionem, in aduerſis lætitiam, & in proſperis triſtitiam. Circa inuidiam, & filias eius peccat mortaliter. Primo, qui deliberate dolet de bono notabili proximi, ea ratione, quod ſua per illud excellentia diminuitur. 2. qui triſtatur eo quod non habet tot bona temporalia quot alij, ob finem mortalem, at triſtari ob finem uenialem, eſt ueniale, & ob finem bonum poteſt eſſe bonum. 3. qui deliberatè triſtatur eo quod Deus multa bona malis largitur, quod intellige diuinam prouidentiam in hoc incuſando, & qui proponit imitari malos in actibus mortalibus, ut ſicut illi, dines euadat. Inuidia quid. Eius filiæ quinque. Quãdo fit mortale.

De Quinto Præcepto.

De Ira, & vi quinti præcepti, An extra caſus in ſacra ſcriptura contentos poſsit infligi pœna mortis, & cuius ſit illam infligere.

Cap. VII.

Ira. quid, & eius filiæ ſex.

IRa, ut in præſenti ſumitur eſt uitium animæ inclinans ad inordinatum uindictæ appetitum, & eſt peccatum capitale, ex qúo oriuntur ſex filiæ, ſcilicet, Indignatio, tumor, Clamor, Blaſphemia, Contumelia, Opprobrium, & rixa, aliqui addunt alias quatuor. ſ. Maledictionem, Seditionem, Bellum, & Vindictam, ſed maledictio ad contumeliam, ſeditio, & bellum ad rixam reducuntur, uindicta autem eſt proprius actus iræ. Ex quibus facilè cognoſcentur peccata iræ, ad quam etiam pertinent peccata contra quintum præceptum.

De vi quinti præcepti.

2. Cum quartum præceptum Decalogi pertineat ad filios, & parentes, de illo tractabimus inferius ubi agemus de ſtatibus hominum. Sequitur quintum præceptum quo prohibetur homicidium, & non ſolum opere, ſed etiam corde, & uerbo, nec ſolum homicidium, ſed etiam mutilatio, & percuſſio. Hoc præceptum eſt diuinum, & generale, ex quo arguit, & infert Scotus; quod cum nulli inferiori liceat in lege ſuperioris diſpenſare, nulla lex poſitiua præcipiens hominem nocentem occidere, extra illos caſus quos excepit Deus, eſt iuſta, & ita inquit, quod illa ſola crimina poteſt lex humana morte ulciſci, quibus Deus appoſuit pœnam mortis, huiuſmodi ſunt blaſphemia, homicidium, adulterium, & alia multa, de fure inquit non eſſe licitum illum ob ſolum furtum occidere, quia Exod. 21. ubi enumerantur crimina, & ſcelera, quæ erant capite plectenda, non ponitur furtum, nec in lege ueteri, nec in noua, nec in bulla aliqua, quę de Cœlo uenerit excipitur furtum, imo Exod. 22. expræſſè innuitur non licere occidere furem, tum quia alia ei infligitur pœna, tum etiam quia de fure nocturno, & diurno dicitur, quod fur nocturnus impune occiditur, qui autem intrantem de die ad furandum occidit, homicidij eſt reus, & ratio diuerſitatis eſt, quia præſumitur, quod qui de nocte furatur, occideret ſibi reſiſtentem ſi poſſet

Scotus 4. d. 25. q. 3. An pœna mortis poſſit infligi extra caſus in ſcriptura contentos.

ſi poſſet, non autem, qui de die intrat, & de adulterio ſubdit, quod apud Chriſtianos non licet occidere adulteram, quia licet olim id præceptum fuerit. Leuit. 20. tamen Chriſtus illud præceptum reuocauit Io. 8. vbi adulteram impunitam dimiſit. Sed ſalua tanti Doctoris reuerentia, hoc præceptum, Nnn occides non eſt ita generaliter intelligendum, ut nullo modo liceat hominem occidere, niſi in caſibus à Deo exceptis, & expræſsis, nam ut dicemus in multis etiam alijs licet, nec etiam ita reſtringendum eſt cum aliquibus contra Scotum, vt intelligatur ſolum de occiſione innocentis, nam qui priuata auctoritate occideret hominem ſontem, & iniquum, eſſet reus homicidij, imo etiam, qui publica auctoritate prætermiſſo ordine iuris. Vt igitur uerum huius præcepti ſenſum habeamus, notandum eſt, quod hoc præceptum eſt iuris naturalis, ex illo principio elicitum, quod tibi non vis fieri alteri ne feceris, & ratio naturalis eius legitimum ſenſum tradit, ut non liceat occidere, quando vult humanam uitam ſeruari, at quando ratio naturalis hominis occiſionem iubet, aut permittit, illos caſus non compræhendit eodem præcepto, quod tunc maxime contingit quando aliquis homo eſt perniciofus communitati propter aliquod peccatum, nam quælibet ſingularis perſona comparatur ad totam communitatem ſicut pars ad totũ, & ſicut pro ſalute totius corporis humani, laudabiliter, & ſalubriter abſcinditur membrum putridum, uel aliorum corruptiuum, ita etiam laudabiliter, & ſalubriter occiditur ille, qui eſt periculoſus communitati, & illius corruptiuus, ut bonum commune conſeruetur, modicum enim fermentum totam maſſam corrumpit, quando igitur Deus in ueteri lege enumerat multa peccata, & eis pœnam mortis infligit, non excipit illos caſus à præcepto, ſed potius declarat illos non contineri ſub præcepto, & eos, qui talia agunt mereri mortem, quod etiam manifeſtè probatur, quia ſi illa Dei præcepta occidendi malefactores, non erant naturalia, ſed legalia, & præcepti decalogi diſpenſationes, & exceptiones, cum omnia legalia ceſſauerint, non licebit modo maleficos occidere, at conſtat, quod ſemper, etiam ante legem Moyſi, & apud Gentiles, qui non tenebantur ad illam legem, & tempore gratiæ quando iam ceſſauit illa lex, fuit, & eſt licitum, & ſanctum occidere maleficos, ergo illorum occiſio eſt de iure naturali, & reſpublica ciuilis occidit maleficos, non quaſi veteri lege exceptos à præcepto, ſed quia habet

Vnde habeatur ſẽſus huius præcepti.

Caſus illi non ſunt exceptiones, ſed declarationes.

naturalem facultatem illos occidendi, & ita poteſt etiam alijs criminibus non contentis in ueteri lege, infligere pœnam mortis, & illis quoque poteſt etiam pœnam commutare.

Qui poſſint infligere pœnam mortis.

Soli autem Reipublicæ, aut Principi, ſeu publico magiſtratui licitum eſt maleficos occidere, nocentium enim hominum interfectio, eatenus eſt bona, quatenus in bonum publicum refertur, ergo ad illum ſolum pertinet, cui commiſſa eſt cura, & cuſtodia communis boni, ſicut, & amputatio membri, quæ proficua eſt corpori, ad ſolum medicum pertinet, cui cura infirmi demandatur. Ratio autem ob quam nulli priuatim licet alterũ occidere, etiam in uindictam receptæ iniuriæ, eſt nõ ſolum prędicta, ſed etiam quia ſi natura illi, qui paſſus eſt iniuriam, uindictam commiſiſſet, nemo intra terminos iuſtitiæ uindictam ſumeret, nam dolor receptæ iniuriæ, rationem obnubilat, & affectum in rabiem inflammat.

An Princeps poſsit concedere quibuſcunq; priuatis facultatem occidendi malefactores, & an peccent ſic occidentes. De viro occidente vxorem adulteram, & an condemnati, vt ſeipſos occidant, poſsint id facere.

Cap. VIII.

Sed occurrit hoc loco dubium, an Princeps, ſeu Reſpublica poſſit concedere quibuſcumq; priuatis facultatem occidendi malefactores, & hac conceſſione facta, an quilibet ſine peccato illos occidere poſſit, & ubicumque illos inuenerit. Ad quod dicimus primo, non poſſe Principem generalem facultatem concedere ſubditis ſuis, ut abſque alia condemnatione vnuſquiſq; occidat nocentem quem obuium habuerit, niſi id ſtatueret de publico reipublicæ, aut regis inuaſore, de quo non eſſet neceſſarius iuris ordo, eſt enim contra ius naturæ, ut parte non audita, nec diſcuſſa cauſa, feratur ſententia, ſed quicumq; quantumuis pernicioſus, audiendus eſt. Dicimus ſecundo, quod poſt latam ſententiam Princeps poteſt inſtituere quoſcumq, miniſtros iuſtitiæ, & eis concedere facultatem, vt illos occidant, quo caſu, qui recta intentione, ideſt propter bonum cõmune, & iuſtitiæ obſeruationem occidit, etiam ſi ſecundario intendat mercedem occidentibus promiſſam, nõ peccat, quia id facit, ut miniſter iuſtitiæ, & eſt communis ſentẽtia, pro qua facit, cap. pro humani de homic. in 6. hanc facultatẽ non poteſt concedere inferior iudex, ſed Reſpublica, uel Princeps,

Non poſſunt ante ſententiã.

Poſſunt poſt ſententiam.

Occidentes nõ peccant.

ceps, qui etiam non debent illam paſſim concedere, ſed ad extirpandos latrones apertiſsimos reipublicæ hoſtes, qui alia via compræhendi non poſſunt, uel pro alio atroci crimine, unde merito repræhendit Sotus illorum locorum legem, uel ſtatutum, quo conceditur omnibus facultas occidendi quoſcumq; exules à patria condemnatos, tum quia qui illos occidũt, vt plurimum ira, & odio mouentur, inſidias parant, & multiplicant peccata, tum etiam, quia ſępe illi, qui occidũtur moriuntur ſine ſacramentis, ſed aliã addo rationem, quia declarantur banniti, & exules omnes, qui pro cauſa criminali citati non comparent, in contumaciam, & ſæpe multi innocentes citati non comparent, & etiam citati ob leuem cauſam pro qua non merentur mortem, timentes carcerem, & tormenta, & nõ eſt iuſtum iſtos ob ſolam contumaciam, quibuſcumq; occidendos tradere, ſed habenda eſt ratio criminis de quo accuſantur, & ſunt indicia, & non ſolius contumaciæ, & licet forte excuſentur, qui illos, ut miniſtros iuſtitiæ occidunt, putantes iuſta de cauſa omnibus hanc facultatem fuiſſe conceſſam (dixi forte, quia ſcientes illos ſine iuſta cauſa fuiſſe traditos cuicumq; occidendos, peccarent, & eſſent rei homicidij) non tamen excuſantur Principes illam pro quibuſcumque bannitis, & exulibus concedentes, niſi forte ad prædandum iungerentur: hanc facultatem aliquãdo non concedunt omnibus, ſed filijs, fratribus, & conſanguineis, eorum, qui interfecti fuerunt, ut occiſores interficiãt tanquam miniſtri iuſtitiæ. Sed ut inquit S. Anton. uigore huius conceſſionis non licet illos occidere extra terminos iuriſdictionis illius Principis, uel Reipublicæ, unde qui occideret bannitum vnius regni in alio regno, ſeu dominio, ſi caperetur puniretur ibi, ut homicida, quod intellige cum Sylu. niſi dominus illius loci expræſsè, uel tacite conſentiat, quod occidantur banniti alterius Principis. Dicimus tertio, quando lex permittit, ut uir vxorem in flagranti crimine inuentam, & adulterum occidat, non propterea licet illos occidere, & occidens peccat mortaliter, quamuis à lege non puniatur, ut homicida, ſed lex ei parcit propter dolorem, quem tunc ferre difficillimum eſt, nam aliud eſt, quod lex permittat non puniendo, aliud quod concedat, faciẽdo illum miniſtrum, & probatur ex c. Interfectores 33. q. 2. Addit Sotus, quod ſi in aliquo regno eſſet lex, quæ non ſolum permitteret, ſed etiam concederet uiris facultatem occidendi, ſi uoluerint uxores in adulterio inuentas, poſſent uiri illas ſine peccato occidere, tanquam miniſtri iuſtitiæ, cum illud crimen

Moderatio.

Sot. lib. 5. de iuſt. & iur. q. 3. ar. 3.

Nõ licet extra terminos iuriſdictionis.

De uiro occidente uxorem adulterã.

mereatur mortem, quam legem dicit eſſe in Hiſpania.

Condemnatus, ut ſeipſum occidat nō poteſt id facere.

Cum certum ſit nemini licere ſe ipſum occidere, non immorabor in hoc, ſed ſolum loquar de condemnato ad mortem an iuſſus à Iudice, ſeu miniſtro Iuſtitiæ poſſit ſe præcipitem dare, uel uenenum bibere, tāquam cōdemnatus ad illud genus mortis, & uidetur quod poſſit, quia hoc eſt potius mortem pati, quam ſe occidere, & cōfirmatur, quia eadem eſt ratio de membri mutilatione, ſed ſi quis condemnaretur ad abſciſionem brachij, & daretur ei optio, ut uel ipſe ſibi abſcindat duos digitos manus, uel à carnifice integrum abſcindatur brachium, uidetur quod ipſe poſsit ſibi digitos abſcindere, ſicut Ioſephus de ſe ipſo refert, quod data ſibi optione, maluit unam ſibi ipſe manum amputare, quam permittere, ut ambabus truncaretur, ergo uidetur, quod eadem ratione ille poſſit uenenum bibere, uel ſe præcipitare, ad euitandum aliud atrocius genus mortis, & cōfirmatur etiam, quia Samſon ſeipſum interfecit, Iud. 16. & de aliquibus Sanctis legitur, quod cum ducerentur ad martirium, ipſimet ſe in ignem iniecerunt, ſicut de Sancta Apollonia. Ad quæ breuiter reſpondetur cum Soto eiuſmodi leges, & ſententias quibus condemnantur rei ſeipſos occidere, uel mutilare, eſſe iniquas, & illas Chriſtiana religio non permittit, & nullo modo eſſet obediendum, nec ipſis met martiribus liceret obedire, quia hoc ipſa met natura abhorret, quæ cuilibet rei naturalem dedit inclinationem, ut ſe conſeruet in eſſe, & quantum poteſt reſiſtat corrumpentibus, poteſt quidem reus, & martir linguam extrahere, brachium extendere, collum prebere, & ſchalam patibuli aſcendere, ut à carnifice mutiletur, uel occidatur, quia hoc non eſt agere, ſed pati, & ad mortem, ſeu mutilationem ſe adaptare, at illud eſt ſe ipſum occidere, & mutilare, quod non licet: nec obſtat factum Ioſephi, quia male fecit, etiam ſi fecerit ad euitandum maius damnum, quia illud medium non erat per ſe neceſſarium ad illud, ſicut eſt in putrefactione digiti ne tota manus putrefiat, quo caſu ſi non haberetur copia chiruſici, infirmus in arte peritus poſſet illum ſibi abſcindere, ſed illud medium eſt ex malignitate præcipientis, & malum, & ſicut non ſunt facienda mala, ut inde eueniant bona, ita etiam, nec ut euitentur maiora damna, & mala. Nec etiam obſtat, quod obijcitur de Samsone, & alijs Sanctis, quia ut reſpondet S. Thom. ex Auguſt. Samſon non aliter excuſatur, quod ſe ipsum cum hoſtibus ruina domus oppreſſit, niſi quod latenter Spiritus Sanctus hoc iuſſerat,

Ioſep. lib. 2. de bello iud. ca. 32.

Sot. lib. 5. de iuſt. & iure q. 6. ar. 4.

S.Th. 2. 2. q. 64. ar. 5.

qui

qui per illum miracula faciebat, & eandem rationem aſſignant de quibuſdam ſanctis fæminis, quæ tempore perſecutionis ſe ipſas occiderunt quarum memoria in Eccleſia celebratur. Et ſuſpendendos, qui non expectato carnificis impulſu ſe ipſos ex ſcala demittunt, poſſemus tanquam iuris inſcios per inuincibilem ignorantiam excuſare, nam cum ſint ita propinqui morti eis uidetur potius illam pati, quam ſibi inferre.

An liceat aggreſſorem occidere pro defenſione uitæ, facultatum, & honoris.
Cap. IX.

Sed dubium eſt an ob defenſionem uitæ propriæ, uel propriarum facultatũ, aut proprij honoris, aut etiã alterius, cuiq; liceat aggreſſorem occidere; & cum certum ſit licere cum moderamine inculpatæ tutelæ, antequam ad caſus particulares deueniamus, ſoluemus argumẽtum commune in cõtrarium ex ordine charitatis, quod eſt tale, neceſſarius ordo charitatis requirit, ut vitam ſpiritualem proximi præferamus propriæ corporali, & uitam corporalem proximi proprijs diuitijs, & multo magis ſpiritualem, ſed qui alterum conatur occidere, uel furatur, uel alterius honorem lædit, peccat mortaliter, & ſi in illo ſtatu occidatur, damnabitur, ergo iuxta ordinem charitatis, qui iniuriam patitur, debet potius ſuſtinere mortem, rerum ſuarum amiſsionem, & proprij honoris iacturam, quam ſe, uel ſua defendendo alterum in ſtatu peccati mortalis occidere. Ad quod reſpondetur, quod ille ordo charitatis obligat in caſu neceſſitatis extra quẽ poſſumus habere maiorem curam uitæ, honoris, & propriarum facultatum, & illa præferre uitæ etiam ſpirituali alterius, tunc autem eſt caſus neceſsitatis, quando ad ſpiritualem proximi ſalutem, ſimpliciter eſt neceſſaria uita mea temporalis, & ad corporalem proximi ſalutem, ſimpliciter eſt neceſſaria elargitio bonorum meorum, at ſi iſta neceſſitas non ſit ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione malitiæ alterius, in quam ipſe ſe iniecit, & à qua poteſt recedere, non eſt caſus neceſſitatis, Exempli gratia audio hæreticum ſubuertentem populum, & niſi ei obſiſtam, & catholicam ueritatem doceam, populus ei fidem adhibebit, teneor cum periculo uitæ meæ illius falſitatem detegere, & ueritatem docere. pauper fame perit,

Argumentũ, quod nõ liceat.

Reſpõſio ad argumentum.

& pa-

& pater cum non poſſit dotare filiam vult illam proſtituere, & niſi ſuccurram, hæc certo euenient, lege, & ordine charitatis teneor illis ſuccurrere, At aliquis dicit, quod niſi illi dedero centum aureos, ſe præcipitem dabit, non ob id teneor ei dare, nam poteſt non ſe præcipitare, & ſi ſe præcipitat ipſius eſt culpa, ſimiliter vult aliquis me occidere, aut furari res meas, & niſi illũ occidam, non poſſum uitam meam, aut res meas tueri, non teneor eius corporalem, & ſpiritualem uitã, uitæ meæ, aut facultatibus meis præferre ſed poſſum illum occidere, quia ipſe ſcit ſe male agere, & poteſt ceſſare, & ſua culpa non ceſſat, aliàs præberetur occaſio nefandis hominibus iuſtos inuadendi, ſi eſſent certi ab illis ſe non eſſe occidendos, cum igitur nobis commiſſa ſit cura uitæ propriæ, & bonorum noſtrorum, non autem uitæ alienæ, niſi in caſu neceſsitatis, extra caſum neceſſitatis majorem prouidentiam habere debemus eorum quorum cura nobis ſimpliciter, & abſolute imminet, quam eorum quorum cura nobis extra dictum caſum non incumbit.

Tunc ſolum licet aggreſſorem occidere quãdo id eſt medium neceſſariũ S.Th. 2.2. q.64.ar.7.

His præmiſſis ad propoſitum dubium reſpondetur, quod nemini licet aggreſſorem occidere niſi id fuerit neceſſarium medium ad ſe, & ſua ſaluandum; at quando quis nõ poteſt alia via ſe, & ſua defendere, licitum eſt ũim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, illum occidere, & quod vim ui cum dicto moderamine repellere liceat, eſt de iure naturali, & in multis legibus expræſſum, & hoc idem docet S.Tho. qui ſubdit nemini priuata auctoritate licere ex intentione occidere hominẽ, ut propriam uitam ſeruet, nam occidere alium ex intentione, pertinet ad publicam poteſtatem, ad conſeruandum bonum cõmune; & dubium eſt, quid per hoc intelligat S.Tho. Caiet. ibidẽ ſic explicat, quod cuiq; liceat ad ſui defenſionem occidere hoſtem, ita tamen, quod occiſio illa non eligatur tanquam mediũ, ſicut medicus ex intentione porrigit pharmacum ad cõſequendam ſanitatem, ſed ſit defenſionis effectus, quemadmodũ debilitas infirmi non eſt in intentione medici, ſed eſt effectus curationis, qui præter intentionem ſequitur; ſed hoc eſt falſum, ut bene probant Sotus, & Nau. nam quando aliquis non poteſt aliter euadere manus inuadentis, poteſt ut ſe ſaluet, illum ex intentione occidere, & illius mortem eligere, ut medium neceſſarium ad ſaluandam propriam uitam, & ita poteſt enſem contra illum dirigere, & ex intentione illum transfigere, nam ut docet Ariſt. 6. Eth. ad efficacem uolũtatem finis, perinde ſequitur electio medij, quod iudicatur neceſſarium, atq; in ſpeculabilibus con-

An talis occiſio poſsit eſſe intenta.

Sot. lib. 5. de iuſt. & iure, q. 1. ar. 8. Nau. c. 15. nu. 2.

concluſio ſequitur ex præmiſsis, imo ut inquit Sotus, qui uidet hoſtem in ſe recta euaginato gladio tendere, & timet conſertis manibus defendere ſe nō poſſe, poteſt ſagitta eminus iacta, uel globulo illum ſolo ſternere, & qui ab inimico domi occluſus tenetur, & certo ſcit, quod inimicus illum decreuit occidere, ſed expectat horam, uel ſocios, uel aliam inſtantē opportunitatem, poteſt præuenire, & illū occidere, ut ſic ab eius manibus liberetur; & vxor, quæ certo nouit ſe occidendam à marito, & non poteſt aufugere claue ianua clauſa, poteſt præuenire, & pugione quem ſuppoſuit ceruicali ad occidendam eam dormientem, illum occidere, ut etiam inquit Nau. nam licet in his caſibus uideatur aggreſſio, tamen in rei ueritate eſt defenſio, & occiſio intenditur, & eligitur, ut medium neceſſarium ad conſeruationem uitæ propriæ, hæc licet uera ſint, non tamen ſunt in publico prædicanda, Quando igitur S. Tho. dicit, quod nemini priuata auctoritate licet ex intentione hominem occidere, ut propriam vitam ſeruet, intelligendus eſt, vt inquit Sotus, quod non licet alterum aggredi ipſum præueniendo, uel ad vindicandam præteritam iniuriam, uel ad cauēdam futuram, quia iſte non eſt effectus conſeruationis uitæ, ſeu medium neceſſarium ſine quo aliter non poteſt ſaluari uita, & hoc eſt uerum, nam quando dicimus licere, intelligitur de illo, qui tunc inuaditur, & non poteſt alia uia ſe ſaluare, extra quem caſum recurrendum eſt ad publicam poteſtatem. Quando dicitur, quod vim ui repellere licet, non intelligas contra miniſtros iuſtitiæ, iuſtè procedentes, & intellige etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, & licet ut tutela ſit inculpata, habenda ſit ratio an alia uia quis poſsit ſe ſaluare fugiendo, pacem petendo, leuiter hoſtem cędendo, quando hæc commode perpendi poſſunt, excuſandus tamen eſt, qui in tanto periculo conſtituitur, ſi non ita ſingula conſiderat, cum tunc metus non ſinat iudicium liberum, ſed ſatis eſt, quod eius intentio ſit ſe defendere, & non offendere, niſi quatenus eſt neceſſarium ad ſui defenſionem. Sotus diſtinguit tres inuadentium, & inuaſorum gradus, primus eſt quo inuaſus tenetur potius (ut ipſe credit) mortem pati, quam inuaſorem interficere, etiam ſi aggreſsio eſſet iniurioſa, ut ſi aggreſſor eſſet Rex, uel Dux, uel alia perſona, quæ ualde eſſet Reipublicæ neceſſaria, inuaſus autem eſſet perſona uilis, cuius vita ad bonum commune nihil referret, ſecundus gradus oppoſitus eſt, quo inuaſus tenetur ſub peccato mortali defendere ſe, ut ſi uiceuerſa Princeps, aut quæuis alia perſona, per

De moderamine inculpatæ tutelæ.

An liceat omnibus ſe defendendo occidere.

quam

quam commoda,ab impuro aliquo,& nefario impeteretur.tertius gradus eſt medius quo quilibet inuaſus habet ius defendendi ſe, & nihilominus ei liberum eſt propter charitatem eiuſmodi iuri renunciare, ne inuadens moriatur in ſtatu damnationis. Sed communis ſententia ſine diſtinctione omnes in hoc tertio gradu conſtituit, cum iſtud ius ſit naturale.

Quomodo liceat pro defenſione temporalium.

Et non ſolum licet aggreſſorem occidere pro defenſione uitæ ſuæ, ſed etiam furē diurnum pro defenſione ſuorum bonorum temporalium, quando aliter defendi non poſſunt, quod intellige ſolum pro tempore flagrantis delicti, quando fur conatur furari,uel cum furto aufugit, tunc enim ſolum licet uim ui repellere, at poſtquam aliquo iam ſe recepit, non licet eum ui aggredi,ſed iudicis officium eſt implorandum, poteſt etiam detineri quouſq; à miniſtris iuſtitiæ capiatur, non tamen ob id liceret pro defenſione rei minimæ, alterum occidere, ut limitat Sotus.

An liceat pro defenſione honoris.

Supereſt,ut de honore loquamur,an ob eius defenſionem liceat aggreſſorem occidere,exempligratia uir Illuſtris, aut nobilis,uel miles,uidet hoſtem cõtra ſe gladio appropinquare, qui poſſet fugiendo ſe ſaluare, dubitatur an teneatur, cum ſuo dedecore fugere,ne ſuam, uel hoſtis uitam periculo mortis obijciat,nam uidetur,quod teneatur fugere, quia moderamen inculpatæ tutelæ requirit hoſtis necem, neceſſariam eſſe ad ſaluandam uitam,quæ non eſt neceſſaria,cum quis poteſt aufugere;ſed reſpondetur,quod non tenetur cum ſuo dedecore fugere, nam moderamen hoc adhibendum eſt citra honoris detrimentum,quod ſit alicuius momenti,unde Sacerdotes, & monachi in tali caſu, omnino tenerentur fugere, quia eorum honor non eſt conflictum illum expectare,& extra caſum extremæ neceſſitatis non eis conuenit armorum uſus,& idem eſt de plebeio infimæ ſortis, qui nullam prorſus honoris iacturam fugiendo faceret, at qui non poteſt fugere niſi cum dedecore, poteſt expectare,& armis ſe defendere,ſi non poteſt ſine illis,& ut inquit Nauarrus ſi non poteſt uitare vulnus,aut alapam,quam ſibi alter molitur impingere, niſi illum occidendo, poteſt occidere. Ille autem, qui iam eſt vulneratus, uel quem aggreſſor iam reliquit, & fugit, non poteſt abſque peccato aggreſſorem occidere,quia hoc eſt uindictam ſumere, & limites defenſionis transgredi,quod Nauarrus limitat, ut poſsit, quando affectus iniuria vulneris,aut alapæ, uel alia, magnam ſui honoris iacturam faceret,ſi fugientem non perſequeretur,nam talis (inquit) poſſet

Qui tenētur fugere & qui nõ.

An poſsit perſequi qui iniuria affecit

Nau.c.15. nu.3. limitat.

poſſet eum perſequi,& percutere tantum quantum ad ſui honoris defenſionem opus eſſet. Et confirmatur, quia expoliatus poteſt furem cum bonis fugientem perſequi,& ea ab illo ui eripere, honor autem pluris valet, quam bona fortunæ. Sed ſi hæc limitatio eſſet uera, ſequeretur, quod uerbis iniuria affectus, poſſet armis iniuriantem percutere, & laceſſitus, & prouocatus in duellum deſcendere, & data etiam alio tempore oportunitate, illum vulneribus afficere, quia ſine honoris iactura aliud facere nequit; & tamen conſtat hæc nullo modo licere, quia non pertinent ad defenſionem, ſed ad uindictam, tunc enim nulla infertur uis cui reſiſtere liceat, ſed illata fuit, & reſpectu iniuriæ præteritæ, non eſt defenſio, ſed uindicta; neque eſt eadem ratio bonorum temporalium, & honoris, quoad hoc, nam licet honor pluris faciendus ſit, quam diuitiæ, non tamen poteſt auferri, & aſportari, ſicut furto tolluntur, & aſportantur diuitiæ, & bona temporalia, ob quam cauſam, qui uidet bona ſua aſportari, poteſt latronem fugientem ſequi, & niſi uelit reſtituere, ui illa ab eo eripere, at qui aliquem iniuria affecit, non portat ſecum illius honorem, ut pro illius recuperatione inſequi poſſit, ſed ſi iniuria affectus fugientem ſequitur, & vulneratur, hoc ad uindictam pertinet, quæ ſoli publicæ poteſtati licet. Et apud Sapientes non eſt dedecus non ſumere uindictam, non acceptare duellum, non ſequi fugientem, ſicut eſt non ſe defendere, quando fit ex abiectione animi; nam ubi non defenditur uirtus, nullus eſt honor, & ubi uſurpatur officium publicæ poteſtatis, ibi eſt dedecus, iſtæ igitur nobilium, equitum, & militum leges, ſunt dæmonum leges, ſatis igitur conſulitur eorum honori, dum ſe defendere poſſunt, & uiolentiæ, uim intra terminos iuſtæ defenſionis opponere, ſequi autem fugientem, & timentem, non eſt uirtus, ſed dedecus, & acceptare duellum non eſt uim ui repellere, ſed ad iniuſtitiam cooperari; ſe autem defendere eſt uirtutis fortitudinis, quæ tamen ſine dedecore, & cum ſumma laude cedit Chriſtianæ perfectioni, quæ requirit, ut Chriſtum imitemur, qui cum malediceretur non maledicebat, & cum pateretur, non comminabatur.

Contra Nau. limitationem.

Solutio argumenti Nau.

De peccatis contra quintum præceptum, & de pœnis, & cenſuris contra abortum, & ſterilitatem procurantes. Cap. X.

De peccatis ratione occiſionis alterius.

DE homicidio quatenus ex eo contrahitur irregularitas diximus in prima parte. Facile nunc ex dictis colligemus peccata, quæ contra hoc præceptum committuntur, & primo, ratione occiſionis alterius multipliciter peccatur. Primo peccat mortaliter, qui iniuſte occidit, mutilat, aut notabiliter alium ferit, aut aliquid horum optat, vult, procurat, aut ea feciſſe delectatur. 2. qui ut ſe, & ſua, uel caſtitatem defendat, excedit modum, & occidit, cum ſaluo ſuo honore fugiendo, clamando, uel ſolum percutiendo poſſet ſe, & ſua ſaluare. 3. qui iuſte damnatus ad mortem, iuſtitiæ miniſtrum occidit, aut percutit. 4. qui iniuſte coniecit, aut fuit in cauſa, quod quis conijceretur in carcerem, aut iniuſte tulit ſententiam mortis, aut alterius nocumenti corporalis contra aliquem. 5 qui ſuo teſtimonio poteſt aliquem ab iniuſta morte, pœna, damno, uel infamia liberare, & nō vult teſtificari id, quod nouit, etiam ſi non iubeatur id facere, neque ſaltem facit, quod in ſe eſt, denuncians ueritatem ei, qui poteſt prodeſſe, dummodo extra Confeſſionem id ſciat, At qui contra aliquem falſum teſtimonium protulit, ob quod ille eſt in periculo uitæ, debet ſuum teſtimonium reuocare, & omnem operam adhibere, ut illum eripiat, etiam ſi ob id eum oporteat perdere uitam. Ille autem, qui alium occidit, ob quod alius cum periculo uitæ ſuæ tenetur in carcere, non tenetur ſe ipſum prodere, & ſe periculo propriam uitam amittendi exponere, ut ex Soto inquit Nauar, quamuis Medina in Codice de Pœnitentia contrarium dicat, fundans ſe magis in charitate, quam in iuſtitia. 6. qui cum eſſet aliqua iniuria affectus, & ſciret cognatos ſuos, uel amicos vindictam ſumere uelle, id eis expræſſe non uetuit. 7. qui proficiſcitur ad bellum, quod ſcit eſſe iniuſtum, ſaltem ex parte illius cui vult opem ferre. 8. qui caſu præter intentionem aliquem occidit, aut percutit, ſed fuit in culpa, non aduertendo, uel non adhibendo eam diligētiam, quam homines mediocriter prudentes in ſimilibus actibus adhibere ſolent, ne mors aliqua, uel perſonale damnum ſequatur, etiam ſi det operam rei licitæ, ut reficiens tectum, ſi non poſuit ſignum, aut non clamauit priuſquam aliquid deijceret, & correctionis gratia puerum

De illo q falsū teſtimoniū dixit, & illo qui ſcit aliū suſpendēdū pro homicidio, quod ipſe fecit. Nau. c. 15. nu. 7.

ver-

verberans, ſi non abſtulit gladium à cingulo, at ſi omnem adhibuit diligentiam, & non fuit in culpa, homicidium cauſale ſequens non imputatur illi ad peccatum. 9 qui aliquid illicite agit, quod eſt cauſa, ut alium propter ſui neceſſariam defenſionem occideret, non ſolum peccat id agẽdo, ſed etiam eſt homicida, ſi opus illud illicitum eſt quædam uia ad homicidium perpetrandum, ut ſi intendens tantum percutere hominem, interimit, & ſi ingrediens ad alienam mulierem, eius maritum, qui illum occidere uolebat, ſe defendendo interficit, eſt homicida quia ille ingreſſus iure poteſt dici uia ad tale homicidium, & præuideri debuit. 10. mater, uel nutrix, quæ tenellum infantem in ſuo lecto ita collocat, ut periculum immineat inter dormiendum illum ſuffocandi, ſiue ſuffocet, ſiue non, at ſi tale periculum non eſt uerisimile, puta, quia cubile eſt amplum, & puerũ longe à ſe poſuit, & immobilis dormit, non peccat ſaltem mortaliter, etiam ſi caſu eum ſuffocet, ut ex Pan. & Caiet. inquit Nauar. 11. qui mulierem, quam ſcit grauidam eſſe, ita grauiter afficit, ut in probabile periculum aborſus illam conijciat, etiam ſi ſit eius maritus, & etiam ſi illa poſtea non abortiatur, at ſi illam in tale periculũ nõ coniecit, etiam ſi poſtea abortiatur, non ob id peccat mortaliter. 12. mulier grauida, quę aliquid ſumit, uel facit, ut abortiatur, etiam ſi non ſequatur effectus, imo etiam ſi ſine tali intentione, aliquid facit quo tali periculo probabiliter ſe exponit, at ſi iocus eſt leuis, & onus non eſt graue, & ſunt ſine periculo, non peccat mortaliter, etiam ſi poſtea conſequatur aborſus.

De tenentibus infantulos in lecto.

Cum hæc imprimerentur publicata fuit Bulla Sanctiſsimi D. N. Sixti V. contra abortum procurantes, cõſulentes, & quomodolibet adiuuantes, & conſentientes etiam ſi fætus non ſit animatus, ad quos extendit omnes pęnas diuinas, & humanas, quæ ſunt contra homicidas, & clericos priuat beneficio clericali, omnibus officijs, dignitatibus, & beneficijs, & illa uacare declarat, ſibi reſeruat, & ad illa eos inhabiles reddit, etiã ſi delictum ſit occultum, illos etiam ab ordinibus ſuſpendit, & irregulares efficit. & ſi conuicti fuerint, iubet eos degradari, & tradi curiæ ſeculari, ut pœnis homicidis impoſitis puniantur. Eaſdẽ pœnas extendit contra ſterilitatem procurantes, & quomodolibet adiuuantes, & conſulentes, & conſentientes. Omnes etiã prædictos excommunicatos declarat, & abſolutionem extra mortis articulum ſibi reſeruat, & non vult eos poſſe abſolui vigore cuiuscumque Indulgentiæ, vel priuilegij conceſsi, aut con

Pœnæ, & cẽſuræ cõtra abortum, & ſterilitatem procurantes.

cedendi

cedendi, nec etiam in ipſomet anno Iubilei. & declarat Epiſcopos non poſſe etiam uigore facultatis à Sacro Concilio Tridentino eis conceſſæ, clericos ſuper huiuſmodi irregularitate diſpenſare, neque ab hac excommunicatione abſoluere.

De peccatis ratione occiſionis ſui. Secundo ratione occiſionis ſui ipſius multipliciter quis peccat mortaliter. Primo, qui deliberato animo ſibi mortem, aut membri mutilationem præ ira, impatientia, dedecore, paupertate, aut quouis alio infortunio exoptat. 2. qui propter aliquod infortunium deliberate cupit ſe nunquam natum fuiſſe. 3. qui ſeipſum offert, uel habet animum offerendi ſe ad martirium, principalius ob uitæ ſuæ tædium, quam ob amorem ſanctæ fidei. 4. qui vult uitam abbreuiare, uel abbreuiat per abſtinentias, quas ſcit, uel aduertit eſſe indiſcretas, etiam ſi abſq; intentione eam abbreuiãdi illas faciat, ſed aduertit, quod eam abbreuiant etiam ſi id faciat, ut melius Deo pro ſuis peccatis ſatisfaciat, ut ex S. Hier. S. Tho. & Caiet. probat Nauarrus; at qui illas faceret probabiliter exiſtimans non eſſe indiſcretas non peccaret mortaliter, imo nec uenialiter. 5. qui ægrotans, aut ſanus comedit, aut bibit aliquid, aut dedit alteri comedendum vel bibendum, ſciens, vel ſcire debens ſibi uel alteri graue aliquod nocumentum ſalutis euenturum, & maxime ſi illa medicus prohibuit, at ſi damnum ſit leue, erit ueniale. 6 qui ne habeatur timidus, puſillanimis, aut ignauus, uel per nimiam audaciam deliberatè ſe exponit periculo amittendi uitam, uel aliquod membrum, loco, tempore, uel modo indebito. 7. qui aliquo utitur ioco cum probabili uitæ ſuæ periculo, ut funambulus ſuper funes in altiſsimis locis gradiens, & ſeipſum uolutans; quod Nauarrus limitat, ut hoc non intelligatur quando ille funambulus prudentis arbitrio, eis uiribus, & uelocitate pollet, & locus ſic eſt appoſitus, ut ſine ueriſimili periculo talem iocum exercere poſſit: ſicut, & de torneamentis, haſtiludijs, ludo troyano ſiue cannarum, uel uirgarum, quibus equites tecti clipeis ludere ſolent, ex quibus cædes, uel grauia vulnera reportantur, quæ tamen ſi exercentur eo adhibito moderamine, quo cædes, uel alia pericula caueantur, non ſunt illicita, ſed potius permittuntur, per extrauag. 1. de Tornea. De ludo agitationis taurorum, & aliarum ferarum beſtiarũ, extat prohibitio Pij V. ſub pœnis in eius bulla. De ſalute. contentis. 8. qui duellum, uel ſingulare certamen illicitum ingreditur, dicitur illicitum; nam ingredi iuſtum duellum non eſt peccatum, quale eſt illud Regis, uel Ducis, qui uidens ſe fouere iuſtitiam, & credit ſe in

Nau, c. 15. nu. 12.

De iocis, & ludis cũ periculo uitæ.

De duello quãdo ſit licitum.

vniuerſali prælio ab aduerſario maioris potentię ſuperandum, eligit duellum,& ſingulare certamen, & illud eius cui per ſententiam iniuſtam uita,uel membrum eripiendum eſt, niſi cum accuſatore in duellum deſcendat: illa autem ſingularia certamina, quæ fiunt tempore belli, unius contra unum, duorum contra duos, decem contra decem, ad quæ milites prouocantur ab hoſtibus, ſi offeruntur,& acceptantur cauſa oſtentandarum uirium,& artis pugnandi,& gloriæ uanæ quærendę, ſunt illicita,at ſi acceptantur principaliter ad commodum belli, & uictoriæ,& ad ſaluādum honorem,& reputationem fortitudinis, quæ plurimum ad uictoriam conducunt, & ex non acceptatione,exercitus prouocantium animoſior fieret, licitè acceptātur ut inquit Nau. Et non ſolum prohibitum eſt duellum iniuſtū, Nau.ibid. nu. 24. & ferarum beſtiarum ludus,ſed etiam illis intereſſe, illaq; ſpectāre,de quibus etiam uide ſuperius excommunicationem annexam. Circa prædicta,idem intelligendum eſt de imperante, conſulente,& quomodolibet participante,& conſentiente. De reſtitutione ad quam tenetur occidens,aut mutilans, dicemus inferius in materia de reſtitutione.

De Octauo Præcepto.

Quid,& quotuplex ſit mendacium,& quale peccatum ſit. Cap. X I.

Sextum præceptum reſpicit ſtatū coniugatorum,ideo tunc de illo tractabimus. Sequitur ſeptimum quo prohibetur furtū,ſed quia longiorē requirit tractatū, ultimo loco reſeruabimus,& nūc agemus de Octauo præcepto quo principaliter prohibetur falsū teſtimoniū iudiciale, & ueri celatio, ſecūdario quælibet læsio honoris,& famæ,ſed de falso teſtimonio,& de læſione famæ,quæ fit à iudice loquemur inferius, ubi agemus de ſtatu Iudicū,& teſtiū, nā ut de ſtatibus diuerſorum hominū ſimul,& ſine earundē rerū repetitione agamus, ordinē etiam pręceptorum mutamus. hoc loco tractabimus ſolū de lęſione honoris,& famæ,& quia ut plurimū fit mentiendo,prohibetur ſub forma mēdacij, & ad prohibitionem huius præcepti, reductiue etiam pertinet quodlibet mendacium, ob quam cauſam primo agemus de mendacio in communi. Eſt autem mendaciū ſignificatio falſi,uel putati falſi,pro uero,illud autem, ꝙ

De prohibitis octauo præcepto.

Quaremutetur ordo.

Mendaciū quid.

additur, quod eſt cum animo fallendi, non eſt neceſſarium ad eſſentiam mendacij, ſed pertinet ad maiorē eius grauitatē, & diuiditur primo, in formale tantū, quo ſignificatur uerum putatū falſum; materiale tantum, quo ſignificatur falſum putatum uerum; & mixtum quo ſignificatur falſum putatum falsum; diuiditur ſecundo, in iocoſum, quo tantum delectatio quæritur; Officioſū, quod nemini nocet, & alicui prodeſt, & pernicioſum, quod alicui in rebus ſpiritualibus, uel corporalibus, aut temporalibus nocet, & hoc eſt peccatum mortale, duo uero priora ſunt tantum uenialia, niſi per accidens aliquando efficiantur

Quando ſit mortale.

mortalia, puta ratione iuramenti, quo confirmantur, aut ratione magni ſcandali, aut propter conſcientiam erroneam, quæ dictet illa eſſe mortalia, aut quia dicuntur animo non abſtinendi ab eis, etiam ſi eſſent mortalia. De mendacio dicto in iudicio aliqui putant, quod ſemper ſit mortale, etiam ſi ſit de re leui ad iudicium pertinente, ſed dicimus cum Soto, & Nauarro,

Sot. de rat. teg. ſecr. mēb. 2.q.2. Nau.c.18. nu. 3.

quod de re leui ad iudicium pertinente, non eſt mortale, niſi ſit notabiliter damnoſum, uel cum iuramento, quod etiam diximus de mendacio in confeſſione dicto de re ueniali. Mendacium in materia fidei, uel morum, miraculorum, & uitæ Sanctorum, eſt pernicioſum, & peccatum mortale, at ſi mendacium non ſit contra ueritatem doctrinæ fidei, uel morum,

Caiet. 2.2 q. 110.ar.4

ſed contra accidentales circunſtantias, ut citando unum capitulum pro alio, uel Mattheum pro Ioanne, Auguſtinum pro Hieronimo, non eſt peccatum mortale, etiam ſi ſcienter id fiat, puta quia tunc non occurrit, & turpe putat concionator ſine citatione per tranſire. Si autem Prædicator mentiatur prędicando falſum miraculum, uel fingendo uitam alicuius Sancti aliter quam ſit, peccat mortaliter, quia quantum in ſe eſt ueritatem miraculorum Chriſti, & Sanctorum euacuat, ut in-

Nau.c.18. nu.6.

quit Caiet. Peccat etiam mortaliter, qui promiſſionem obligantem ad mortale non adimplet, eo modo quo debet, hanc autem Nau. ſic definit, ut ſit omnis promiſsio uera deliberata, uoluntaria, ideſt non extorta metu, aut dolo, etiam ſi ſit nuda, rei licitæ, poſſibilis, & notabilis (nam exiguitas rei excuſat à mortali ſicut, & in furto) & quam mutatio ſtatus rerum, non eneruauit. Cum autem mendacium conſiſtat etiam in factis, peccat mortaliter; qui rem aliquam falſam pro uera in notabile damnum alterius ſimulat, ſeu fingit, vt qui vult apparere bonus, aut facit quo appareat talis, qui tamen non vult eſſe talis, ſi hoc facit cum notabili damno alterius peccat mor-

taliter, quia eſt mendacium pernicioſum, puta ut ſeducat, decipiat, furetur, at ſi ſolum facit, ut appareat bonus, ſine notabili damno alterius, peccat uenialiter, & ſi facit opera bona quibus creditur bonus ſine intentione oſtendendi ſe bonum, non peccat etiam uenialiter.

Quid ſit Detractio, & quotuplex, quale peccatum ſit, & quam multipliciter detractione peccetur, De ſecreto, & de ſecreti detectione.

Cap. XII.

DEtractio proprie eſt denigratio fame alterius, per occulta uerba in eius abſentia, & eo ignorante, & differt à contumelia, suſurratione, deriſione, & maledictione, quæ omnia uitia in materia conueniunt, ſcilicet in denigratione honoris, & famæ, & differunt, ſecundum diuerſa, quæ quis intendit contra alium loquens, ſed cum non intendamus ſingula perſequi, omnia ſub detractionis nomine comprehendemus, & generalius cum Nauarro ſic definiri poteſt, ut ſit ſignificatio alicuius mali cuiuſpiam hominis non canonizati inordinata, directa uel indirecta, qua læditur, uel periclitatur eius fama. Cum quis poſſit etiam infamare ſeipſum, dictum eſt cuiuſpiam hominis, & non alterius, & additum eſt non canonizati, quia detrahere famæ, & gloriæ Dei, & Sanctorum eſt blaſphemia: additum etiam eſt, uel indirecta, quia aliquando directe ſignificatur bonum; ſed tacitè, uel indirecte denotatur malum, ut ſi quis de Monacho dicat, quod eſt robuſtus, rubicundus, pinguis, artis uenandi, & equitandi ualde peritus, Nomine etiam famæ intelligimus etiam honorem, & gloriam, licet diſtinguantur, & eſt duplex, una qua quis putatur bonus moraliter; altera qua putatur habilis in aliquem bonum vſum. (Detractio quid. — Nau. c. 18. nu. 17.)

Detractionis quatuor ſunt ſpecies, una qua malum falſum imponitur, altera qua malum uerum ſecretum publicatur. Tertia, qua bonum alterius negatur. Quarta, qua alterius bonum reticetur. Diuiditur ſecundo detractio in formalem tantum, qua ſignificatur bonũ putatũ malum, in materialẽ tantum qua ſignificatur malum putatum bonũ, & in formalem, & materialem ſimul, qua ſignificatur malum putatum malum, Quælibet detractio ſuo genere eſt peccatum mortale, nam ſi furtum quo tollitur pecunia, eſt genere ſuo peccatũ mortale, multo magis erit detractio, cum fama ſit longe maius bonũ, quã pecunia. (Detractionis ſpecies. — Eſt triplex.)

Qualepeccatum ſit. Eſt autem mortale quoties fit animo famam proximi notabiliter lædendi, etiam ſi malum, quod dicitur ſit leue, aut abſque tali intentione, eam notabiliter lædit, aut dat cauſam eiuſmodi læſionis, aduertens, aut aduertere debens probabiliter ex ſuo dicto, aut facto, tale damnum inferri. At quoties fit animo lædendi parum, aut ſine malo animo parum nocet, aut notabiliter quidem nocet, ſed ignoranter, uel ſciens, sed inaduertenter, cum non teneretur aduertere, eſt tantum ueniale, ut inquit Nau. Notabile autem damnum eſt illud, quod eſt cauſa, ut infamato aliquod bonũ notabile animæ corporis honoris, uel pecuniarũ, auferatur, aut putetur tali bono indignus, quod autem ſit iſtud bonum, conſideratis perſonæ, loci, temporis, & alijs circunſtantijs prudentis, & boni arbitrio relinquitur.

Notabile damnum quod ſit.

De peccaris detractionis. Sed, ut magis in particulari deſcendamus ad peccata detractionis, cum detractio magna ex parte dependeat ex temerario iudicio. Primo, peccat mortaliter, qui per leuia, & minus idonea indicia, aut ſigna, in iudicio vel extra illud firmiter iudicat de proximo aliquid mali, in eius notabile damnum, ut quod peccet mortaliter, uel ſit in peccato mortali, & Nauar. dat ſequentia, & quotidiana exempla. Si quis damnet peccati mortalis aliquem bonæ exiſtimationis, aut incognitum, eo ſolo, quod eum uideat cum muliere ſecretè loquentem, uel eo quod uidet aliquem comedere manè, aut ſæpe in die ieiunij ex præcepto, aut eo quod uidet aliquem non ita familiariter cum aliquo ſicut ſolebat conuerſari, aut aliquam leuem iram oſtendere, quia ſunt iudicia temeraria, & mendacia mentalia pernicioſa, contra illud Apoſtoli. *Nolite ante tempus iudicare*. Secundo, peccat mortaliter, qui formaliter detrahit, animo ſcilicet detrahendi, niſi forte detractio ſit de minimis, quæ quaſi pro nihilo ducantur, & animus non ſit notabiliter lędendi, tunc enim eſſet ueniale, at ſi intentio eſt notabiliter lædendi, uel ea, quæ dicuntur notabiliter lædunt, peccatũ eſt mortale, tanto grauius furto, quãto fama præſtat diuitijs, & hoc ſiue detractio fiat dicendo falſũ, ſiue manifeſtando uerum contra debitum ordinem charitatis, ſiue aſſerendo, ſiue referẽdo, ſiue addẽdo, ſiue minuẽdo, ſiue tacendo, ſiue quouis alio modo. Vbi notãdũ eſt, ꝙ nõ ſolũ eſt peccatũ mortale quãdo id, ꝙ detrahẽdo dicitur eſt peccatũ mortale, ſed interdũ etiã quãdo eſt ueniale, ut quãdo imponuntur falſi defectus naturales talibus circũſtãtijs, ut inde notabile dãnũ famæ inferatur, ut ſi de aliquo falſo dicatur, eũ eſſe leuẽ, uanũ, & iracũdũ

Temerarium iudiciũ quando ſit mortale.

1. Cor. 4.

Formaliter detrahens.

Etiam dicendo uerum, uel quod eſt ueniale.

ne Princeps ei tribuat aliquod officium, quod alias ob ſuã probitatem, & doctrinã illi daturus erat, aut ne illum in ſuam amicitiam recipiat; qui modus detrahendi famæ ſatis cõmunis eſt apud aulicos, qui dum reſpiciunt leuia illa, quæ dicunt, & non damna, quæ ex illis ſequuntur, ut plurimum id religioni non habent: ex quo fit, ut non ſit vſque quaq; uerum, illud S. Ant. & Sylu. ſ. detractionem, quæ generalibus uerbis ſua natura, tam mortalia, quam uenialia compræhendentibus fit, non eſſe peccatum mortale. Tum, quia detractio, quæ fit ſola uenialia manifeſtando, poteſt; (ut dixi) aliquando eſſe mortalis. Tum etiam; quia ſi illa detractio fit coram eiuſmodi perſonis, de quibus facile credi poteſt, eos tam mortales maculas, quam veniales eſſe concepturas, eſt mortalis, niſi expræſsè, aut tacitè, non niſi de ſolis venialibus uerba fieri admoneantur, & ex illis uenialibus, notabile damnum non ſequatur. Tertio, peccat, qui materialiter tantum detrahit, ideſt non ex intentione lædendi famam, ſed ex loquacitate, aut etiam ex bona intentione, ut qui prætermiſſo ordine fraternæ correctionis refert peccata occulta fratris ſuperiori, in caſibus in quibus prius fraternè corrigendus erat, ſed hoc peccatum eſt ueniale, cum non formaliter, ſed materialiter tantum detrahatur, niſi adeo notabiliter lædatur fama proximi, ut actus redeat in naturam ſuæ formæ, dum non cauetur à tanta proximi læſione, quia id aduertendum, & cauendum erat. Ad iudicandum igitur de detractione quando ſit peccatum mortale, uel ueniale, & quando graue, uel leue damnum affert, quinque conſideranda ſunt. Primo, intentio detrahentis. 2. id quod dicitur. 3. perſona de qua dicitur. 4. perſona detrahens an ſit magni, uel minimi crediti. 5. modus dicendi dubitatiuè ne, an aſſertiuè.

S. Ant. 2. p t. 8. c. 4. Sylu. v. Detractio. §. 2.

Materialiter detrahens.

Quinque conſideranda.

Quarto peccant etiam mortaliter illi, qui ſe ipſos infamant, & grauius, quam infamando proximum, cum teneantur magis diligere famam ſuam, quam proximi, nec excuſantur à peccato mortali propter metum, aut tormenta (licet aliqui contrarium dicant) quia ſicut nullus metus, & nullum tormẽtum excuſat à vulneratione, aut occiſione ſui, ita nec à ſui infamatione, quamuis enim pati detrimentũ famæ propriæ, ſit in proprio arbitrio conſtitutum, ſi in aliorum damnum nõ redundat ſicut pati vulnera, & mortem, inferre tamen ſibi damnum famæ, graue peccatum eſt, ſicut ſe occidere, aut vulnerare, & ſi in iudicio propter tormenta quis ſe infamat, duplicatur iniquitas,

Se ipſos infamantes.

quia mendacio pernicioſo adiungitur periurium. Quinto peccant,

Detractionē audientes.

qui detractionem audiunt, & ſi audiunt ex complacentia infamiæ proximi, peccant mortaliter, at ſi non audiūt malo animo, peccant ueniaiiter, ut ſi ex leuitate, per accidens tamen in tribus caſibus poſſet eſſe mortale, etiam ſi materialiter, hoc eſt non malo animo, audiatur detractio, quia actus redit in naturã ſuæ formæ. Primo ſi alicuius auditio, famam proximi notabiliter læderet, quia eſt cauſa auditionis multorum, cum notabili læſione famæ proximi. 2. ſi audiēs aduertit ex tali detractione magnum malum uenturum, ſiue ſit infamiæ, ſiue damni in uita, uel in rebus temporalibus, & non obuiat arguendo, uel non præbendo aures, uel alio modo, cum poſſit, tunc enim articulus neceſſitatis obligat. 3 ſi poteſt, & ex officio debet detractorē corrigere, uel obuiare detractioni. Sexto, peccant mortaliter,

Diuulgantes, & etiã legentes peccata ſcripta, & libellos famoſos.

qui inueniunt ſcripta in quibus notata ſunt aliquorum peccata ob memoriam confeſſionis faciendæ, & illa diuulgant, at ſi eſſent leuia quorum diuulgatio parum noceret famę, eſſet ueniale, & ſi in principio ſcripti prænotatur eſſe memoriam peccatorum, peccat mortaliter illa legens, quia licet forte non inueniat notabiliter lædentia, hoc tamen eſt per accidens, & dat ſufficientem cauſam lædendi, ſed debet illud lacerare, idem de illo, qui inuenit libellum famoſum, & non lacerauit, ſed diuulgauit. Septimo peccat, qui indebite, & cõtra ordinē iuſtitiæ, & charitatis vult ſcire peccata occulta alterius, ut Iudex ſpecialiter

Volens indebite ſcire occulta.

inquirēs, uel per uiã inquiſitionis procedens contra aliquē, nulla præcedente infamia, & interrogãs de Socio, & auxilium præbente occulto, extra caſus iuridicos, Et Prælatus uolens ſibi deciari peccata occulta, contra ordinē fraternæ correctionis in caſibus in quibus habet locum præceptũ fraternæ correctionis.

Reuelans ſecreta. Nau. c. 18 nu. 52.

Secretum quid, & quotuplex.

Octauo reductiuè ad detractionem mortaliter peccant, qui aliorum ſecreta detegunt, niſi excuſentur ob aliquam ex cauſis paulo poſt dicendis. Poteſt autem ſecretum cum Nau. ſic definiri, vt ſit id, quod cum à nemine, uel à tam paucis ſciatur, neque eſt famoſum, neque notorium, & primo diuiditur in ſecretum, quod de ſe à nullo alio ſciri poteſt, quales ſunt actus interiores, & in ſecretum, quod de ſe à plurimis ſciri poteſt, qualis eſt omnis actus exterior, qui non eſt famoſus, nec notorius, & hoc diuiditur in tres ſpecies. Prima eſt, quæ de ſe, ſine ulla promiſſione, lege naturali, ſcientem ad ſui occultationem obligat, quale eſt omne occultum, cuius detectio noceret animæ, corpori, honori, famæ, uel bonis alicuius. Secunda eſt, cuius cela-

tio à ſciente expræſsè, uel tacite promiſſa eſt, tacite promittitur cum id colligitur ex modo dicendi ſecreto, nulla de celando expræſſa promiſſione facta. Tertia eſt, ad quam celandam obligat lex diuina poſitiua Confeſſionis; non autem ita diſtinguntur quin idem ſecretum poſsit ſimul ad omnes ſpecies pertinere, de ſecreto, & ſigillo Confeſſionis diximus ſuperius ſuo loco, Inter ſecretum autem acceptum, vel ſcitum cum promiſsione expræſſa, uel tacita illud celandi, & ſcitũ ſine tali promiſſione, hæc eſt differentia, quod illud magis obligat, nã obligat in omnibus caſibus in quibus, & secũdũ, & etiã extra illos, nam ſi ſecretũ ſit de illis, quæ quis prodere non tenetur, & ad quæ cõſeqũẽter potuit ſe obligare, obligatur etiã ex hoc quod ſibi ſecreto cõmittuntur, & ut inquit S. Tho. tenetur illud ſeruare, & nullo modo prodere, etiã ex præcepto ſuperioris, quia ſeruare fidẽ eſt de iure naturali, & nihil poteſt præcipi homini contra id quod eſt de iure naturali, at ſi ſcitur aliquid occultũ cuius reuelatio ad præceptũ Superioris non ſit contra iuſtitiã, aut charitatẽ, reuelãdũ eſt ad ſuperioris præceptum, ex quo non data eſt fides de illo cælando. Sunt autem quædam, quæ non cadunt sub ſecreto homini commiſſo, sed ſtatim habita eorum notitia neceſſario reuelanda ſunt potenti prodeſſe, vel ſe cauere, & iſta ſunt illa, quæ pertinent ad corruptionem multitudinis ſpiritualem, vel corporalem, uel in graue damnum alicuius perſonæ, & huiuſmodi; quia iſta ſecreto tenere eſſet contra fidem, quam iure naturali debemus proximo, contra quam nos obligare non poſſumus, at ſi eſt ſpes emendationis per fraternam correctionem, præmittenda eſt, & ſequente emendatione, non eſt detegẽdum peccatum occultum proximi; ut paulò inferius dicemus loquẽtes de fraterna correctione. Sub ſecreto autem confeſsionis omnia compræhenduntur, & nihil eorum, quæ in Confeſſione ſciuntur licet reuelare, etiam pro ſalute totius mundi, quia non dicuntur homini, ſed Deo, & illa Confeſſor non ſcit, ut homo, ſed ut gerit perſonam Dei. Reuelare ea, quæ cadunt, & habentur ſub ſecreto, eſt peccatum mortale, niſi res ſit, & ſciatur eſſe tam parui ponderis, quod eius detectio nemini notabiliter noceat, & fiat ſine intentione notabiliter nocendi, tunc enim eſſet ueniale, dummodo non habeatur in Confeſsione, nam paruitas rei ſcitæ in Confeſſione, & parua læſio proximi, non excuſat à mortali, & à Sacrilegio, quia maxime læditur Sacramentũ Confeſsionis, & communis ſalus; retraherentur enim pœnitentes à Confeſſione. Peccat etiam mortaliter, qui reſerat, aut legit

S. Th. 2. 2. q. 70. ar. 1. ad 2.

Quanta vis promiſſionis de ſeruando ſecreto.

Quæ non cadãt ſub ſecreto.

Reſerans, & legens literas.

git literas obſeratas; aut ſcripturas alienas, quæ in ſecreto ſer-uabantur, aduertens, aut aduertere debens, quod inde poſſet notabile damnum ſequi, niſi ex conſenſu expreſſo, uel tacito eius à quo uel cui mittuntur id faciat, aut auctoritate legitima, ut tempore belli, Præfecti, hoſtium literas aperiunt, ſimiliter, & Prælati ſuorum Monachorum, At ſi quis aperiret literas alterius ſine eius conſenſu ob curioſitatem ſciendi noua, quæ ſcribuntur, uel uidendi barbaram, aut elegantem compoſitionem, ſciens, quod nullum inde nocumentum euenire poteſt, & quod ille cui mittuntur alijs paſsim oſtendet, aut dicet contenta, peccaret ſolum uenialiter, quia paruitas rei excuſat; ſi autem illas aperiret non ita credens, ſed cum certo, uel probabili periculo nocendi, peccaret mortaliter tanquam ſalſarius, & tanquam vtens re aliena contra uoluntatem domini, nec excuſaretur per hoc, quod nihil momenti continent, quia hoc eſt per accidens, & non aperuit illas cum hac credulitate.

Quæ peccatum.

Quid ſit fraterna correctio, De quibus ſit facienda, & quo ordine, Quando obliget eius præceptum, & an ſimus domini famæ noſtræ, ut ratione illius renunciationis, nulla ſit præmittenda fraterna correctio. Cap. XIII.

PRo maiori prædictorum intelligentia aliquid breuiter notãdum eſt de correctione fraterna, quam ante peccati occulti denunciationem præmittendam eſſe diximus, eſt autem fraterna correctio ſecreta proximi monitio, aut coram teſtibus, ut ſe à peccato emendet, ut ſic proximi conſcientia, & fama ſeruetur, & eſt de iure naturali, & etiam de iure diuino poſitiuo, Mat. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* de qua tria ſunt videnda primo, de quibus ſit facienda fraterna correctio. 2. quo ordine. 3. quando eius præceptum obliget. Quoad primum, ex uerbis Chriſti elicitur de quibus ſit facienda, dicente enim. *Si peccauerit in te frater tuus*, tria peccatorum genera excluduntur, quæ ſine illa denunciari poſſunt. Primum eſt peccatum, quod præuidetur futurum, Chriſtus enim loquitur de præterito, Si peccauerit. Secundum eſt peccatum publicum, nam hoc non eſt in te, ideſt contra te, & te ſolo ſciente. Tertium eſt peccatum occultum, quod proximis damnum ſpirituale, uel corporale infert, uel eſt illaturum, quia non eſt solum in te, ſed etiam in alios. hæc poſſunt ſtatim denunciari, ſi tamen ſpectatur emendatio per fraternam correctionem æque bene, ac per

Fraterna correctio quid.

De quibus ſit faciẽda

per denunciationem, non eſſent denuncianda, ut conſeruetur fama peccantis apud Prælatum, & apud neſcientes. Verum ſunt quædam peccata de quibus non poteſt ſperari niſi ſimulata emendatio, propter timorem pœnæ, & iſta ſunt ſtatim denuncianda, ut hæreſis, reipublicæ proditio. Præceptum igitur de correctione fraterna habet locum ſolum in peccato occulto præterito in ſe, & in ſuo effectu, quod nocet ſolum peccanti, & ei qui ſcit, uel quia læditur ab eo, uel ſaltem ex ſola notitia, & hoc non ſemel, aut iterum, ſed toties quoties ſperatur emendatio. Ordo autem corrigendi eſt, ut primum ſecreto, & fraternè, peccans corripiatur, & deinde ſi ſe non emendat corã duobus teſtibus, & poſtea Prælato denuncietur, qui teſtes inducẽdi ſunt ad conuincendum de actu ſi reiteretur, & non ut ſint ſolum teſtes de correctione facta, nam qui corrigitur poſſet illos contra corrigentem adducere, quaſi ab eo infametur. Et cum hoc præceptum ſit affirmatiuum nõ obligat ad ſemper, ſed pro loco, & tempore, & ut obliget tria debent concurrere. primo, quod certum ſit proximum peccaſſe mortaliter, uel uenialiter periculosè. 2. quod ſperetur emendatio, aut ſaltem non timeatur deterius. 3. opportunitas nõ ſolum perſonæ, ita quod magis ipſe, quam alij ad id teneatur, conſiderata ſaltem eorum negligentia ad quos id magis ſpectat, ſed etiam temporis. Vnde omiſsio fraternæ correctionis tripliciter fieri poteſt. primo meritoriè, ut ſi expectetur tempus opportunum, uel quia timetur maius malum. 2. cum peccato mortali, ut ſi quis probabiliter credit, quod fraterne corrigendo proximũ, relinquet peccatum mortale, uel ueniale periculoſum, in quo aliàs manebit, quia non eſt, qui eum corrigat, & tamen non corrigit, uel propter iudicium vulgi, uel quia timet notabile damnum uitę, honoris, famę, & fortunarum: quod peccet mortaliter patet, quia proximus eſt in extrema neceſsitate eiuſmodi correctionis, & quia fraternæ charitati, & ſaluti animæ proximi in caſu neceſsitatis præfert amorem temporalium. 3. cum peccato ueniali, quando.ſ. aliquis timore, & cupiditate tardior ad corrigendum redditur, ita tamen, quod ſi ei conſtaret, quod frater à peccato eius correctione retraheretur, illam propter, hæc non dimitteret, quia in animo præſupponit charitatem, & credit extra caſum neceſsitatis ſe non teneri cum notabili ſuo damno ad correctionem faciendam, ſicut reuera non tenetur, præſertim ſi non ſit eius Prælatus. Multa poſſent dici de correctione fraterna, ſed iſta pro nunc ſufficiant.

Ordo ſeruandus.

Quando præceptũ de illa obliget.

omittitur merito rie cum mortali, & cũ ueniali.

Quod

Quòd non ſimus domini famæ noſtræ, & quod illi renunciare non poſſimus,
Cap. XIIII.

DIximus fraternam correctionem eſſe de iure diuino, & naturali; in illis caſibus in quibus obligat diuinum, de illa præceptum; & quia cauſa præcepti eſt fratris emẽdatio, & cõſeruatio famæ illius, ut uideamus an ſimus domini famę noſtræ, examinandum eſt, an quis poſsit ita famæ ſuę renunciare, ut uigore huius renunciationis, non habeat in illo locum præceptum de fraterna correctione, in illis caſibus in quibus aliàs obligaret; ſi enim uigore huius renunciationis ceſſat omnis naturalis, & diuina obligatio de conſeruatione famæ, & de fraterna correctione, erimus illius domini, ſi autem non ceſſat, non erimus illius domini, ſed illam conſeruare tenebimur. Hanc quęſtionem tractauimus in noſtro manuali, & ſatis erit, quæ ibi diximus de uerbo ad uerbum hoc loco adducere. Aliqui in ea poſſent eſſe ſententia, ut credant nos eſſe domi nos famę noſtrę, & non ſolum licere illi renunciare, ſed etiam religioſis, & in ſpiritu proficere uolentibus, maxime ad perfectionem conducere: quo caſu dicerent non eſſe neceſſariam fraternam correctionem, ſed omnia peccata, quę in illis Religioſis, qui ita famę ſuę per conſtitutionem uoto confirmatam renunciarunt, quis uiderit, uel ſuſpiciatus fuerit, quantumuis occulta, poſſe immediate ad Superiorem, etiam ut ſuperiorem referri. Quorum ſententia tanquam falſa omnino explodenda eſt. Primo, quia fraterna correctio, & corrigendi modus, eſt de iure diuino: an autem ita ſimus domini famę noſtrę, ut illi omnino renunciare poſsimus, ita ut frater, liber ui huius renunciationis exiſtat, à fraternę correctionis pręcepto, & occulta renunciantis famę peccata Superiori immediatè referre poſsit, eſt opinio, & communior, & probabilior ſententia eſt, quod nõ ſimus domini famę, ſed quod eam conſeruare teneamur. Melius enim eſt nomẽ bonũ, quã diuitię multę, Prou. 22. & Eccl. 41. iubemur curam habere de bono nomine, hoc enim magis nobis permanebit, quam theſauri magni, & pretioſi, & qui famam negligit dicitur eſſe crudelis, quia conſcientia eſt nobis neceſſaria propter Deum, & fama propter proximum: propter dubiã autem ſententiam non poteſt fieri regula contra certum, & expreſſum Chriſti pręceptum: ratio enim ab aliquo pręcepto excu-

cuſans, debet maiori vinculo inniti. Secundo eſto, quod ſimus domini famę, ſicut & diuitiarum; certum tamen eſt, quod ſicut non poſſumus noſtras pecunias prodigere, & eas occupare uolentibus, deſertas relinquere, peccatum eſt, & non perfectio, nam perfectio exigit, ut illas pauperibus erogemus, ita etiã non poſſumus famam noſtram dilaniare, & calumniare uolentibus tuta conſcientia deſertam relinquere; ſic autem deſerta ab ijs relinquitur, qui ita illi renunciant, ut omnes ab obligatione fraternę correctionis ſibi faciendę liberent, & ſic liberati poſſint omnia peccata; quę in ipſis uiderint, uel ſuſpicati fuerint, vel eis imponere libuerit, Superiori puniẽda deferre, & in publicum etiam proferre. Si dicatur famam ita deſeri, ut committatur religioſis, quis negabit in religione non poſſe, etiam inuidos, ambitioſos, & maledicos reperiri, cũ in Sacratiſsimo duodecim Apoſtolorum cum Chriſto Domino uitam digentium ſenatu, vnus fuerit Iudas? Renunciare ſic famę, non eſt Religioſis illam cuſtodiendam committere, nam à Chriſto Ieſu ęternæ Patris ſapientia, fama noſtra cuſtodienda tradita eſt proximis noſtris, ſimulq; eis fraternę correctionis pręcepto, traditus eſt modus illam cuſtodiendi, quare ſi eos ab huius præcepti vinculo liberamus, cum ſolum eſſent famę noſtrę cuſtodes, hoc eis plus concedimus; ut ſint etiam illius diſsipatores, & calumniatores. Tertio ab eis peterem, an Religioſi teneantur alijs eſſe bono exẽplo, & an ab huiuſmodi obligatione poſsint ſe eximere; hoc certè negabũt, quomodo ergo hęc ſibi cohęrẽt, ut omnino famæ ſuę renunciare poſsint, cum bonum exemplũ & fama in idem coincidant? Confirmatur quarto, quia fama in hoc differt à diuitijs, quę cum ſæpe ſint perfectionis impedimentum, perfectionis eſt illas omnes relinquere, & pauperibus diſtribuere, at fama quantum eſt ex nobis, eſt perfectioni neceſſaria, ergo ad perfectionem aſpirantes debent non deſerere, ſed conſeruare, & augere famam, ut ſint Chriſti bonus odor, & & lucernæ ardentes poſitæ ſuper candelabrum. Quibus quinto etiam accedit cauſas huius Euangelici pręcepti ęquè, imo magis militare in Religioſis, quam in ſecularibus, ut uidere eſt ex experientia, & ex his, quę à Sanctis, & Doctoribus tradũtur, & maximè ab Angelico Doctore, quę breuitati conſulens relinquo: quę cauſa fuit ut S. Auguſt. in Regulis, ſuos admonuerit Monacos, ut huius pręcepti meminerint, quando vnus alterum in Eccleſia reſpicientẽ fœminam uiderit. & S. Tho. de proclamationibus, quę in capitulis Religioſorũ fiũt, dixerit, quod

ſi aliquis frater proclamaretur de aliqua re, ex qua infamari poſſet monitione non præcedente, eſſet illicitum, & cõtra Chriſti præceptum; imo ſubdit, quod non eſt obediendum Prælato contra hoc præceptum præcipienti, quia magis oportet obedire Deo, quam hominibus. Ex quo infero, quod ſi Religionis Prælati, in quorum manibus Religioſi animam, famam, & ſe totos ponunt, non poſſunt præcipere, ut ſibi dicatur, quod quis ſciuerit corrigendum, non premiſſa correctione fraterna, multo minus poterunt religioſi ſubditis fratribus, quibus nulla eſt de illis peculiaris cura, nec ullum eis ſit obedientiæ uotum, ſuæ famæ diſpenſationem contra Domini præceptum committere. Ex quibus concludo, quod Religioſi non præmittentes fraternam correctionẽ in illis caſibus in quibus de præcepto eſt præmittenda, contra Chriſti præceptum faciunt, & in detractionis peccatũ incidunt, nõ obſtante renunciatione famæ ab eis facta.

Act. 5.

Cum autem hucuſq; locuti ſimus de illa ſola denunciatione quæ fit ſuperiori, ut ſuperiori, in caſibus in quibus Euangelicũ præceptum obligat, ſexto ad maiorem prædictorum confirmationem egregiam S. Thomæ doctrinam ſubiungam, quam Summiſtæ omnes, tanquam naturalem, & Euangelicam ſequuntur, quod nec etiam poteſt fieri generale iudicium, ut ſemper occulta fratris peccata referantur ſuperiori, ut patri, non præmiſſa correctione fraterna; concedit quidem S. Tho. poſſe aliquando immediatè occulta fratris peccata referri ſuperiori, ut patri quando. ſ. ſic fratrer melius corrigitur, quia nimirum ſuperior eſt pius, diſcretus, ſpiritualis, nullum habẽs rãcorẽ, & ſubditus benè fert ſuperioris admonitiones, & in his caſibus (inquit) non fit contra Euangelicum præceptum, quia non dicuntur Eccleſiæ, id eſt ſuperiori, ut ſuperiori, ſed ut perſonę priuatæ, & ad correctionem proficienti. Verùm (ſubdit) propter diuerſas conditiones ſubditorum, & prælatorum, non poteſt dari generalis regula, ſi enim ſuperior eſt indiſcretus, uel habet odium contra ſubditum, uel omnia recipit ut ſuperior, & quamuis nõ ſit talis, ſed prudens, & ſanctus, ſi ſubditus eſt ita imperfectus, ut ægre ferat ſuperioris admonitiones, in his caſibus, nec etiam ut patri poſſunt occulta fratris peccata ſuperiori referri, nõ ſeruato fraternæ correctionis præcepto, quia fraterna correctio non omittitur ſine maximo ſcandalo, & animæ fratris detrimẽto. Cum igitur non poſsit dari generalis regula quoad denunciationem, quæ fit ſuperiori, ut patri, ſicut datur quoad eam, quæ fit ſuperiori, ut ſuperiori, ſeruetur charitas, & quod melius

S. Thom. quodl. 11. ar. 13.

lius uidetur, conſideratis ſubditorum, & prælatorum conditionibus; & illud omnes meminiſſe debent, ne quod pro charitate faciunt, contra charitatem militet; multi enim cum uident ſe famam amiſiſſe pro nihilo ducunt peccare. Ob quam cauſam, inquit S. Hieron. correpiendus eſt ſeorſum frater, ne ſi ſemel pudorem, aut uerecundiam amiſerit, permaneat in peccato.

Si non poteſt igitur propter diuerſas ſubditorum, & prælatorum conditiones, dari generale iudicium, ut ſemper occulta fratris peccata referantur ſuperiori, ut patri, non præmiſſa correctione fraterna, multo minus poterit dari, generalis regula, ut ei ſemper referantur, ut ſuperiori, cum ob eam cauſam referentes in caſibus prædictis S. Thom. à prævaricatione præcepti excuſet, quia non referunt illa ſuperiori, ut ſuperiori, quaſi diceret, tamen abeſt, quod poſſit dari generale iudicium, ut ſemper poſſint peccata occulta referri ſuperiori, ut ſuperiori, quod nunquam licet ſic ei referre non præmiſſa correctione fraterna, in caſibus in quibus Euangelicum præceptum obligat; de iſtis enim ſolum caſibus eſt noſter ſermo; poſſet autem dari generale iudicium, ſi ob renunciationem famæ tolleretur obligatio Euangelici præcepti; ſed quod non tollatur patet, tum quia non poſſumus ſic omnino renunciare famæ noſtræ, hoc enim non eſſet ſolum famæ diſpendium pati, ſed etiam ſibi infamiam inferre, quia ſic alijs nos infamandi facultatem concedimus, tum etiam, quia licet ei renunciare poſſemus, non tamen ob id ego poſſem contra Domini præceptum fraternam correctionem omittere: nam eadem ratione probarem, quod poſſem infamare fratrem, qui ſic famæ ſuæ omnino renunciauit, & omnia eius peccata in publicum proferre; hoc ſi facerem nullus certè me ob eam cauſam à mortali peccato excuſaret; quia licet ille poſſet omnino renunciare famæ ſuæ, non tamen ob id ego poſſem illius famam dilaniare, cum unicuique mandatum ſit de proximo ſuo, & iuxta naturale præceptum, quod nobis fieri nolumus alijs facere non debeamus.

Et ſi S.Th. excuſat eos, qui omittunt fraternã correctionẽ, referendo peccata ſuperiori, ut patri, quando ſic melius frater per ſuperiorem corrigitur, quia non dicũt ſuperiori, vt ſuperiori, conſequenter vult, quod ſit cõtra Chriſti præceptum omiſſa fraterna correctione referre peccata occulta fratris ſuperiori,

ut ſu-

ut ſuperiori, etiam quando fratrer per ſuperiorem melius corrigitur: de iſto enim caſu loquitur S. Tho. quia, ut inquit Apoſt. non ſunt facienda mala, ut inde eueniant bona. Si ergo bonum quod ſperatur, & quod eſt finis huius pręcepti. ſ. emendatio fratris, non excuſat nos, ut contra hoc præceptum ad fratris emendationem procedamus, referendo peccata ſuperiori, vt ſuperiori, quomodo excuſabimur propter renunciarionem famæ, præſertim, cum fraternæ correctionis omiſsio ob renunciationem famæ, non fratris emendationem, ſed ſæpe illius deſperationē inducat? quia dato, quod quando quis famæ ſuæ ſic omnino renunciat, ſit ſanctus, ſimiliter, & illi omnes cum quibus conuerſatur, certum tamen eſt nos in hac uita non eſſe cõfirmatos in gratia, & ſæpe cadere, & in uarias tentationes incidere. Quare Dominus conſulens infirmitati noſtræ, ſalutis uiam fraternæ correctionis præcepto nobis patefecit, & faciliorem reddit nos autē renunciando famæ noſtræ, ut nō corrigamur fraterne, quando ſic melius emendamur, ad maiorem animæ noſtræ condemnationem, uiam ſalutis nobis præcludimus, quod quam ſit Euangelicæ Doctrinæ contrarium, & infinitæ Dei bonitati repugnet, nemo eſt, qui non uideat.

Sed poſſet quis obijcere. Primo, quia de multis Sanctis legimus, quod publice ſua occultiſsima peccata dixerũt, & quod aliorum occulta peccata eis diuinitus reuelata, illis, qui ea fecerunt, manifeſtarunt, eiſq; præceperunt, ut illa publicè confiterentur. 2. ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. ubi dicitur Chriſtum non uetuiſſe, quin aliquis in uindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem; cum ob aliorum exemplum; tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publicè confiteri poſſet. Reſpondetur hæc non obſtare his, quæ diximus: Primo, quia conceſsimus, quod poſſunt aliquando peccata occulta ſtatim dici ſuperiori, ut patri, non præmiſſa correctione fraterna, quando ſic fratrer melius corrigitur, ſed diximus, quod in caſibus in quibus obligat diuinum præceptum non poſſunt ea omiſſa dici ſuperiori, ut ſuperiori, ad puniendum, & cum S. Tho. ſubiunximus, quod propter diuerſas conditiones ſubditorum, & prælatorum non poteſt dari generale iudicium, ut ſemper dicantur ſuperiori, ut patri. Et ſicut fratrer poteſt meum occultum peccatũ dicere ſuperiori, ut patri, quãdo ſic magis ſperatur emendatio, multo magis ego potero enormiſsimum meum peccatũ extra confeſſionem dicere pro ſalute animæ meæ potenti mihi prodeſſe conſilio, & auxilio, & in hoc non facio contra præce-

ptum

ptum de conſeruanda fama, quia ſalus animæ præferenda eſt. famæ. Sed non loquimur de iſtis caſibus particularibus, in quibus frater credit, quod delinquens melius iuuabitur à patre, & delinquens quęrit animę ſuæ medicinam, ſed de illis in quibus dicuntur, ut ſuperiori, & de generali iudicio, quod ei ſemper dicantur ut patri, propter diuerſas conditiones. Publicam etiam confeſſionem, ut inquit Conc. Trid. Chriſtus non prohibuit, ſed non præcepit, & in aliquibus caſibus poteſt benè fieri ut ab exiſtentibus in periculo naufragij, & à peſte infectis ſimul commorantibus, qui non poſſunt ſecreto confiteri, & ſicut poſſunt publicè omnia ſua peccata confiteri, ita etiam cum Chriſtus non præceperit publicam confeſsionem, poſſunt leuiora peccata publice confiteri, & illa ex quibus contraherent infamiam relinquere cum propoſito illa confitendi, habita commoditate auricularis confeſsionis, ut ſic conſeruetur fama, & adſit materia pro ſacramentali abſolutione, ut diximus in cap. 3. huius libri. publicus etiam peccator, qui ſuis ſceleribus Eccleſiam offendit, & multa mala fecit, ut hęreticus, aſſaſsinus, poteſt tantam ſuorum ſcelerum contritionem habere, vt in eorum vindictam, & ſui humilitatem, & ad aliorum exemplum, & Eccleſiæ ædificationem ſancte illa publice confiteatur, ſicut aliquando factum fuiſſe legimus. Sed in illis caſibus ſalus animæ præfertur famæ, de quibus non loquimur, ſed de uniuerſali iudicio, propter caſus in quibus infamia nocet animæ, tam propriæ, quam aliorum, & etiam animæ illius, qui in optima diſpoſitione, & maximo ſpiritus feruore renunciauit famæ ſuæ, cum non ſemper perſeueret in illa bona diſpoſitione, & licet perſeueraret, eius tamen peccatum occultum diuulgatum alijs noceret, propter ſcandalum de illo, & iudicia temeraria, quæ de alijs religioſis fierent. Et licet Chriſtus non prohibuerit publicam cõfeſsionem, propter caſus prædictos, nullus tamẽ negabit, quod mortaliter peccaret ille, qui ſine iudicio diſcretionis, publicè ſua occulta, & enormia ſcelera confiteretur propter infamiam, quam contraheret, & ſcandalum, quod daret, præſertim ſi eſſet religioſus, & habitus uir probus. Nec omnia facta Sanctorum ſunt imitãda, quia multa fecerunt admiranda, ſed non imitãda, ut dicit S. Hier. in vitis Patrum, quod etiam dicunt S. Aug. & S. Thom. de Sanſone, & de multis martiribus, qui ſeipſos occiderunt, nam cum ſint in numero Sanctorum, credendum eſt, ꝙ latenter Spiritus, qui in illis miracula operabatur, id iuſſerat, ut diximus in cap. 8. huius libri; nec ob id ſequitur, quod ſimus

domini

domini uitæ noſtræ, aut membrorum. Et quod mulier caſta pro tuenda caſtitate, poſſit ſe ipſam præcipitem dare, aut ſibi oculos eruere, aut naſum, & labra abſcindere, ut de formis uideatur, licet multæ Sanctæ id fecerint, idem dicimus de fama; quod multi Sancti ita illam contempſerunt Spiritus Sācti iuſſu, ut à nobis non ſint imitandi; De S. Simeone Abbate, qui propter Chriſtum fuit cognominatus ſtultus, legitur in eius uita apud Surium tomo 4. quod ambonem aſcendebat, & illinc nucibus lapidabat mulieres; quod cum uxor cauponæ eſſet ſola in lecto, ille finxit ſe ueſtem ſuam exuere, ut illa clamans tanquam ſceleratiſsimus à uiro ſuo expelleretur: in medio foro coram omnibus uentrem exonerabat, ingreſſus domum nobiliū ſimulabat ſe eorum ancillas deoſculari, inuitatus ad balnea, nudus per uiam incedebat, & relicto balneo uirorum, ingreſſus eſt illud mulierum; Choreas ducebat, hinc tenens unam ſcenicam fœminam, & illinc alteram, & ſic in medio totius populi ludebat, adeò, ut impudicæ mulieres in eius ſinum ſæpè manus injicerent eumq; irritarent, & titilarent; meretricem inueniebat, eiq; dicebat, Vis ne te habeam amicam, & dabo tibi cētum aſſes? dabat quidem, ſed illas cuſtodiebat, ne peccarent; & vna ex ijs eum per ciuitatem portabat, & altera eum cedebat loris: hæc, & ſimilia faciebat iſte uir Sanctus, Sed uirtus Spiritus Sancti ſimul in ipſo mirabiliter operabatur, agnoſcebat hominum cogitationes, & uirtute miraculorum ita corrigebat illos, qui ſcandalum patiebantur, ut eius ſanctitatē corde uenerarentur; & eo uiuente non auderent illam publicare. Nunquid etiam nobis iſta licebūt? poterūt ne Religioſi, hæremitæ, Sacerdotes, & uiri ſpirituales ſic famam contemnere, ut ſimilia agant? poterunt quidem ſi in illis eodem modo operetur diuina uirtus: Sed cum Deus omnia ſuauiter diſponat, & citra neceſsitatem non operetur miracula, non vult, quod ſpirituales ſub ſpecie perfectionis ſimilia intentent, ſed *quod curam habeant de bono nomine, & ab omni ſpecie mali ſe abſtineant*; & hæc de ſe præſumere eſt maxima ſuperbia. *Spiritus autem vbi vult ſpirat*, quid autem pro uniuerſali regula ſeruari velit, lege naturali, & ſacris literis docuit contra quas, nec in uniuerſali, nec in particulari vult humana auctoritate fieri, aut præcipi, aut obediri. Sed petet aliquis quare Deus aliquibus contrarium iuſſerit, & in lege naturæ de tuenda uita, & fama ſic diſpenſauerit, ſi non poteſt trahi in exemplum. Reſpondetur cum S. Aug. in ſimili dubio, nam quærit, cum iuramentum ſit licitum, quare dixit Chriſtus,

Ego autem

Ego autem dico uobis non iurare omnino, ſit autem ſermo ueſter eſt, eſt, non, non. reſpondet, quod cum homines ſint faciles ad periurandum, & uerum iurando multipliciter etiam peccent, ideo ut ab illis peccatis abſtineant, & ut oſtendat, quam graue peccatum ſit periurium, dicit, quod omnino non iurent, extra caſum, ſcilicet neceſſitatis, nam iurare eſt bonum, & neceſſarium in multis caſibus, idem nos dicimus, cum homines tanti faciant hanc mortalem uitam, & famam propriam, & mulieres corporis pulchritudinem, & omnes ſint ualdè propenſi ad iudicia temeraria, ut in eis quodammodo vltimum finem conſtituant, Deus ut ab his uitijs, & à rerum caducarum amore nos retrahat, quædã in Sanctis ſuis uoluit nobis dare exempla, in altero omnino extremo, non imitanda, ſed admiranda, ut medium, & ueritatem teneamus; uoluit, quod aliqui martires ad ignem condemnati, ipſimet ſe in ignem inijcerent, quod aliquæ virgines ſibi oculos eruerent, naſum, & labra abſcinderent, quòd aliqui Sancti ſceleratiſſimos ſe eſſe ſimularent, & aliorum ſcelera ſibi attribuerent; quæ tamen ſi alij facerent non à Deo iuſsi, grauiter peccarent, & humano iudicio quantumuis religioſi puniendi eſſent. Hæc pro maiori huius Euangelici præcepti explicatione dicta ſint, quod ſi pluribus de hac re egi, non ideo feci, ut contra aliquem ſcriberem, ſed ut hinc omnes intelligant, quam deteſtandum ſit detractionis uitium, quod proh dolor, omnibus ferè eſt commune, & familiare; ſi enim non licet occulta fratris peccata ſuperiori corrigenda immediate referre, multo minus licebit illa in publicum deridenda proferre.

Quod fama ſit reſtituenda, & quomodo; quibus de cauſis ab eius reſtitutione excuſemur, An poſsit remitti. Quomodo ſit ſibi ipſi in iudicio reſtituenda; & de reſtitutione bonorum animæ.

Cap. XV.

SI pecuniæ iniuſtè ſublatæ reſtituendæ ſunt, multo magis reſtituenda eſt fama, quæ præcioſior eſt omnibus theſauris, & non ſolum reſtituenda eſt fama aliena, ſed etiam propria, ut ſi quis propter tormenta falſo diceret ſe ho-

micidium perpetraſſe. Dubitari tamen poſſet, an ſit reſtituenda accuſatoris fama, quam accuſatus in iudicio metu pœnæ abſtulit, negando delictum à ſe commiſſum, & conſequenter accuſatorem mendacem, mendacio pernicioſo faciendo. Ad quam difficultatem cum Rich. & Scoto contra Caiet. diſtinguendo, reſpondemus: ſi quis indebitè fuit accuſatus, quia peccatum erat occultum, nec probari poterat, non tenetur accuſatori famam reſtituere, etiam ſi uerè infamatus exiſtat, & ſibi ſuam infamiam imputet, quia temerè accuſauit; & ratio eſt, quia cum peccatum ſit occultum, & non procedat iuridicè, accuſatus non tenetur reſpondere ſecundum iudicis intentionem, poteſt ergo ſecundum ſuam intentionem reſpondendo, uerum dicere, & ſic ſuam famam iniuſtè ereptam recuperare, & conſeruare, nemo enim tenetur ſe infamando conſeruare famam iniuſta accuſatione infamantis. At ſi iuridicè contra illum proceditur, & negando delictum commiſſum, accuſatores, & teſtes uerè infamaret, ita ut mendaces credantur, eorum famam reſtituere tenetur. Quod ſi illi ob huiuſmodi negationem non remanent infamati, nec ob id reputantur mendaces, ut communiter accidit, quia creditur, quod reus omni quo poteſt modo, ſe in iudicio ad euitandam pœnam excuſat, ſiue uerè, ſiue falſo, non tenetur illis famam reſtituere, quia nulla eſt eorum ſubſecuta infamia.

Rich. 4. ſ. d. 15. ar. 5. q. 3. & Sco. ead. d. q. 4.

Reſtitutio famæ ibi facienda, ubi facta fuit infamatio publicè, uel ſecretè, ſecundum quod præceſſit infamatio, & qui mentiendo infamauit, debet reſtituere famam, dicendo ſe falſum dixiſſe, & ſi opus fuerit, debet iurare, & etiam teſtes inducere, quo eis diſſuadeat, quibus contrarium perſuaſit; nec excuſatur ob uerecundiam, aut infamiam, quam contrahet dicendo ſe mentitum fuiſſe, quia cum alterius damno nemo ſibi debet famam acquirere; nec etiam ex eo, quod in alijs duplo, uel triplo magis illius, quem infamauit, famam auxit. Excuſaretur tamen ſi infamatus ſe ab infamia liberauit ſuis optimis factis, uel re ipſa falſitatem eius, quod ſibi impoſitum fuit docendo, uel detrahentis leuitatem demonſtrando, malam eorum apud quos infamatus fuit, quam conceperant opinionem aboleuit, & etiam ſi illi, apud quos alium infamare tentauit, malam ob id opinionem non conceperunt, nec bonam amiſerunt. Ille autem, qui infamauit detegendo delictum uerum occultum, famam reſtituere tenetur, ita tamen, ut

Quomodo ſit reſtituenda.

ut non mentiatur; non ergo in eius reſtitutione dicet ſe falſum dixiſſe, ſed ſe malè locutum fuiſſe) quia facile credidit eum tale commiſiſſe delictum, ſed adhibita poſtea diligentia, comperiſſe ſe prauè locutum: at ſi fama reſtituenda eſt apud uiros prudentes, & doctos, qui ex hoc modo reſtituendi famam, potius colligerent delictum illud uerè fuiſſe perpetratum, & in concepta infamia magis confirmarentur, præſtat ut potius nulla illius delicti facta mentione, famam reſtituat, ſæpe laudando uirtutes, quas habet ille, quem infamauit, & eis perſuadendo, ut pro tali habeant. Ille quoque, qui poſt multos annos recordatur ſe alterius famam abſtuliſſe, ut ſi cum eſſet adoleſcens falſo apud æquales iactauit ſe cum tali puella rem habuiſſe, uel occultum alterius peccatum detexit, & poſtea ſenex, illius peccati, & damni, quod proximo intulit, recordetur; reſtituere debet famam, & reſarcire damnum illatum, at ſi tanta eſſet dictæ infamationis obliuio, ac ſi numquam præceſſiſſet, non eſſet reſtituenda fama, ne dum fama reſtituitur renouetur infamia: ſi aliquod tamen damnum à tempore illatæ infamiæ, uſque ad eiuſdem obliuionem ſecutum fuerit, reſarciendum erit iudicio boni uiri, pecunia, beneficijs, aut laudibus: ſed quia difficile eſt certo ſcire an illata infamia fuerit perpetuæ obliuioni tradita, cum quod quis uno die non meminit, altero recordetur, ſic commodè poterit fama reſtitui ſine nouæ infamationis periculo, ut ille qui olim alium infamauit, quærat ab eo apud quem illum infamauit, num alicuius delicti, quod de illo dixit meminerit, qui ſi negatiuè reſpondeat eum roget ſine aliqua expræſſione, ne propter id quod ei de illo dixit, illum peiorem exiſtimet, cum malè de illo fuerit locutus, & falſum dixerit iuxta ea, quæ ſuperius dixi.

Cum autem res inferioris ordinis non teneamur reſtituere cum detrimento rerum ſuperioris ordinis, excuſabimur à reſtitutione famæ, ſi ſine ſalutis, & uitæ periculo reſtitui non poteſt. At ſi ex infamia falſo illata, ſubſecutura ſit infamati mors, cum propriæ uitæ periculo reſtituenda erit illius fama, ut ſi quis homicidium commiſerit, & illud alteri impoſuerit, qui uinctus, tormentorum ui, ſe illud feciſſe confeſſus fuerit, ob quam cauſam morti adductus ſit, proculdubio cum uitæ ſuæ periculo eum à morte, in quam adegit, eripere tenetur: non enim hic exponitur uita pro ſola fama, ſed pro conſer- *De cauſis excuſanti bus ab ei• reſtitutione.* *Sot. de iu ſt. & iur. lib. 4. q. 6. ar. 3.*

uatione illius uitæ, quæ iniuſtè ob falſam accuſationem tollitur, nam licet propriæ famæ, & uitæ, quam alienæ accuratius proſpicere debeamus, nulli tamen licet cum alterius iniuria ſibi proſpicere; & res cuiuſcumque ordinis reſtituenda eſt, cum detrimento rei eiuſdem ordinis, duplici adhibita limitatione: Altera eſt, dummodo res reſtituenda non cedat in magnum reſtituentis damnum, & in paruam illius cui reſtituenda eſt, utilitatem, quæ poſſet eſſe cauſa differendæ reſtitutionis. Altera eſt, dummodo res illa reſtitui poſſit, unde ſi innocentis mors ſubſecuta fuiſſet, quia illius mors impediri amplius non poteſt, nec uita recuperari, cum periculo mortis non eſt eius fama reſtituenda. Quod ſi innocens ab alio falſo accuſatus fuit, ille qui crimen commiſit, cum id ei non impoſuerit, non tenetur ſe prodere, ut eum à morte liberet. Quando autem fama reſtitui non poteſt, alia uia arbitrio boni uiri damno famæ ſatisfaciendum eſt, ut pecunijs, & beneficijs, licet Syllueſt. contrarium dicat; ea ſimilitudine motus, quia debitor pecuniæ, qui non eſt ſoluendo, non tenetur honorem, aut famam exhibendo recompenſare; nam licet uita, & fama non ſint pecunia æſtimabilia, tamen quia pecunia eſt pretium omnium rerum, illa etiam arbitrio boni uiri, conſideratis omnibus, rei, temporis, perſonæ, &c. circunſtantijs, uita, & fama aliquo modo æſtimantur: at ſi deſit pecunia non tenetur per honores, aut orationes reſtituere, quia hæc non ſunt rerum prætia, licet melius ſit ſic ei ſaltem ſatisfacere, & illum apud Deum precibus iuuare. Aliqui etiam uoluerunt, quod infamatus poſſit obligationem reſtituendi famam condonare; ſed cum credam nos non eſſe dominos famæ noſtræ, ſicut nec uitæ, contraria ſententia mihi probabilior uidetur, imo propriam famam, quam quis ob tormentorum uim ſibi falſo abſtulit, confitendo crimen, quod non fecit, ſibi metipſi Chriſti membro reſtituere tenetur, nec etiam excuſatur ob tormenta, quæ negando iterum experietur; ſicut nec eis excuſatus fuit à peccato mortali, dum mentiendo ſibi famam abſtulit, at ſi adeo ſe timidum, & imbecillem agnoſcit, quod tormentis iterum expoſitus, eorum ui illud ſe feciſſe aſſirmabit, non credo, quod teneatur uitam tormentis finire, ſed ſatis eſt, quod ante executionem ſententiæ ſibi famam reſtituat, dicendo ui tormentorum ſe illud crimen confeſſum fuiſſe, cum tamen non fecerit (ſed caueat, ne

Syln. Detractio. §. 4.

in

in iuſtitiam ſibi factam fuiſſe dicat, aut aliquid contra diuinam prouidentiam loquatur; ſed iuſtè, & ſanctè ſecundum allegata, & probata ſe condemnatum fuiſſe affirmet, & quod licet mortem propter crimen ſibi falſo impoſitum, non meruerit; iuſtiſsimo tamen Dei iudicio, & infinita Dei miſericordia condemnatus fuit, cum illam multoties alijs ſuis ſceleribus meruerit, ut ſic, tot etiam ſpiritualibus auxilijs adiutus animam ſaluaret.) Eſt enim fama nobis propter alios neceſſaria. Et ſi aliquando melius, hilari patientia toleratur infamia ab alijs illata, quam laboretur pro fama, quando .ſ. charitas proximi non impellit ad procurandam famæ reſtitutionem, non tamen ob id negligitur propria fama, ſed eius optima cura habetur, illam Deo offerendo, & qui infamarunt non liberantur ab illius reſtitutione.

Cum rerum corporalium, & famæ reſtitutio ſit neceſſaria, multo magis neceſſaria erit reſtitutio bonorum ſpiritualium, quæ ad animam pertinent, & ideo, qui proximo nocuit in bonis animæ, eo quod ad mortaliter peccandum illum induxit, tenetur pro uiribus curare, ut bonum recuperet, quod ſua cauſa amiſit, reuocando mandatum, dicendo ſe mentitum fuiſſe, malè, & falſum docuiſſe, illum ad pœnitentiam hortando, opera meritoria ei conſulendo, & pro eo Deum precibus orando, vt dicunt Scotus, & Richardus; & ex difficultate huiuſmodi reſtitutionis (nam uoluntas; quæ ſemel corruit in peccatum, uix multis admonitionibus, & conſilijs poteſt ad uiam uirtutis redire) cognoſcitur quam malum, & periculoſum ſit alium ad peccandum inducere. Sed Sotus, & Nauar. limitant, quod illi ſoli ad hanc reſtitutionem teneantur, qui ui, dolo, aut fraude alium ad peccandum induxerunt, ut ſi Pater, aut Dominus auctoritate ſua induceret filium, aut ſeruum, ut ſuum inimicum occidat, uel ipſe quoque cum eo inimicitias gerat, aut iuris peritus, uel hæreticus alteri perſuadeat contractum uſurarium eſſe licitum, & propoſitionem hæreticam eſſe ueram. Secus de illis, qui ad peccandum inducunt eos, qui ſciunt eſſe peccatum, & poſſunt liberè ab illo peccato abſtinere, ſine ullo timore, aut erubeſcentia eorum, qui inducunt; quam limitationem Sotus probat primo, quia qui ſine ui, & fraude alium ad peccandum inducit etiam ſi precibus, & pretio; facit quidem contra charitatem, ſed non con-

De reſtitutione bonorũ animæ.

Scot. & Rich. 4. ſ. d.15.

Nau.c.14. nu. 32. Sot. de iuſt. & iur. lib.4. q.5. ar.3.

tra iuſtitiam commutatiuam, ex qua oritur reſtituendi obligatio, quia nihil ab eo abſtulit, nemo enim aliquid aufert niſi ab inuito, ille autem ſciens, & prudens peccat: & ſi dicatur quod licet non ſit tota cauſa peccati, eſt tamen pars cauſæ, & occaſio reſpondet, quod ſicut quando ego precum improbitate, donū aliquod ab amico citra uim, & fraudē ex torqueo, non teneor illi reſtituere, ita etiam, qui à muliere, vel prece, uel pretio conſenſum habuit in malum, poſtquam illa ultro conſenſit, liber eſt à reſtitutione, nam ſcienti, & conſentienti non fit iniuria, de reg. iur. in 6. 2. probat, quia nemo ei reſtituere tenetur in cuius poteſtate non eſt reſtitutionem fieri, ſed ſolus Deus eſt auctor gratiæ; & ſi dicatur, quod ſaltem obligatur ad id, quod poteſt; obijcit, quia nemo obligatur ei reſtituere, qui ſua ſponte condonat, quod eſt ſibi ablatum; nam cum in ſua poteſtate per ſolius Dei auxilium poſitum ſit diuinam gratiam recuperare, ſi non recuperat, uidetur illam ſua culpa negligere, & alter liber à debito, quia non retinet alienum, ſicut ſi furto aliquid ſuſtuliſſem, & id poſtea expoſitum, & manifeſtum relinquerem domino, ut quando ei libuerit, poſſit ſine mea, illiuſuè alterius opera accipere, ſi non accipit cenſetur illud renuere, & ego ad nihil amplius teneor. 3. quia ſequeretur, quod qui publicè peccauit ſingulis eorum, quibus fuit occaſio ruinæ teneretur reſtituere, alia adducit argumenta, & ſubiungit, quod licet lege iuſtitiæ non teneatur ad reſtitutionem, tenetur tamen lege charitatis, & fraternæ correctionis illum corripere, & magis quam alios, cæteris paribus.

De Luxuria, & de Sexto, & Nono Præcepto.

De vi Sexti, & Noni præcepti, de Luxuriæ filiabus, & ſpeciebus, & quibus modis peccetur mortaliter. Cap. XVI.

Sexti, & noni præcepti uis.

AD quartum, & ſextum pręceptum poſſunt reduci ſtatus hominum, ſed quia plures reducuntur ad quartū, agemus nunc de ſexto, præſertim cum poſt ſtatum artificum, optimę ſequantur tractatus, de auaritia, contractibus furto, & reſtitutione. Hoc Sexto Decalogi præcepto prohibetur quæcumq; carnalis copula extra legitimum matrimonium,

nium,& conſequenter eius deſiderium, uoluntas, & omnia antecedentia,& concomitantia,& nonum pręceptum de Non concupiſcendo non ideo additur,quaſi non contineatur ſub ſexto; ſed quia delectatio, quæ ex ſola cogitatione naſcitur, eſt quoddam bonum apparens, ad ſui deſiderium inuitans. Ad prohibitionem huius præcepti reducitur Luxuria, quæ eſt uitium capitale, inclinans ad inordinatum uenereorum uſum, cuius ſecundum Greg. ſunt octo filiæ.ſ.cæcitas mentis, præcipitatio, inconſideratio,inconſtantia,amor ſui,amor huius mundi,horror futuri,& odium Dei,quæ dicuntur eius filiæ, non quaſi non naſcantur etiam ex alijs,sed quia ex ea frequentius. Cuius etiam ſunt ſex ſpecies. Prima, eſt ſimplex fornicatio,quæ eſt inter ſolutos,non ſolum à vinculo matrimoniali,ſed etiam à cognatione,affinitate, ordine ſacro, uoto, & infidelitate. Secunda ſpecies,eſt adulterij. Tertia eſt inceſtus,cum conſanguinea,uel affine,aut cognatione ſpirituali coniuncta, uel cum profeſſo, aut ordine ſacro inſignito. Quarta eſt ſtuprum,cum virgine, & ut ex Caiet. inquit Nau. attenditur ex parte mulieris,& nõ ex parte uiri, quia eſt ſpeciale peccatum ratione fractionis ſigilli uirginalis,ut docet S.Thom. Quinta,eſt raptus, etiam ſi ſit adducendam in uxorem poſt habitam copulam. Sexta, eſt Sodomia contra ordinem naturæ,ut uir cum uiro,fæmina cum fæmina, vir cum fæmina extra uas naturale, mollities,& cum bruto,poſſet etiam addi alia ſpecies,quæ eſt copula ſacrilega, ratione loci ſacri,& etiam ratione perſonæ ſacræ,reſpectu cuius eſt etiam inceſtus,ſi quæ ſunt aliæ ad has præcipuas reducuntur.

Luxuriæ octo filiæ. *Luxuriæ ſex ſpecies.* *S. Tho. & Caie. 2.2. q.154.ar.6 Nau. c.15. nu.2.*

Peccat igitur mortaliter. Primo,qui habet copulam carnalem extra legitimum matrimonium aliquo ex prædictis modis toties quoties,& tenetur dicere ſpeciem,non ſolum ſecundum actum copulæ,ſed etiam ſecundum intẽtionem, nam ſi ſolutus ſit cum ſoluta, & intentio ſit cum conſanguinea eſt etiam inceſtus. 2. peccat mortaliter,qui vult, & aliquid facit, ut aliam inducat ad copulam illicitam.ſ.conſentiens, ſcribens, ornans ſe,cantans,mediatricem quærens, tranſiens, ſtans ad feneſtrã, uel aliquid aliud faciens hac intentione,bibens etiam plus quã oportet,& comedens calida,ut ad luxuriam excitetur, ſecus ſi id faceret, ut uxori debitum reddere poſſit. 3. peccat mortaliter qui,uel quæ coeundo dat operam,vt non ſequatur conceptio,ex modo coeundi, (& ſi ſemen mittatur extra uas, eſt contra naturam,) uel ſumẽdo aliquid,quod ſterilitatem inducat. 4. peccat mortaliter, qui locat domum, uel aliquam eius par-

Quibus modis peccetur mortaliter.

tem alicui meretrici, quam ſcit, uel probabiliter credit in ea ſuo corpore turpem quæſtum facturam; quia uidetur conſentire peccato, & ad peccandum iuuare, ſecus de locantibus illis ſuas domos in locis eis deputatis, ut dicemus inferius, ubi de locatione.

Ad quid teneatur qui rem habuit cum virgine, vel putata virgine. Cap. XVII.

SVnt autem à nobis hoc loco duo magis in particulari explicanda. Primo, ad quid teneatur, qui rem habet cũ uirgine, uel putata uirgine. 2. de delectatione moroſa, & de pollutione. Quoad primũ reſpondetur cũ Nau. dicendo primo, ꝙ ille, qui rem habet cum ea, quæ putatur uirgo, ſine dolo, & deceptione, quia illa ſe ad id offert, uel leuiter rogata conſentit, in foro conſcientiæ nihil tenetur ei reſtituere, etiam ſi eſſet uere uirgo, tum quia ſcienti, & ſponte conſentienti, non fit iniuria, nec dolus, tum etiam, quia lex, quæ obligat ad ſoluẽdũ aliquid ei quã deflorauit, agit de decipiẽte. Dicimus 2. quod in foro exteriori huiuſmodi deflorator iubetur eam dotare, & in uxorẽ ducere, aut dotare, & fuſtibus cædi, c. 1. & 2. de Adult. etiam ſi non inueniſſet eam uirginem, & illam non decepiſſet, & ita affirmet, & etiam ſi illa nõ probet ſe uirginem, & deceptam, quia præſumitur illam fuiſſe tunc uirginem, & deceptam, & nõ creditur defloratori niſi probet contrarium, & eſt communis sẽtentia. 3. qui importunis precibus, & appellationibus, aut falſis promiſſionibus eam decepit ſine promiſſione illam ducendi tenetur in foro conſcientiæ (nam de exteriori diximus) illam ducere, uel ita operari, ut contenta maneat, uerè tamen, & non metu, uel reſarcire illi omne damnum, quod inde ei euenerit, tantum ei dando, quantum neceſſe eſt, ut talem inueniat maritum, qualem manens uirgo inueniret, & aliquid amplius, ob uerecundiam, quam tota uita paſſura eſt, & ob contumelias, quas ob id à ſuo marito acceptura eſt, ad arbitrium boni uiri; non tamen obligatur ad dandum illi integram dotem, quia id eſt pœna, quæ in foro interiori non debetur donec à iudice imponatur, ſed ſatis eſt, quod augeat dotem, quã illa habet. 4. ſi promiſit ſe illam ducturum, ſiue ex animo, ſiue ficte ad decipiendum eam, tenetur tam in foro interiori, quam exteriori eam ducere, & multo magis ſi id iuramento firmauit, niſi eſſent ual-

Nau. c. 16. nu. 16.

de

de inæquales genere, uel diuitijs; quia illo caſu præſumi poteſt illam fingere ſe deceptam, ſed non eſſe, nihilominus tenetur tantum ei dare, quantum opus eſt, ut inueniat maritum talem, qualem inueniſſet ſi non eſſet infamata, uel ad reponendum eam in aliquo ſtatu honeſto, in quo Deo ſeruiat, quia licet non præſumatur decepta, ad effectum ducendi eam, tenetur tamen reſarcire damnum, quia promiſſio ducendi habet ſaltem uim precum importunarum; & idem dicendum eſt de eo caſu quo promiſsio fuit uera, & ex animo facta, ſed probabiliter timetur, quod ex illo matrimonio graue aliquod ſcandalum orireturꝫ & de illo, qui promittit, & eſt ſacris initiatus, aut aliam habet uxorem, aut pater renuit omnino illam ei dare. 5. dicimus, quod ultra prædicta, obligatur etiam ad placandum illius patrem, & ad ſatisfaciendum ei pro iniuria illata. 6. quod is, qui dolo, aut precibus importunis rem habuit cum aliqua iam ab alio corrupta, ſed pro uirgine reputata ac habita, & ob id eam infamauit, licet ob uirginitatem ereptam in foro conſcientiæ ad nihil teneatur, tenetur tamen ob famam ereptam.

De delectatione moroſa, & de delectatione conditionata ſi eſſet vxor, & viduæ, & coniugis abſentis, de viſu, & tactu pulchræ mulieris, & de pollutione.
Cap. XVIII.

Delectatio moroſa eſt uoluntaria delectatio de actu malo cogitato, & dicitur à mora, non ratione durationis temporalis, ſed ratione moræ, quam facit ratio in ea expellenda, & eſt peccatum mortale, non ſolum de peccato uenereo, ſed etiam de quocumq; peccato mortali; de illa tamen hoc loco tractamus, quia cõmunior, frequentior, diuturnior, & perículoſior eſt de uenereis, nã peccatũ mortale non ſolum eſt tranſgreſſio præcepti obligantis ad mortale, & propoſitum, & deſiderium deliberatum illud tranſgrediendi, ſed etiam conſenſus, & uoluntas, non ſolum expræſſa, ſed etiam interpretatiua, uel tacita delectandi ſe cogitatione tranſgreſſionis præcepti, etiam ſi ſic conſentiens, non proponat, nec deſideret illud tranſgredi, ſed ſolum uelit illa cogitatione delectari. Ad iudicandum igitur de delectatione moroſa, ut bene, &

Vnde dicatur.

Eſt de omni peccato.

Quare ſit mortalis.

Caiet. in ſumu·Verbo delectatio moroſa.

nè, & diffuſè hanc materiam tractans, inquit Caiet. duo conſideranda ſunt, actus.ſ. de quo eſt delectatio, cuius eſt etiam obiectum, & conſenſus ex parte actus; ſeu obiecti delectationis, iuxta illius naturam iudicādum eſt de delectatione, nam ſi eſt de peccato mortali, delectatio moroſa erit peccatum mortale, ſi de ueniali, ueniale. Ex parte uero perſonæ ſe delectantis, iudicanda eſt iuxta ueritatem deliberati conſenſus, nam ſi perſona cogitando de actu quantumcumque malo, delectetur, non aduertendo ad id de quo delectatur, ita quod ſi aduerteret nō approbaret, talis delectatio non eſt peccatum mortale, etiam ſi duraret per integrum diem, ob defectum conſenſus. At ſi aduertere incipit, & prævalente impetu concitatæ paſſionis, non plene aduertit, ſed antequam plene aduertat, delectatio facit curſum ſuum, nō eſt peccatum mortale, ſed ueniale, quia ſicut inaduertentia excuſat à mortali, quia excuſat à deliberatione, ita etiam excuſat non plena aduertentia, propter eādem rationem; ſine plena enim aduertentia non eſt habilis humana mens ad delibetādum, in cuius teſtimonium excuſantur à ſomno pollutionis ſurgētes, ſi quid mali eis complaceat; donec plenè aduertant, quid eis incumbit, quod enim illi patiuntur propter ſomnum, iſti patiuntur ptopter paſſionem inuoluntariam. Si autem plenè aduertit, & poſitiuè, ſeu expræſsè conſentit in illā, iam patet eſſe peccatum mortale, ſed ſi expreſsè nō conſentit, neq; diſſentit, & tamen in illa delectabili cogitatione perſeueret, conuincitur virtualiter conſentire, ex ipſa cōtinuatione delectationis non prohibitæ à voluntatis imperio, quando potuit & debuit, quia tunc mens hominis operam dabat actui peccati mortalis, quantum eſt ex parte actus, ſed excuſabatur à mortali ex eo, quod non erat uoluntarius, accedente autem tempore quo voluntas poteſt prohibere mentem à continuatione huius actus mali, tenetur uoluntas prohibere, ſicut, & cohibere manū à proſecutione alicuius actus mali inchoati in ſomno, aliàs ſibi imputatur, tanquam uolūtarius, cum potuerit, & debuerit prohibere, & non prohibuerit, reſiſtendo, & deteſtando. Dicimus reſiſtendo, & deteſtando, quia eſt differentia inter ſenſualitatē, & corporis partes, ut manus, pes, nam iſtæ obediunt rationi ſeruiliter, hoc eſt abſq; libertate, & reſiſtentia, at appetitus ſenſualis obedit quidem rationi, ſed politicè, hoc eſt cum libertate reſiſtendi, habet enim proprium motum, & impetum, quo concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ptopterea tacitus conſenſus non elicitur ex duratione delectationis, ſed per hoc quod uoluntas non

Duo de illa conſideranda obiectum, & cōſenſus.

Inaduertētia, & non plena aduertentia excuſant.

Plene aduertens, & non contradicens uirtualiter cōſentit.

Senſualitas pō ita ſubditur uoluntati ſicut manus.

Tacitus conſenſus unde habeatur.

non ſe illi opponit, cùm poteſt, & debet. Dicitur cum debet, quia aliquando uoluntas poteſt ſe illi opponere per remotionẽ occaſionis, & tamen non debet, ſed ſatis eſt, quod illam deteſtetur, ut in audientibus confeſſiones, & tractantibus caſus conſcientiæ, Sed cum de timorata conſcientia agitur, ut ſubdit Caiet. conſideranda eſt cauſa ob quam talis cogitatio delectabilis continuatur, quia ſi eſt ex illius complacentia, eſt uoluntaria, & moroſa, at ſi non eſt ex cõplacentia, ſed quia talis cogitatio, uel delectatio contemnitur tanquam debilis hoſtis, propter quam non timet ruere, confidens in conſtante ſua uoluntate, non peccat mortaliter, quia in ueritate non cõſentit, nec putat ſe illam delectationem continuare, ſed magis pati, nam iſta negligentia non cadit ſuper conſenſum ad uelle continuationem talis delectationis, ſed cadit ſuper conatum ad repellendum illam tanquam hoſtem, peccat tamen uenialiter, negligens extirpare bella, & pericula. Delectationis occaſiones non ſemper remouendæ. Illam continens nõ conſentit in eam.

Eſt etiam diſtinguendum ex parte rei de qua eſt delectatio, nam delectatio poteſt eſſe, uel de ipſo opere mortali, ut de homicidio, furto, adulterio, uel de modis quibus committi poſſunt huiuſmodi peccata, uel de vtroque; ſi delectatio ſit de ipſo opere malo, eſt peccatum mortale, ſi autem non ſit de ipso opere malo, ſed de nouis modis excogitatis, quibus committi poteſt, non eſt peccatum mortale, quia anima naturaliter delectatur inueniendo, & conferendo noua, & mira, ut quibus (exempli gratia) modis ſine proprio periculo poſſit offendi inimicus, aliquid difficile ſurripi, uel alteri perſuaderi, non quod opus malum placeat, uel de ipſo ſic cogitans delectetur, ſed delectatio eſt de ipſa cogitatione, & ſubtili inuentione; & ut plurimum eſt ueniale, tanquam cogitatio curioſa, & uana, propria illorum, qui huiuſmodi ſceleribus ſunt dediti, & poteſt etiam eſſe ſine peccato, & cum merito, ut ſi quis ex charitate hæc cogitet, ad arguendum, ſcribendo, uel concionando. Vt igitur delectatio ſit peccatum mortale quatuor concurrere debent. Primum, vt id de quo eſt delectatio, ſit peccatum mortale. Secundum, ut qui delectatur, aduertat ſe delectari. Tertium, ut non obſiſtat delectationi, eam à ſe depellere contemnens. Quartum, ut abſque rationabili cauſa omittat eam à ſe reijcere. Delectatio de modis cõmittendi peccatum nõ eſt de peccato. Vt ſit mortalis quatuor requirũtur. Caie. ibid & tomo 1 tract. 14.

Sed tria adhuc remanent dubia, quæ tractat Caiet. Primum eſt, an uoluntaria delectatio de cogitato actu licito, ſit peccatũ mortale, ut ſi quis cogitet de actu coniugali cum tali muliere, ſi eſſet ſua uxor, & uoluntarie delectetur de actu cogitato, nam uidetur, De delectatione conditionata ſi eſſet uxor.

uidetur, quod non ſit mortale, cum conſenſus in illum actum non ſit peccatum. Secundum eſt an uidua, quæ uoluntariè delectatur de coniugali actu præterito, peccet mortaliter, hæc duo dubia ſimul poſuimus, quia eadem eſt eorum ratio, & ſolutio, licet Caiet. dicat primum eſſe mortale, & non ſecundum: & propterea eſt primo notandum cum eodem Caiet. quod eiuſdem moris eſt delectari de præterito, præſenti, uel futuro, quia iſtæ differentiæ non uariant ſpeciem moris de bono in malum, nam iudex poteſt delectari de uindicta quam exercet, uel exercuit, uel exercere debet, contra perturbatores reipublicæ. Eſt ſecundo notãdum, quod aliud eſt loqui de delectatione actus coniugalis præteriti, uel futuri, ſimpliciter, uel conditionatè, aliud de concomitantibus hanc delectationem. Quibus ſuppoſitis, dicimus, quod uidua, quæ delectatur de præteritis actibus coniugij non peccat mortaliter, quia delectatur de operibus ſibi licitis, pro tempore quo fuerunt licita, imo poteſt etiã præteritas delectationes approbare, peccat tamen uenialiter in huiuſmodi memoria, quia huiuſmodi delectatio eſt ſine neceſſitate, & pietate. De illo autem, qui uoluntarie delectatur de actu licito conditionaliter, puta ſi eſſet vxor mea, Caiet. & Nau. dicunt, quod peccat mortaliter, quorum ratio ſumitur ex differentia inter conſenſum, & delectationem, nam tam conſenſus, quam deſiderium poteſt ferri in obiectum abſolutè, & conditionaliter, at delectatio uoluntaria conſequens obiectum interius appræhenſum, & concubitum, ſiue abſolute, ſiue conditionaliter, non poteſt diſtingui in delectationem conditionalem, uel abſolutam, ſed ex hoc ipſo, quod ineſt huiuſmodi delectatio uoluntarie, eſt ſimpliciter, & abſolute delectatio, unde (dicunt) cum quis deſiderat actum coniugij cum aliqua conditionaliter, id eſt ſi eſſet ſua, non peccat, ſed cum delectatur de huiuſmodi actu conditionali cogitato, delectatio non eſt conditionalis, quia conditionalis nihil ponit in eſſe, & propterea non ſpectat ad obiectum deſideratum, & cogitatum, quatenus eſt conditionale, ſed redit ad naturã ſui generis .ſ. delectationis moroſæ de illicito concubitu. Verum in hoc nulla eſt differentia inter uiduam, & conditionaliter ſe delectantem, nam ſi uoluntas conditionalis eſt licita, ex ea naſcitur licitum deſiderium, & licita ſpes conſequendi, ex quibus etiam uoluntas licitè delectatur, ſicut uidua licitè delectatur de præterito actu, & conditionatè delectatur, quatenus uellet eſſe cum uiro ſuo, ſi eſſet uiuus, ſicut, & coniugata cogitans de uiro abſente, ſi

ergo

Margin notes: De uidua ſe delectãte de actu coniugali præterito. — Solutio ſecundi. — De primo dubio Caie. & Nau. ſententia. — Secundi, & primi dubij eadem ſolutio.

ergo loquamur de delectatione uoluntatis cõſequente licitam
cogitationem, & licitum conſenſum, eadem eſt horum omniũ
ratio, quia iſta delectatio nõ eſt in ſenſualitate, ſed in uolũtate,
quæ vult, & ſibi complacet ſic fuiſſe, & uellet ſic eſſe, cum diſpli
centia præſentis cõcupiſcentię carnalis, quod etiam probatur,
nam certum eſt, quod ille, qui non eſt iudex, licite poteſt conci
pere vindictã, quam ſumeret cõtra perturbatores reipublicę ſi
eſſet iudex, & de illa, ut à iudice inflicta delectari, quod certe
nemo negabit, (dicimus licite, quantum eſt ex natura rei, quia
alia ratione poteſt eſſe peccatum ſaltem ueniale, quatenus, ſci-
licet ſunt cogitationes uanæ, inutiles, & periculoſæ, & in illis
maximè, qui ſunt incapaces illius ſtatus) Sed quia ex cogita-
tione actus coniugalis liciti, præteri, uel futuri, & ex eius de-
ſiderio, & uoluntatis complacentia, ſeu delectatione, ut de re li
cita, conſequitur in ſenſualitate carnalis delectatio, & periculũ
pollutionis, & etiam periculum interioris cõſenſus in carnis cõ
cupiſcentiã, & delectationẽ extra actũ coniugij, hac ratione cõ
ſurgit peccatũ moroſæ delectationis, tã in uidua, quã in coniu-
gata, & in coniugiũ expetẽte, eadẽ igitur eſt illorũ omniũ ratio.

Tertium dubiũ eſt an uoluntaria delectatio de uiſa pulchra
muliere, & tacta, ſit cõputanda inter peccata mortalia moroſæ
delectationis. Pro cuius ſolutione dicimus eſſe differentiã in-
ter uiſum, & locutionẽ, & inter tactũ, nã uiſus mulieris pulchrę,
ſecundũ ſe ipſum eſt delectabilis, & non eſt libidinoſus, niſi ex
parte uidẽtis ad malũ ordinetur, ſimiliter & loqui cũ muliere;
vnde uoluntaria delectatio aſpectus pulchræ mulieris, & locu-
tionis cũ ea, poteſt eſſe ſine peccato mortali, & etiã ſine ueniali,
& cũ uirtute, vt ſi quis delectetur ad laudãdũ Deũ in operibus
ſuis, & ex pulchritudine corporis, eleuetur ad pulchritudinẽ a-
nimæ; at tactus per oſcula, & amplexus, ut eſt ſecũdũ ſe delecta
bilis, & fit propter delectationẽ, eſt libidinoſus, ſicut & cõcubi-
tus, niſi matrimonij bono honeſtetur, nã delectatio sẽſibilis, ſe-
cũdũ tactũ oſculorũ, amplexũ, & huiuſmodi, eſt ſecũdũ ſe à na-
tura ordinata ad venerea, nõ ſic autẽ delectatio uiſus, & propte
rea illa ob ſolã delectationẽ exercita, sũt libidinoſa, nõ ſic autẽ
viſus. Ex quo ſequitur, ut inquit Nau. mortaliter peccare illũ, q
deliberato, & ſtabili aĩo, vult amplecti, oſculari, aut tãgere, aut
amplectitur, oſculatur, aut tãgit aliquã animo fruẽdi delectatio
ne carnali, q̃ naſcitur ex huiuſmodi actu, etiã ſi tactus ille nõ ſit
de ſe impudicus, & etiã ſi tãgeret perſonã, quã deſiderat, & ſpe-
rat in cõiugẽ accipere, ſed nõdum accepit, ille tamẽ appetitus,

De delectatione viſus, & tactus pulchræ mulieris.

Differentia inter uiſum, & tactum.

Nau. c. 16. nu. 11.

qui

qui naſcitur in ſenſualitate noſtra aliquid horum faciendi, antequam intellectus id aduertat, & uoluntas ei conſentiat, aut omittat eum expellere cum periculo conſentiendi, ſaltem in illam delectationem, non eſt peccatum mortale. Sed pro maiori declaratione adhuc diſtinguendum eſt de tactibus, nam quidam ſunt impudici. ſ. verendorum, & extra matrimonium ſunt peccata mortalia, & propterea non poſſunt fieri, nec permitti à non coniuge, niſi ex rationabili cauſa, puta infirmitatis; quidã autem de ſe non ſunt impudici, ut oſculum, amplexus, conſertio manuum, quæ licet ordinentur, & ſint præambula ad uenerea, ſunt tamen magis à remotis, & poſſunt non referri ad uenerea, ſed alio fine honeſtari, ut ſi fiant inter affines, & etiam inter alios, ſecundum morem, & conſuetudinem patriæ, ſecundum quem ex vrbanitate, & inſignum honeſtæ amicitiæ, recedentes, & à longè uenientes amplectuntur, & oſculantur, & ſi ſic fiant, ſine malo fine, non eſt peccatum, & eadem ratione excuſantur multi, qui honeſtè delectantur tangendo, oſculando, & amplexando pueros, puellas, cognatos, uel cognatas, & etiam illi, qui ſponſalia contraxerunt, nam ſicut alij tanquam affines, conſanguinei, & amici ex urbanitate honeſte ſe tangunt, ita etiã poſſunt iſti, & maiori libertate, etiam ubi non eſſet quoad alios conſuetudo patriæ, quia licet eis nondum liceat copula, nihilominus cum ſponſalia ſint initium matrimonij, concedunt facultatem fruendi honeſta uoluptate præambula, uoluptati matrimoniali, ut ex Caiet. inquit Nau. quæ omnia intelligenda ſunt dummodo non ſit probabile periculum pollutionis, uel conſentiendi in carnalem delectationem, & concupiſcentiam, ſed quia raro hæc fiunt ſine tali periculo, præſertim cum ſoli, ſecreto, ſe ſe oſculantur, amplectuntur, & tangunt, melius eſt fugere huiuſmodi pericula. Quod ſi aliqua credit ſe ab alio libidinoſe amplecti, & oſculari, & id non poteſt honeſtè, & ſine ſcandalo recuſare, quia ille coram alijs tanquam ex longinquo ueniens, & honeſtus amicus iuxta conſuetudinem id facit, non debet recuſare, quia non eſt omittendus actus uirtutis, propter dubium ſocij peccatum, & cum periculo alterius infamiæ.

Tactus in duplici ſunt differentia.

Dubium cum ſolutione.

De pollutione.

Dupliciter eſt uoluntaria directe, & indirecte.

Eſt tandem ultimo notandum de pollutione, quod pollutio ſi non eſt uoluntaria, non eſt peccatum, ſiue ſit in ſomno, ſiue in uigilia; ſi autem eſt uoluntaria eſt peccatum mortale, & unum de peccatis contra naturam, quod uocatur mollities, dupliciter autem eſt uoluntaria. Primo, directe cum. ſ. procuratur non ſolum immediatè, ſed etiam mediate comedendo calida, & il-

& illam prouocantia hac intentione, ſic.n.etiam eſt peccatum mortale, at comedere talia alio fine eſt ueniale, ut ex guloſitate, uel nullum eſt peccatum, ut ex medicina, & etiam quia ſunt appoſita. eſt etiam directè uoluntaria, quando ex ſe uenit, & ei præbetur conſenſus. 2. dicitur uoluntaria indirectè, cum poteſt, & debet prohiberi, & non prohibetur; utrumq; enim eſt neceſſarium ad indirectè uoluntarium culpabile, nam qui non poteſt prohibere, quia natura facit curſum ſuum, non tenetur ad impoſſibile, qui poteſt illam prohibere, remouendo occaſiones, ſed non tenetur illas tollere, non eſt in culpa, & non peccat ſi ei diſplicet, & contra ſuam uoluntatem ſequitur, ut ſæpe accidit doctoribus, & Confeſſoribus legentibus cogitantibus, & audientibus turpia, pietatis intuitu, ad concionandum, abſoluendum, & ſalutarem pœnitentiam iniungendam, at illi, qui ſine rationabili cauſa manent uoluntarie in cogitationibus turpibus, aut conuerſationibus ingerentibus ſibi huiuſmodi commotiones, incurrunt uoluntariam pollutionem, quia poſſunt, & debent tollere has occaſiones, niſi inaduertentia excuſet à mortali. Pollutio autem, quæ accidit in ſomno, quatenus in ſomno fit, non eſt uoluntaria, quia tunc eſt ligatus vſus rationis, & non eſt peccatum, ſed poteſt eſſe peccatum in ſua cauſa, ſeu potius effectus peccati, nam poteſt prouenire ex triplici cauſa, uel ab extrinſeca ſpirituali, ſcilicet dæmonum illuſione, qui phantaſmata commouent, uel à ſpirituali intrinſeca, ſcilicet à præcedentibus cogitationibus, uel ab intrinſeca corporali, ſcilicet ex ſuperfluitate, uel debilitate naturæ, aut ex ſuperfluitate cibi, uel potus, & quęlibet harum poteſt eſſe cum peccato mortali, & ueniali, & ſine peccato, poteſt etiam pollutio nocturna fieri peccatum ratione complacentiæ in plenaria euigilatione, & ſi ſit ex ſubretione, erit ueniale, ſi ex deliberato conſenſu propter delectationem, erit mortale, dicitur propter delectationem, quia complacentia pollutionis in ſomnis propter alleuiationem naturæ, aut mitigationem carnalem motuum ſine illius procuratione, non eſt peccatum.

De pollutione in ſomno. Poteſt prouenire ex triplici cauſa.

De

De ſtatibus diuerſarum perſonarum, & proprijs earum peccatis.

De peccatis Coniugatorum, In quibus caſibus poſsit vxor de bonis mariti facere eleemoſynam, Et quid faciendum ſit vxori, quæ ſibi partum ſuppoſuit, uel ex adulterio peperit. Cap. X I X.

PRopria coniugatorum peccata mortalia, de quibus ſunt particulariter interrogandi, ſunt multa. Primum, ſi cum aliquo impedimento ſcienter contraxerunt, ſine diſpenſatione, uel fraudulenter illam obtinuerunt, uel ſi poſtquam bona fide contraxerunt, detectum eſt impedimentum occultum, & non quæſierunt diſpenſationem, uel ante illam carnaliter ſe cognouerunt. 2. ſi ſuperuenit aliquod impedimentum, quod impediat petitionem, vel etiam redditionem debiti, & nihilominus illud petierunt, vel reddiderũt, & poteſt ſuperuenire impedimentum affinitatis per copulam, cum cognato, uel cognata, & qui illud contraxit non poteſt petere debitũ ante diſpenſationem, ſed tenetur reddere, de quo proprio loco, poteſt etiam ſuperuenire uotum, quod etiam potuit præcedere, loquendo de ſimplici, & qui illud habet, non poteſt petere debitum, ſed debet reddere, & ſi ambo de communi conſenſu uouerunt caſtitatem, non poſſunt petere, nec reddere. 3. multipliciter peccant peccato luxuriæ, ut ſi cum alio, uel alia, uel ſi, quando ſunt ſimul habent intentionem ad alium, uel aliam, & iuxta qualitatem perſonæ ad quam fertur intentio, eſt grauitas peccati. Si modo indebito ſimul conueniunt, si extra uas naturale, si extra actum coniugij polluuntur, uel tactibus impudicis exponuntur periculo pollutionis, nam licet eorum conunctio ſit carnalis, & libidinoſa, eſt nihilominus ſancta, ut ſacramentalis, & debet eſſe cum timore Dei, & non more meretricio, ad explendam libidinem.

De redditione debiti.

Quarto peccat qui, uel quæ ſine legitima cauſa coniugi uerbis, aut ſignis petenti debitum negat, loco, & tempore idoneis petitum, niſi petenti precibus contrarium ſuadeat, quæ tamen propter periculum, non debent eſſe nimis importunæ, & reddendum

dendum eſt etiam quibuſcumque diebus feſtis, etiam paſchatis non tamen eſt reddendum in loco publico, uel ſacro; excuſat etiam à reddendo, probabile periculum mortis, aut grauis infirmitatis, aut abortiendi. iuſta etiam cauſa denegandi debitum eſt ſi coniux ante conſummatum matrimonium uelit intrare religionem, cui aſſignandum eſt tempus bimeſtre, uel quod uir bonus arbitrabitur, poteſt etiam iuſtè denegari ob alterius adulterium, & maritus ſciens ſuam uxorem eſſe adulteram peccat ſi non ſe ſeparat ab ea, ſed petit, & reddit debitum, quia tenetur illam corrigere, & aliàs uidetur ei conſentire, at ſi adulterium eſt occultum, aut ſperat illam ſe emendaſſe, aut petit, ne ipſe incidat in adulterium, non peccat, ſi non ſe ab ea ſeparat, & ſi debitum petit, imo uxor adulterando amittit dotem, & maritus poteſt illam de adulterio accuſare, & petere dotem, ut lucratam, dummodo ipſe non ſit etiam adulteratus, nec adulterandi ei occaſionem præbuerit, nec illam tolerauerit poſtquam ſciuit adulteram fuiſſe, dummodo etiam ipſa non fuerit uim paſſa, uel non fuerit decepta ſub ſpecie mariti, uel etiam non nupſerit alteri, probabiliter credens uirum ſuum mortuum eſſe. Vxor autem communiter non peccat, non recedendo à marito, & petendo, & reddendo debitum, etiam ſi ſit publicus adulter, quia non eſt eius corrigere maritum, nec ob id putatur in eius adulterium conſentire. Videantur quæ diximus, libro 2. cap. 17.

An poſſit peti debitum ab uxore adultera.

Quando amittit dotem.

Vxor poteſt reddere debitū marito adultero.

Quinto peccat coniux potionem, uel aliud quid aſſumens uel conſorti præbens, ad impediendam conceptionem, etiam ſi id fiat ne habeantur filii pluſquam nutriri poſſunt, & ſi ſemen extra uas effundatur, peccatum eſt grauius, & contra naturam; ſed cum coniuges non obligentur ad petendum à ſe mutuo debitum, & licitum eis ſit deſiderare ne plures habeant filios, quam alere poſſint, poſſunt etiam de communi conſenſu abſtinere ſe à carnali copula, niſi eſſet periculum fornicationis, ut ex S.Ant. inquit Nauar. Aliqui dicunt coniugem mortaliter peccare ſi petit, aut reddit debitum tempore menſtrui, ſed cum Palud. & Nauar. dicimus, quod nec etiam peccat uenialiter, ſi petit, aut reddit ne ſit conſorti odio, uel ut fornicationem eius, aut propriam euitet, & nunquam, mortaliter, etiam ſi credat ex huiuſmodi complexu monſtrum aliquod conceptum iri, Conſummare etiam matrimonium ante benedictionem nuptialem non eſt mortale, nec etiam pri-

De conceptione, & debito.

De tēpore mēſtrui Nau.c.16. nu. 32.

Conſummare matrimoniū ante benedictionem non eſt mortale.

Concil. Trid. ſeſſ. 24.c.1. de refor.
Nau.c.22 nu.13.

mà uice, quod multi dixerunt, ut Sylu. Caiet. & alii, ſed modo clarius patet per Conc. Trid. quod hortatur contrahentes matrimonium ad benedictionem ſuſcipiendam ante eius conſummationem, & Nauar. ponderat, quod hortatur, & non præcipit, per quod ſignificat id eſſe de conſilio, & ita non eſſe peccatum ante illam conſummare. Sunt autem benedicendæ ſolum primæ nuptiæ, & licet aliqui dixerint ſecundas eſſe benedicendas quando uxor eſt uirgo, & non fuit benedicta, dicimus cum Abb. Hoſt. Dic. Ang. Roſ. Supl. Nau. & aliis, nec etiam iſtas eſſe benedicendas, cap. vir. de ſec. nupt.

Secundæ nuptiæ etiam uirgine non benedicta non benedicendæ.

Peccata mariti.

Sexto, maritus multis modis peccat in ordine ad ſuam vxorem; ſi abſque cauſa prohibet uxori ne diebus feſtis eat ad Miſſam, aut ne ieiunet in diebus ab Eccleſia ad id deputatis; peccat etiam ſi atrociter, & ſupra modum illam percutit, & ſi uerba iniurioſa in eam profert. Septimo è contra uxor etiam multis modis mortaliter peccat in ordine ad ſuum maritum, ut ſi eſt notabiliter ei inobediens in his, quæ pertinent ad regimen domus, & familiæ, & bonos mores, ſi iracundè, & litigioſè illum ad blaſphemiam prouocauit, ſi non vult ſequi maritum alio migrantem, quia tenetur ſub mortali eum comitari, niſi inter eos præceſſerit pactum ne maritus alio migret, tunc enim non teneretur, niſi uiro aliqua iuſta neceſſitas illinc diſcedendi ſuperueniat, ut morbus, uel capitalis inimicitia, non tenetur etiam ſequi maritum uagabundum, ſi tempore quo contraxerunt non ſolebat uagari, uel vxor hunc mariti morem ignorauit, at ſi ſciuiſſet à principio, teneretur eum ſequi, dummodo ob honeſtam cauſam, & ſine mortis periculo uagetur.

Peccata vxoris.

Quando tenetur ſequi uirū.

Octauo, peccant ſi alter accipit ſibi, uel alteri, aliquid notabile de boni ſui coniugis, nam furtum committunt, Vxor præter dotem, quam dedit marito pro oneribus matrimonii, habet bona paraphernalia, quæ ſunt ipſius, & ſi maritus illa ſibi, uel alteri accipit furtum committit, alienum contra ius vſurpans. Peccat etiam è contra uxor, quæ ſibi uel alteri accipit aliquid notabile de bonis mariti, nam tantum abeſt, quod poſſit aliquid pro ſuis conſanguineis, pro ludis; & pigmentis accipere, quod nec etiam poteſt ſine eius facultate, ad faciendam eleemoſynam. Dantur tamen aliqui caſus, in quibus vxor de bonis mariti, non petita ab eo licentia, poteſt facere eleemoſynam. Primus, ſi occurrat pauper in extrema neceſſitate exiſtens; dummodo maritus ob id non egeat extremè. Secundus, ſi conſuetudo patria habet, quod uxores eleemoſinam

De furtis côiugum.

Paraphernalia ſunt vxoris.

Quibus caſibus vxor poſſit facere eleemoſynam de bonis mariti.

ſinam panis, aut uini largiantur, quia poteſt credere, quod id marito placet, etiam ſi aliquando contradicit, quia veriſimile eſt, quod contradicat, ne eleemoſynas extra modum conſuetũ tribuat, at ſi crederet eum uere nolle, ut etiam conſuetam, & moderatam faciat, non debet dare, ut ex S. Ant. inquit Nauar. Tertius, cum facit ad euitandum aliquod damnum mariti temporale, ut fecit Abigail 1. Reg. 25. & multo magis ſi eam facit ad euitandum eius damnum ſpirituale, ut cum maritus eſt malignus, & illa moderate dat, ut Deus illum illuminet, modo ſine eius ſcandalo faciat. Quartus, cum maritus pro eius victu certum quid illi deputat, & ex eo parcius uiuens, reſeruat aliqua in pauperes eroganda. Quintus, ſi habet bona paraphernalia, de quibus ad uoluntatem uxor ſtatuere poteſt, niſi ubi conſuetudo, & ſtatuta prouinciæ aliter decernerent. Sextus, ſi dedit marito dotem ad ſe ſuſtentandum ſufficientem, & tenet aliquam artem texendi, ſuendi, acu pingendi, & ſimilem, qua non deſerendo debitam domus adminiſtrationem lucratur, nam ex ita lucrefactis poteſt facere eleemoſynam, dummodo ſua familia eis non indigeat, quia lege charitatis primo domeſticis ſubueniendum eſt, & dummodo lucra non ſint communia inter maritum, & uxorem, & adminiſtratio non ſit marito reſeruata. Palud. addit ſeptimum, ſi maritus ſit abſens, quia adminiſtratio domus ad eam ſpectat, niſi per illum, aut ſuperiorem aliter ſtatuatur, & octauum, ſi maritus ſit amens, ſed ut inquit Nauar. in his duobus caſibus poteſt ad ſummum dare, tantum quantum eius maritus ſanus, & præſens largiri ſolebat. Pro neceſſitatibus etiam domus, ſuæ ſi maritus ſit prodigus, uel decoctor, poteſt uxor clam aliqua accipere, & marito imperanti non reuelare, nec tradere, ut neceſſitatis tempore domui ſuæ prouideat, ut ex Ang. inquit Nau.

Nau. c. 17. nu. 3. 153.

Dubij ſolutio.

8 Nono, peccat uxor, quæ ſupponit ſibi partum fingẽdo ſe prægnantem, & parere filium, quem ſecreto accepit ab alio, uel quę cõcepit ex adulterio. Sed dubium eſt, quid faciẽdum ſit in iſto caſu ſi ſine periculo uxor non poteſt id ſignificare marito, nam filius putatiuus, & ſpurius ſuccedet in hæreditate patris putatiui. Reſpondetur utrumq; caſum haberi in terminis in cap. Officij de Pœn. & rem. ubi reſpondet Papa non eſſe illi pœnitentiã denegandam, & per diſcretum Confeſſorem eſſe illi competentem ſatisfactionem iniungendam. Supponit Papa, quod uxor ſine timore non poſſit id reuelare marito, & dicit non eſſe illi denegandam pœnitentiam, ex quo ſequitur, quod cum tali pe-

Quid faciet uxor, quæ ſibi partũ ſuppoſuit, vel ex adulterio peperit.

riculo non tenetur reuelare delictum ſuum marito, nam ſi tene-
retur, & nollet, nõ eſſet diſpoſita pro Sacramentali abſolutione,
Quando tenetur reuelare. ex quo facile deducitur huius difficultatis ſolutio. Dicimus
ergo primo, quod uxor, cum periculo uitæ, uel infamiæ, non te-
netur reuelare marito illum quem certo credit eſſe filium ſuũ,
non eſſe eius filium, ne cum præiudicio filiorum ſuorum in hæ-
reditate partem habeat, nec etiam tenetur, ſi credit, quod nul-
la ei fides adhiberetur; ſi autem credit, quod ei fides adhibe-
bitur, & nullum eſt periculum, tenetur reuelare. Quod non
teneatur cum periculo uitæ, habetur expræſſe in dicto cap. Offi-
cij. & non ſequimur Adrianum, nec diſtinctionem Soti, nec illã
Ioannis Medinæ, qui dicunt aliquando teneri cum dicto peri-
culo; nam Papa abſolute loquitur. Quod non teneatur cũ peri-
culo amittendi propriam famam, tenent Scotus S. Ant. & Caiet.
Scot. 4. d. 15. q. 2. S. Ant. 2. p tit. 1. c. 18. §. 8. & tit. 2. c. 7. §. 4. Caie. tom. 1. trac. 31. in reſp. 14. Nau. c. 16. nu. 44. quos citat, & ſequitur Nau. licet Sotus contrarium teneat, &
ratio Caiet. eſt, quia quemadmodum ceſſante iudiciaria coa-
ctione, non tenetur homo perdere uitam, aut libertatem, ut ſa-
tisfaciat debito pecuniario, ita nec tenetur mulier huiuſmodi,
perdere famam pro euitando damno alieno in re pecuniaria,
nam bona famæ ſunt altioris ordinis, quam bona pecuniaria,
melius eſt enim nomen bonum, quam diuitiæ multæ. Prou. 22.
& nemo tenetur reſtituere bona inferioris ordinis, cum iactu-
ra bonorum ordinis altioris, & confirmatur etiam ex d. cap. of-
ficij, nam Papa dicit, quod ſi mulier timet reuelare, &c. ubi ti-
moris nomine, non ſolum intelligendus eſt timor mortis, ſed
timor maioris mali, & conſtat, quod infamia eſt maius malum,
imo ſi communi conſanguineorum uoto creditur, tolerabilior
eſt mulieris ſeruitus, aut mors, quam eius infamia. Quod etiã
non teneatur ſi credit, quod ei nõ adhibebitur fides, quia non
poteſt probare, docet, & probat Abb. in d. c. Officii, quia ſeque-
retur ſcandalum sine ulla utilitate. Si autẽ mulier iam erat infa-
mata de adulterio, & probabiliter credit ſe abſq; periculo cor-
poris, & animæ poſſe id reuelare, & quod ſibi adhibebitur fides,
tenetur ſecũdũ omnes reuelare. Dicimus ſecundo, quod ſi mu-
Pro ſatisfactione habet quinque remedia. lier non poteſt id reuelare marito, pro ſatisfactione partis læſę,
habet quinque remedia, & ſi nullum horũ poteſt, ſufficit ei pœ-
nitentia. Primum eſt ſi habet bona paraphernalia, ſeu alia pro-
pria, quæ poſſit ad libitum diſtribuere, tenetur de huiuſmodi
bonis defraudatis ſatisfacere, & quando hac uia poſſet plene ſa-
tisfacere, non teneretur reuelare delictum ſuum, etiam ſi nullũ
eſſet periculum. Si hoc non poteſt, eſt ſecundum remedium,

ut per-

ut perſuadeat filio putatiuo,& ſpurio,ut religionem ingradiatur,aut talem ſtatum uiuendi accipiat,ut portio hæreditatis alijs debita,ad eum non perueniat, facto ante religionis ingreſſum,ſeu profeſſionem teſtamento,ut nec etiā in ea ſuccedat religio. Si hoc non poteſt,habet tertium remediū,bona.ſ.mariti augere tanto plus laborādo vltra quam per matrimonium obligatur,& tanto minus expēdendo in ueſtitum,& uictum, de his quæ honeſte impendere poteſt;at ſi hoc non ſufficit etiam cum paraphernalibus,eſt quartum remedium dare operam, ut ille cuius eſt filius ſatisfaciat ſicut ſatisfacere tenetur,ut docet cōmunis ſententia à qua diſcrepat Sotus, ſed ſine ſufficiēti ratione,ut contra ipſum dicit,& probat Nau. Si hoc non ſufficit, eſt quintum remedium id reuelare filio, ſi credit quod ei adhibebit fidem,& aliis ſuam partem hæreditatis relinquet. Dicimus tertio,quod adulter,& filius non tenētur credere mulieri cum non poſsit ſufficienter probare,& ſi credunt tenentur ſatisfacere parti læſæ. non loquimur de illo, qui dedit filium ad ſupponendum,nam iſte eſt certus,& tanquam certus tenetur ſatisfacere, ſed de adultero, nam mulier potuit eſſe etiam cum uiro ſuo,uel cum alio,& fingere,quod ex illo conceperit. Filius etiā non tenetur credere matri,dicit tamen Ioannes Medina, quod ſi mater benigne,& amanter eum tractauit,& eſt moribus reformata,& timoratæ conſcientiæ,& propriæ famæ amica, nec mentiri ſolita,maxime ſi in articulo mortis ſit, aut tempore ſacro, puta hebdommada ſancta,quando factum filio ſpurio reuelat, filius tenetur ei credere, cum non habeat ad oppoſitum credendum efficaciorem cauſam; ſed adhuc dicimus, quod iſtis omnibus concurrentibus non tenetur ei credere, illa enim inducunt ad credendum,quod adulterium comiſerit, & quod ipſa credit,ſe ex adulterio cōcepiſſe,in quo poteſt decipi, nam cum maritus certo credat,quod ſit eius filius,neceſſarium eſt,quod circa tempus conceptionis, cum uxore concubuerit, & ex illo concubitu potuit ſequi conceptio. Dicimus quarto, dato quod reſtitutio ſit facienda,ſi reſtitutio ſit poſt aditam hæreditatem,cum certum ſit quanta fuerit filiorum læſio,certum etiā eſt quantum ſit eis reſtituendum,at ſi reſtitutio ſit ante aditam hæreditatem, non debet reſtitui tantum quanti ualet hæreditas, ſed multo minus iuxta arbitrium prudentis, & boni uiri, nam poſſet filius mori ante patrem putatiuum, & non ſuccedere in hæreditate.

Adulter, & filius nō tenentur credere mulieri.

Med. Cod. de rebus reſtituendis q.3. cauſa 4.

Quantum ſit reſtituendum.

De Quarto Præcepto, & de ſtatibus, qui ad illud reducuntur, & proprijs illorum peccatis.

De ſtatu, & peccatis parentum in ordine ad filios, de proprijs filiorum bonis, & de teſtamentis. Cap. XX.

Parẽtum nomine, qui intelligantur.

CVm coniugati generẽt filios, agemus hoc loco de quarto præcepto decalogi, ad quod pertinet cura, quam parentes debent habere de filijs, & reuerentia, quam filij debent exhibere parentibus, & licet parentum nomine proprie intelligantur, qui nos genuerunt, & etiam cognati, patria, & amici, ſecundario tamen etiam intelliguntur gubernatores, Eccleſiaſtici, & ſeculares, & qui noſtri curam gerunt, vt tutores, & curatores. Et ut à ſtatu parentum, qui nos genuerunt incipiamus, peccat pater ſi notabiliter negligit prouidere illa, quæ pertinent ad filij neceſſitatem ſpiritualem, uel corporalem cum poſſit; ſi filios mittit ob auaritiam ad hoſpitalia pauperum, uel in locis publicis, aut priuatis exponit, uel ſi cum poſſit, non vult filias etiam ſpurias dotare. Peccat mater, quæ filium proprio lacte non nutrit, uel notabiliter negligit querere bonam nutricem, uel gerere curam circa bonam filij educationem, uel ſi vſque ad triennium non ei miniſtrat neceſſaria, nam deinceps pater tenetur omnia neceſſaria filio prouidere niſi ſit pauper. Peccant parentes ſi abſque cauſa reuocant uota filiorum, quæ bona eorum venia fecerant, ſi conſulunt, uel illos cogunt ad cõiugium poſt uorum continẽtiæ in debita ætate ab eis emiſſum; ſi ui uel dolo illos in ætate ſufficienti exiſtentes à religione, quam ingreſſi fuerant reuocant. Si dolis, aut minis filiam religionem intrare cogunt, in quo caſu per Conc. Trid. ſunt excommunicati. Si patiuntur filias amatores habere, & inhoneſtam vitam agere, & ſponſalibus contractis ante matrimonium, cum ſponſibus commiſceri, uel ab eis tactibus impudicis, & enormibus tangi, licet ab eis honeſte oſculari, & amplecti poſſint.

De proprijs filiorũ bonis.

Cum autem pater peccet etiam mortaliter bona filiorum indebite vſurpando, & dando, cum obligatione reſtituendi, uidendum eſt, quæ ſint propria bona filiorum uiuente patre, & dicimus

mus cum Nau.eſſe quatuor bonorum,ſeu peculiorum genera; ſcilicet Caſtrenſia,quaſi Caſtrenſia Aduentitia,& profectitia. Caſtrenſe eſt,quod filius in bello acquirit, & hæc bona ſunt ſolius filij,tam quo ad vſum frctuũ, quam quoad dominium, & in eis pater nihil habet. Et eodem modo ſunt ſolius filij, bona quaſi caſtrenſia, illa.ſ.quæ acquirit aliquo officio publico puta Medici,Aduocati,Scribæ, Magiſtri in aliqua ſeptem artium liberalium,aut quouis alio publico, propter quod ſtipẽdium publicum accipit,aut beneficio Regis, uel Reginę, & quæ clerici ſuis officijs clericalibus, aut ſuis beneficijs, curam animarum habentibus,aut non habentibus,cum adminiſtratione, aut ſine ea acquirunt,in quibus omnibus pater nil iuris habet,ſicut nec in caſtrenſibus. Peculium aduentitium,eſt peculium filij familias non caſtrenſe,nec quaſi caſtrenſe, aliunde quam à patre ex bonis eius,aut ob gratiam illius principaliter habitum, qualia ſunt bona hæreditario iure à matre,aut à ſuis cognatis,aut amicis,& ſuo labore, induſtria, aut fauente fortuna parta; & in his bonis, aut peculijs, proprietas eſt filij, & vſus fructus patris, quamdiu viuit,regulariter,nam ſi is,qui donauit,aut reliquit filio,uetuit ne patri quæreretur vſus fructus, pater non habebit illum. Peculium profectitium aliqui dicunt eſſe peculium filij familias habitum à patre, aut eius cauſa, aut de eius bonis, nec ad bellum,nec ad officia publica pertinens, in quibus tam proprietas,quam vſus fructus eſt patris, ſed melius cum Nau. dicitur eſſe aliquod mixtum partim aduentitium, partim profectitium,quod.ſ.filius ſuo labore, & induſtria ex bonis paternis aut in eiſdem acquirit. nam licet filius quicquid ex illis bonis acquirit,patri acquirat,filius tamen ob ſuum laborem,& induſtriam meretur præmium, & tanto plus, quam cæteri fratres debet habere de bonis paternis,quanto pluſquam illis in eis acquirendis laborauit, aut certe tantum quantum mercedis ſolui debet alij extraneo,qui tantundem laboraret, aut dimidium eorum,quæ de bonis,& pecunia,etiam clandeſtine accepta,per ſuam induſtriam lucratur;& quod ob ſuum laborẽ, & induſtriã promeretur eſt eius;duobus tamen concurrentibus. Primũ eſt, quod filius patrem ſuſtentare non teneatur, quia habet unde viuat; alterum eſt, quod expræſſe, aut tacitè proteſtetur ſe eo animo ſeruire,ut pater ob ſuam operam,& laborem,det ei tantum quantum alteri extraneo dare deberet, ſi ipſe ei non ſeruiret.

Nau.c.17. nu. 141.

Caſtrẽſia.

Quaſi caſtrenſia.

Aduentitia.

Profectitia.

Ex quibus colliguntur cum Nau.modi quibus pater ratione

bonorum mortaliter peccat contra filios. Primus, accipiendo ſibi, uel alteri aliquid notabile à ſuo filio familias, ex bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus, aut fructibus eorum, cũ obligatione reſtituendi. Secundus, accipiendo ſibi, uel alteri, aliquid notabile quo ad proprietatem de bonis aduentitijs ſui filij familias. Tertius adminiſtrando ea ita male, ut notabiliter lædatur, ſiue habeat uſumfructum, ſiue nõ, quo caſu alij fratres hæredes poſt obitum patris, cum bona inter ſe diuiſerint damnum illud reſarcire tenentur, at ſi pater habebat vſumfructum, & non damnificauit proprietatem, ſed ſolum fructus illorum, nec pater, nec filius, ob illud ad aliquam reſtitutionem tenentur. Quartus, inducendo per metum ſaltem reuerentialem, aut dolum, & fraudem, filium ſuum, uel filiam, ut ſuæ legitimæ, uel patrimonio renuncier, cum iuramento ſe contentam fore dote minore legitima, cum obligatione reſtituendi, at ſi ſponte ſine metu, & fraude, renunciaret, teneretur ſeruare iuramentum in foro conſcientiæ, etiam ſi enormiſsime læderetur, non tamen in foro exteriori, quia ex tali damno dolus, & fraus præſumitur. Quintus, ſi unus filius, & non alij, patri ſuo ſeruit, cum proteſtatione expræſſa, uel tacita, quod vult ob ſuam operam, & laborem quantum alteri extraneo deberet, ſi ipſe nõ ſeruiret, & non ei dat ſaltem poſt mortem, quo caſu eo mortuo poteſt à fratribus cohæredibus, qui non ſeruierunt ſuam mercedem petere, ſecus ſi non eſt proteſtatus, quia cenſetur id feciſſe amore filiali. 6. ſi ex odio, uel inordinato amore vnum alteri præfert, & plus uni, quam alteri relinquit, ubi notandũ eſt, quod quamuis pater non poſſit in uita aliquid donare filio, ſicut, nec maritus uxori, niſi incertis caſibus, quia pro una, & eadem perſona reputantur, ut ſic magis conſeruetur amor, reuerentia, & obedientia filij erga patrem, quæ facile tolleretur ſi pater irreuocabilem ſuorum bonorum donationem filio faceret; ob quam cauſam leges ſtatuerunt, ut nec illã facere poſsit, & ſi facit nihilominus tanquam nulla ſit reuocabilis, licet morte confirmetur, & ob eandem cauſam iuſtificãtur leges Regnorum Nauarræ, & Aragoniæ, quibus permittitur patribus exhæredare filios relictis ſingulis eorum quinis ſolidis, & ſingulis prædiolis, ut ſic filij magis contineantur in officio, & obediẽtia paterna, ne dicant, filius vnicus ſum parentibus meis, in omnibus eorum bonis ſuccedam, uel ſaltem in legitima, quam mihi tollere non poſſunt: Neq; obſtat, quod communiter dicitur legitimam partem bonorum parentum iure naturæ deberi filijs, nam

De teſtamentis.

nam ius naturæ eſt reſpectu filiorum pauperum, debilium, infirmorum, & inhabilium ad honeſte ſuſtentandum ſe ſua arte, & labore, quibus parentes iure naturæ non ſolum tenentur relinquere legitimam, ſed etiam maiorem partem iuxta eorum indigentiã, quamuis igitur pater non poſſit in uita donare filijs, in morte tamen poteſt relinquere plus uni, quam alteri; & licet ex æquitate, debeat maiorem partem hæreditatis relinquere filio meliori, quando non vult omnes in æquali parte ſuccedere, non tamen peccat ſi maiorem relinquit minus digno, vt tenet, & probat Couar. in reg. peccatum 2. p. relect. §. 7. addo, ſaltem mortaliter, quia non peccat contra iuſtitiam diſtributiuã. nam pater diſtribuens bona inter filios, non tenetur legibus iuſtitiæ diſtributiuæ, quæ ſolum ligat eos, qui publica poteſtate, publica, & communia bona, & officia diſtribuũt, & nulla eſt lex, quæ illi formam tribuat diſtribuendi illa, quæ ad libitum relinquere poteſt, nec contra iuſtitiam commutatiuam, quia illis nõ tenetur relinquere niſi legitimas, & quæ ultra legitimas habet, poteſt tanquam ſuorum bonorum dominus ad libitum relinquere, & non ſunt propria dignioris, nec ut propria ei neceſſario debentur, & in datione ad liberalitatem pertinente, non eſt acceptio perſonarum, nec uiolatur iuſtitia. Caueat pater, ut inæqualem diſtributionem non faciat ex odio, & ſi mouetur ex inordinato amore erga aliquem, non propterea mortaliter peccat, cum non faciat contra iuſtitiam, nec quilibet amor inordinatus ſit peccatum mortale, recta autem ratio exigere uidetur quod relictis illis, quę vult ad pias cauſas, & filijs, partibus iure debitis, reliquum æquis portionibus filijs relinquat, recta etiã ratio ſuadere poteſt, quod illud toti uni, uel aliquibus relinquat, & non alijs, nam ſi vnus habet bona propria, uel nutritus fuit in ſtudijs, & eſt doctor, & poteſt lucrari, & alij magis egent, & non ſunt ita ad lucrandum idonei, poteſt iſtis maiorem hæreditatis partem facere, ſimiliter, & illis, qui non ſunt ad diſsipandum debiti, dummodo, ut diximus alij non defraudentur parte eis iure debita. Id autem, quod aliqui dicunt teſtatores, qui non habent liberos, aut parentes, qui ſint neceſſarii hæredes, teneri relinquere bona cognatis niſi ſint mali, & indigni, limitandum eſt cum Nau. vt intelligatur de cognatis extreme egentibus, quibus nullus alius proximior cognatus eſt, qui eos alere poſsit, & velit, quia nulla eſt lex naturalis diuina, uel humana ad plus de præcepto obligans, quod ſi non ſint in hac extrema neceſſitate, de rigore nihil eis tenentur relinquere, imo pa-

ter totum id, quod ſupereſt, ultra partes legitimas filiis, de iure debitas, poteſt de rigore relinquere extraneo, & dicere filiis, ut quiſque tollat, quod ſuum eſt, & uadat, nec ob id eſt illis deneganda abſolutio, quod ſi ex odio faciunt, & nolunt mutare teſtamentum, diſtinguat prudens Confeſſor peccatum à non peccato, & niſi odium depoſuerint non abſoluat, ſi autem dicunt ſe odium depoſuiſſe, & de habito pęnitere, ſed nolle mutare teſtamentum, ſunt abſoluendi, & non poteſt ad hoc illos cogere etiam ſi in eo uenialiter peccarent, nam veniale non impedit effectum Sacraměti, nec tollit gratiam, quód ideo diximus, quia inueniuntur Confeſſarij, qui cum infirmis, & in extremis laborantibus conſanguineorum potius, quã animæ cauſam tractant, & illos abſoluere nolunt niſi teſtamentum mutauerint, & iuxta conſanguineorum volũtatem fecerint, vnde etiam illos ſæpe ad deſperationem inducunt.

De ſtatu, & peccatis filiorum contra parentes. Cap. XXI.

MOrtaliter peccat filius primo ſi parětes grauiter odio habet, vel eis graue damnum deſiderat. 2. ſi nunquam, uel raro ſigna amoris illis oſtendit, ſed ſemper illos toruo intuetur aſpectu, & ita aſpere alloquitur, ac ſi eos odio haberet, etiam ſi uerè odio non habeat, ſed diligat, quia corde, uerbis, & operibus tenemur eos diligere, & reuereri, 3. ſi in pertinentibus ad regimen, & gubernationem domus, & rei familiaris, & ad bonos mores, & ſalutem animæ, non vult eis obedire, in alijs autem non obedire, non eſt mortale. 4. ſi illos etiam leuiter percutit, vel contumelioſis uerbis cum animi deliberatione eos ad notabilem iracũdiam prouocat, uel ipſis uiuis, aut etiam mortuis ex animo maledicit. 5. ſi alicuius criminis eos accuſat, niſi eſſet hæreſis, uel proditionis in Regem, uel Rempublicam. 6. ſi illos ita contemnit, ut ſibi dedecori, & contumeliæ futurum eſſe exiſtimet, ſe pro illorum filio haberi, at ſi id facit abſque contemptu, ad euitandum aliquod incommodum, non peccaret mortaliter, maximè parětibus tacitè, uel expræſsè pro bono filij, quod etiam in eos redundabit, conſentientibus. 7. ſi ducturus uxorem, ſine rationabili cauſa, non vult accipere illam, quam pater ſumere pręcipit, ut illo matrimonio inimicitiæ periculoſæ ſopiantur, uel contra præceptum paternum, ſe minime dignam uxorem accipit,

pit,nam licet matrimonia ſint libera,& pater non poſſit exhæredare filiam eo, quod contra ipſius uoluntatem maritum etiam ſe indignum accepit,nihilominus male facit, & patri iniuriam irrogat, & conſequenter peccat mortaliter ſine rationabili cauſa,quæ ſaltem coram Deo ei iuſta videatur patris uoluntati cõtraueniendo,unde cap. 1. de ſpon. impub. dicitur filium teneri ducere vxorem illam de qua aſſumenda paciſcitur pater. 8. ſi illis mortem deſiderat, ut citius ipſorum hæreditatem conſequatur. 9. ſi prohibuit ne teſtarentur, vel ipſorum animos à reſtituendis alienis auertit. 10. ſi parentibus in magna neceſſitate exiſtentibus non ſubuenit, & ſi ſint in extrema neceſsitate,& eius auxilio,& ope indigent,non poteſt ingredi religionẽ, & ingreſſus tenetur egredi, etiam ſi eſſet profeſſus, dummodo uериſimile ſit, quod egrediendo ipſis ſubuenire poſſit, quod ſi eorum neceſſitas non eſt extrema, ſed eſt talis, quæ obligat filium ex præcepto ad eorum inopiam ſubleuandam,& nõ alios, peccat ingrediendo religionem,ut inquit S. Tho. in hoc tamen caſu,ſi eſt profeſſus non tenetur exire, cum neceſſitas nõ ſit extrema, ſed in ſuo ſtatu perſeuerando pro uiribus eis ſubuenire debet,per quod conciliantur ſententiæ S.Thom.& Nic.de lyra, quæ uidentur contrariæ. 11. ſi ex paterna hæreditate aliqua habuit,quæ ſcit iniuſtè,ut per uſuras,acquiſita fuiſſe,& illa non reſtituit. 12. ſi ex negligentia, uel auaritia diu differt debita patris defuncti perſoluere,uel legata teſtamenti adimplere,exigui tamen temporis procraſtinatio,non uidetur peccatũ mortale,imo nec veniale,ſi id fiat, ut bona defuncti melius uendantur,ad copioſiores eleemoſynas faciendas, hæc tamen intentio non ſufficeret ad diutius differendum ſecundum S. Tho. 13 ſi aliquid notabile ex bonis paternis contra eius uoluntatem accepit, etiam ſi accepiſſet ad dandam eleemoſynam non egenti extreme,& tenetur id reſtituere patri, uel eius hæredibus, ſingulis pro rata, niſi pater uiuens illud ei condonarit, nam licet donatio à patre facta filio non teneat,& reuocari poſſit, confirmatur tamen morte. Imo peccat etiam mortaliter, & tenetur reſtituere ſi accipit ex fructibus bonorum ſuorum aduentitiorum,quia licet illorum bonorum proprietas ſit filij, illorum tà men uſusfructus eſt patris,& etiam ſi accipit ex ipſis bonis aduẽtitijs,quia eſt in præiudicium patris, qui habet illorum vsũfructum, & multo magis ſi accipit ex bonis profectitijs,quia illorum proprietas,& uſusfructus eſt patris. 14. peccat ſi non vult ponere in commune diuidendum, & dare pro rata fratribus

S.Th. 2.2. q.101.ar.4.

Lyr. Mat. 15.

S.Th. quo lib. 6. art. 14.

bus cohæredibus, id quod á patre uiuente habuit, uel de bonis paternis eſt lucratus in caſibus, in quibus tenetur; quæ autem ſint iſta, quæ conferre debet, á iuris peritis accipiet, & confeſſarius quando occurrit caſus, ſi neſcit, quid diſponant leges, á pœnitente illam diſpoſitionem exigat, ut ſit paratus etiam ſine lite exequi id quod á peritis de iure cognouerit, poterit etiam ipſe iuris peritos cõſulere, & ex legum diſpoſitione, & propriis conditionibus, seu accidentibus iudicare ad quid in conſcientia teneatur, ne dum facilis eſt in proferenda ſententia, illum in furto confirmet.

De statu, & peccatis Clericorum, Curatorum, Religioſorum, Concionatorum, & Epiſcoporum. Cap. XXII.

Clerici habent multa priuilegia, inter quæ unum eſt præcipuum, quod tanquam Domino conſecrati ſunt exempti á iuriſdictione ſeculari, & non poſſunt conueniri coram Iudice ſeculari. Et multi uoluerunt hoc eſſe de iure diuino, de quo uide Couar. Pract. quæſt. cap. 31. ubi hanc quæſtionem diffuſe tractat. & Papa pro illius conſeruatione maxime laborat, dum ſingulis annis illud uiolantes excommunicat, & abſolutionem ſibi reſeruat. Et cum fuerint aliqui Papæ ſchiſmatici, qui vt aliquas Ciuitates, ad reddendam ſibi obedientiam allicerent, multa eis cõceſſerunt priuilegia in deſtructionem potius, quam in ædificationem (quæ poſtea per Concilia, & Bullas, præcipue Cœnæ Domini fuerunt ſublata, quod ipſimet laici cognoſcunt, dum uolunt firma eſſe quatenus pro ipſis faciunt, & non quatenus ſunt contra ipſos) illorum tamen executionem, & cauſæ cognitionem, Ordinarijs commiſerunt, Diuina in hoc eis aſsiſtente gratia. Turris Crem. 11. q. 1. Super cap. Clericum, quærit an clericus de permiſsione Epiſcopi, poſſit duci coram Iudice ſeculari, & diſtinguendo reſpõdet, quod Epiſcopus clericum contumacem, & incorrigibilem, poteſt tradere curiæ ſeculari, non tamen poteſt alium tradere, & tradens ſuſpenditur ab officio, & ratio diuerſitatis eſt, quia in priori caſu, Epiſcopus, ſeu illius Vicarius, illum iudicauit, ut eius legitimus iudex, & pro executione ſententiæ, inuocat brachium ſeculare, quod licet, in poſteriori uero, clericum ſubdit iudicio fori ſecularis, quod nõ licet. Et ſi Epiſcopus id facit per confirmationẽ ſtatuti, ſub intrat Bulla Inter Apoſtolicas Greg. xiii.

Et con-

Et cõfirmatur, quia ſi non poteſt Iudex Eccleſiaſticus committere laico, ut clericum capiat, torqueat, etiam correctionis gratia, quando id poteſt facere per clericum, aliàs præcipiens, & obediens ſunt excommunicati ext. de ſent. exco. cap. Vniuerſitatis, multo minus poterit Epiſcopus, Clericos ſubdere iudicio fori ſecularis. Nec obſtat ſi dicatur, quod renunciat iuri ſuo, nam cum hoc ius ſit principaliter introductum in fauorem publicum, non poteſt ei renunciare, præſertim, quia hoc eſt minuere priuilegium clericorum, quod Epiſcopus minuere non poteſt, ſicut nec in illius fraudem proprium nomen, aut iuriſdictionem tribuere. Et Conc. Cartag. in c. Placuit. 11. q. 1. dicit, quod relinquens iudiciũ Eccleſiaſticũ, & inuocans ſeculare, inique de Eccleſię cõſortio iudicat. Ad quod etiã facit Bulla in Cœna Domini, in qua ſunt omnes clauſulæ derogatoriæ, quæ deſiderari poſſunt, uigore quarũ derogatur ipſi met Sacro Concilio Tridentino, nam cum Epiſcopi uigore Sacri Concilij, poſſint abſoluere ſibi ſubditos ab omnibus caſibus etiam Sedi Apoſtolicę reſeruatis, etiam hæreſis, occultis tamen, & in foro cõſcientiæ, hoc priuilegium quoad caſus Bullæ Cœnæ Domini, eſt eis uigore dictæ bullæ ſublatum, ſicut etiam priuilegia Regulariũ, quo ad dictos caſus, ut diximus lib. 2. cap. 25. multo magis igitur earum uigore derogatur quibuſcumque contra Eccleſiaſticam libertatem facientibus. Et Epiſcopi non poſſunt aliquid diſponere, aut confirmare, aut proprium nomen tribuere contra dictam Bullam, alias in cenſuras Bullæ incidenr.

Ex his, quæ diximus de cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, de Horis Canonicis, & Sacrificio Miſſæ, & quæ etiam in ſequenti libro dicemus de Simonia, manifeſtum eſt, quam multipliciter peccent eccleſiaſtici, & ſicut iſta eorũ peccata, ut explicata præſupponimus, ita etiam quædam alia præcipua, ut per ſe nota attingemus, & ibi ſolum immorabimur, ubi opus fuerit. Peccant igitur, ſi irregulares, aut aliqua cenſura Eccleſiaſtica ligati, aliquem ordinem ſuſceperunt, uel ſuſceptum exercuerunt, uel Eccleſiaſticum beneficium acceperunt, aut ſimoniacè: & etiam ſi non recitant horas canonicas, uel ſine attentione; ſimiliter etiã ratione Sacrificij Miſſæ, multipliciter peccãt, ut ex dictis patet; vnum tamen, quod diffuſe tractaui, data opera repetam, quod ſcilicet, non ſatisfaciunt Sacerdotes, qui acceptis pluribus eleemoſynis, pro pluribus Miſsis, vnam ſolum pro illis omnibus dicunt, & quod non poſſunt retenta parte eleemoſynæ, illas alteri Sacerdoti, minori eleemoſyna data, dicendas committere.

Pec-

Peccant etiam ſi non incedunt in habitu,& tonſura;ſi ordinum actus in peccato mortali exercent; ſi ſecularibus negocijs implicantur; ſi mulieres ſuſpectas domi retinent, uel cum illis familiaritatem habent.

Confeſſorum.& curatorum peccata.

Confeſſores etiam peccant ſi abſoluunt quos non debent,vel à quibus non debent;ſi non interrogant quando opus eſt; ſi indebite,& impertinētia interrogant, & multis etiam alijs modis, ut ex his, quæ de Confeſſione diximus facile elicitur. Ex his etiam,quæ de Matrimonio diximus, conſtat Curatos peccare, ſi interſunt matrimonijs clandeſtinis; ſi debitas denūciationes omittunr; ſi illos matrimonio coniungunt inter quos conſtat eſſe aliquod impedimentum ante obtentam diſpenſationem;at

Caſus de Matrimonio.

ſi affirmatum fuit impedimentum,& poſtea negatur,& non poteſt probari illos ſuper eorum conſcientia coniungere debet, quia Eccleſia non iudicar de occultis, & noſtro tempore accidit caſus,nam quidam ſtatim mortua uxore uolebat contrahere cum concubina,quam uiuente vxore domi habebat, & Parocho interroganti an id ei promiſerit, reſpondit affirmatiuè, & cum ei diceret,quod non poſſet illam ducere, propter adulterium cum promiſſione de contrahendo mortua uxore; cognito impedimento,dixit nullam præceſsiſſe promiſsionem, & ſe mētitum fuiſſe,conſulta fuit Sacra Pœnitentiariæ Congregatio, & reſpondit coniungendos eſſe. Peccant etiam Curati benedicentes ſecundas nuptias, altero etiam tantum coniuge exiſtente benedicto. Si non ſcribunt diligenter in libro ad id deputato matrimonia,& eorum teſtes,debent etiam diligenter notare, qui baptizantur,& tenentes ad baptiſmum;ſi habent in ſuis Eccleſijs fontem baptiſmalem. Similiter etiam illos, qui confirmantur,& qui eos tenent, licet confirmentur in Eccleſia Cathedrali,quod eis erit facile ſi iuſſerint,ut confirmati pro ſoluenda faſcia ad ipſos accedant ſicut accedere debent. Peccant etiam, ſi meretrices,& publicos concubinarios non corrigunr,& quantum ex ipſis eſt, illos ex proprijs parochijs non eijciunt, ſed cū ipſi ſoli non ſufficiāt,excuſantur per hoc, quod Ordinario rem, ut ſe habet ſignificanr. Peccant ſi publicos peccatores ſine publica ſatisfactione ad Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum admittunr,etiam ſi fidem portent de abſolutione obtenra, quo caſu illis dicant,quod cum notorium ſit in eorum parochijs, illas eſſe meretrices,uel concubinas, & illos eſſe concubinarios & uſurarios,debet etiam cōſtare eos reliquiſſe ſtatum peccati. Et licet nullus teneatur confiteri proprio curato, ſtantibus priuile-

uilegiis Religioſorum de audiendis confeſsionibus, & in Paſchate etiam omnes poſsint, vbi eſt conſuetudo in Cathedrali Eccleſia communicare, non propterea ſequitur, quod non poſſint ſuas oues agnoſcere, ſi uigilare uoluerint, & ſicut debēt publicis peccatoribus Euchariſtiæ Sacramentum denegare, ita etiam prope Paſcha debent eis prohibere ne ad illud accedant, & ſi acceſſerint contra illos agant, ſed cum neceſſarium ſit multa tolerare ad euitandum maiora mala, in articulo mortis debent maxime eorum uigilantiam oſtendere, & non dare ſanctū canibus, nec proiicere margaritas ante porcos, non quod extra illud periculum ſit dandum, ſed quia in eo illi neceſſario ſunt uocandi, pro Sacramentis Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis, & ut Eccleſiaſtica ſepultura illis detur. Ratione beneficiorum multipliciter etiam peccatur, ut ſi ſimoniace acquirantur, ſi ſine iuſto titulo accipiuntur, & retinentur, ſi ante debitam ætatem, ſi obtento ſecundo non renunciatur primum, niſi ſit diſpēſatus ad utrumque, ſi diſpenſatio de retinendis pluribus beneficiis non eſt legitima; Si poſt contractum matrimonium retinetur beneficium, ſi acceptatur ſine animo ſeruiendi Deo in ſtatu clericali; Si agnoſcens ſe indignum illud accipit; Si non ordinatur infra annum poſt acceptum beneficium curatum; Si non reſidet; Si damnificat bona beneficii; Si locat fructus beneficii vltra tres annos; Si cum non facit fructus ſuos, illos percipit; Si non ſatisfacit oneribus ſui beneficii: ſi beneficiorum fructus male expendit.

Ratione beneficiorum.

Et ut etiam de Religioſis aliquid dicamus, peccant ſi non obſeruant uota, ſi regulas ad peccatum obligantes tranſgrediūtur: Si habentes uotum arctioris Religionis, ſine diſpenſatione manent in laxiori; Si mentiendo, aut reticendo aſperitatem Religionis, alios ad ingreſſum inducūt, uel auertunt à melioribus; Si in Prælatorum electione nō eligunt illum, quem magis idoneum iudicant; Si in uiſitatione Prælatorum non reuelant corrigenda; Si ſunt diſſoluti, murmuratores, detractores, impatientes, & negligentes in his, quæ ſunt Religionis, & in propriis eorum officiis; & maxime in orationibus, & diuinis; Si affectum habent ad conſanguineos, & ad temporalia; Si habitum dimittunt. Si ita Doctori ſui Ordinis adhærent, ut Doctores aliarum Religionum contemnant, uel ſi tantum ſuo Doctori tribuunt, ut credant eum in nullo errare potuiſſe, & uelint eum cōtra communem ſententiam, proterue defendere in his, in quibus diſcedit à communi, uel ſuperuenit Eccleſiæ, non ſolum

De Religioſis.

ex-

expreſſa, ſed etiam uirtualis determinatio, quia non poſſe errare, fuit, & eſt priuilegium ſolius Eccleſiæ, & eorum, qui Spiritu Sancto dictante Sacram ſcripturam ſcripſerunt; in quo multi peccant, audiui ego quoſdam concionantes, qui in opinionum diuerſitate pro zelo Doctoris ſui Ordinis temerarie populo dixerunt ſe pro quolibet eius dicto quantumuis minimo uitam ipſam expoſituros, & ſanguinem effuſuros. Si publicè ſine legitima facultate concionantur Si concionantur in peccato mortali ſaltem ſine contritione, Si concionibus fabulas, facetias, & ridiculoſa miſcent, Si concionando Prælatis Eccleſiæ Sacerdotibus, & Principibus detrahunt, præſertim, ut populo placeant; poſſunt quidem generaliter Prælatorum uitia reprehendere, ſed prudenter, & ſine ſcandalo. Si concionando dicunt mendacia, ſi miracula, & Sanctorum geſta fingunt. Si ex eo, quod aliqui Sancti impropriè aliquid dixerunt, eliciunt, proponunt, & defendere uolunt propoſitiones ſcandaloſas, & contra communem ſententiam, & non potius Sanctos illos pie interpraetantur. Si ex propoſitione particulari uera, proponunt, & defendere uolunt propoſitiones uniuerſales falſas, ut ſi quia circuncisio conferebat gratiam, ex opere operato, & quia Sacraméta imprimentia characterem in mortali ſuſcepta, conferunt gratiam recedente fictione (ut diximus lib. 1. cap. 3. & cap. 9. huius 2. p.) generaliter dicant Sacramenta antiqua contuliſſe gratiã, & opera mortua reuiuiſcere, quæ ſunt falſa. Si condemnant tanquam mortale, id quod non eſt mortale, uel de quo ſunt opiniones; quo caſu periculum oſtendant, ſententias proponant, peccata exagerent, & dicant etiam ſe credere eſſe mortale cum Doctoribus ſui Ordinis ſed propter reuerentiam aliorum Doctorum contrarium tenentium ſe id certo non affirmare, ne cõtra conſcientiam agant, & ratione conſcientiæ peccent mortaliter, ut de caſſanda querela, de mulierum fucis, & ornamentis. Si ſine iudicio diſcretionis proponunt populo hæreticorum, & philoſophorum errores cum ſuis argumentis, quia licet docte illa ſoluant, facilius tamen intelliguntur ab ignaris argumenta, quam ſolutiones. Si ita extollunt gratiam, ut uideantur tollere liberum arbitrium, & è contra, & ita extollunt Miſericordiam, ut derogent Iuſtitiæ, & è contra, ſed ita loquãtur de vno, ut etiam aliquid dicant de altero. Si aliis concionatoribus detrahunt, si concionando aliquod impatientiæ, ambitionis, ſuperbiæ, aut auaritiæ ſignum oſtendunt, ita demum concionentur, quod non ſeipſos, ſed Chriſtum Crucifixum annuncient,

De cõcionatoribus

& uerbis, & exemplis, ſolam Dei gloriam, & animarum ſalutem ſe quærere oſtendant.

Epiſcoporum propria peccata ſunt, Ordines, & Eccleſiaſtica beneficia indignis conferre. Conſecrare non virgines, ut virgines. Non intereſſe diuinis officijs, ſaltem diebus dominicis. Non conficere chryſma ſingulis annis. Non prouidere de idoneis miniſtris. Non uiſitare, & in uiſitatione non inquirere, & prouidere, ut debent. Non celebrare ſynodum temporibus ſtatutis. Non quærere defectus ſubditorum, ut corrigantur, quando fama, uel quod meritò eos monere debeat, ad eorum aures peruenit. Si cum ſciant, ut Epiſcopi ſuarum ouium, & maxime clericorum peccata, illa in conuerſatione proferunt, etiam ſi ſint notoria, quia peccata ouium in ore Prælatorum, debent eſſe, ut corrigenda, plangenda, & compatienda & in corde retenta, ut inter ueſtibulum, & altare plorantes dicant, Parce Domine, non debent ad illorum os aſcendere, niſi cogat Dei honor, & ſalus animarum. Negligere executionem legatorum ad ſe deuolutorum. Negligere, ut inſtituantur Magiſtri ad docendum oportuna. Si non diſpenſant ſuos redditus pauperibus, & Eccleſiæ, Si ſunt ocioſi, & negligentes in paſcēdis ouibus, & in ſacrorum canonum obſeruatione, Si dedignantur ſuas oues admonere, ut patres, ſed ſemper tanquā poteſtatē, & uirgam habentes, cum illis, & de illis loquuntur, & non niſi nutibus intelligi uolunt. Si ſemper reſpiciunt quid poſſint, & non quid expediat; nam qui nimis emungit, elicit ſāguinem. Si ſunt in ſuis opinionibus obſtinati, ſi delectantur adulationibus, & non audiunt benigne, & ut patres, & forma gregis, etiam patienter, contrarium tenentes. Si ſunt partiales, & ex clero, & Religioſis, quoſdam ut filios, alios ut nothos tractant. Si cum in minimis, & contra debiles ſe zelantes, & feruentes oſtendant, dormiunt in magnis, & contra nobiles, & diuites. Si non obſeruant, & obſeruari permittunt laudabiles ſuarum Eccleſiarum conſuetudines, eſt enim Eccleſia circundata uarietate. Si uſurpant iura ſuorum Capitulorum, & Canonicorum, priuilegio uel præſcripta conſuetudine acquiſita. Si de facto priuant Capitula ſuis iuribus, aut priuilegijs. Si quando debent requirere conſenſum Capituli, aut agenda tractare cū duobus à capitulo deputatis, iuxta determinationem ſacrorum canonū, & ſacri etiā Concilij Tridētini, ut ſeſſ. 24. c. 13. ſeſſ. 25. c. 6. de Refor. id omittunt, putantes tunc ſibi auctoritatē cōparare, quando ſua deprimunt Capitula, imo propria corpora, & conſequenter ſeipſos. Si Eccleſiaſticam immunitatem, & libertatem non tuentur. Si

De Epiſcopis.

faciunt actus Epiſcopali dignitati,aut ſuis ſucceſſoribus præiudicantes,nam poteſtatem habent in ædificationem,& nō in deſtructionem. Si abſoluunt,& diſpenſant in caſibus Apoſtolicæ Sedi reſeruatis. Si non reſident. Si ſuos Canonicos, & Curatos reſidere non faciunt extra tempus eis iure conceſſum; Iure autem communi (ut ſtatuitur in Conc. Trid. ſeſſ.24.c.12.) obtinentibus in Eccleſijs cathedra'ibus, aut Collegiatis, Dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non licet vigore cuiuſlibet ſtatuti, aut conſuetudinis ultra tres menſes ab eiſdē Eccleſijs quolibet anno abeſſe. Vbi dubitatū fuit Piſtorij,an per hoc decretū Sacri Concilij, fuerit ſublatū priuilegium, ꝙ Canonici Piſtorienſes habuerunt à Sixto 4. quo eis cōceſſit,ꝙ poſsēt abeſſe quatuor mēſibus quolibet anno,& nihilominus percipere diſtributiones. Epiſcopus iudicauit fuiſſe ſublatum,ſimiliter & Synodus Diæceſana,& inhærentes decreto Sacri Cōcilij, primo Epiſcopus,poſtea Synodus ſub pœna excomunicationis eis præceperunt,ut non fruerētur amplius dicto priuilegio; Canonici appellarunt ad Sacrā Cōgregationē Illuſtriſs. & RR. DD. Cardinaliū interpratū Sacri Cōcilij Tridētini, quæ his formaliter verbis reſpondit. Concilium prædictum c. 12. ſeſſ. 24. non obſtare quo minus iſti Canonici iuxta Indultū fel.rec. Sixti 4. frui poſſint uacationibus illis permiſſis, & nihilominus percipere diſtributiones quotidianas, quæ intereſſentibus tantum debentur; ipſum enim Concilium in hac parte nō derogat priuilegijs, quæ omnia patent in dicta Synodo Piſtorienſi ſub Epiſcopo Lactantio celebrata, quæ poſtea fuit typis mandata, ubi etiam habetur Epiſtola Sacræ Congregationis, ſcripta dicto Epiſcopo Lactantio, die 4.Decembris. 1586.

An beneficium ſit ſemper dandum digniori. Cap. XXIII.

IN conſciētia beneficiū dādū eſt digniori,& peccat,qui prætermiſſo digniori dat minus digno,collatio tamen facta digno tenet,nec poteſt reuocari in dubiū per hoc,ꝙ fuit prętermiſſus dignior,ꝙ ſanctè fuit inſtitutū ad tollēdas lites, aliàs.n.quælibet electio,& collatio calūniā pati poſſet.ille autē eſt dignior nō qui eſt ſanctior,nec q eſt doctior,ſed q eſt aptior ad illud munus,nā dignitas perſonæ perpēdēda, & exigēda eſt in ordine ad illū finē,qui eſt ſcopus electionis, Quod autē peccet,q prætermiſſo digniori dat illud minus digno optime ꝓbat Sotus,& tāquā certū præſuppono. Verū vt tollamus ſcrupulos notādū eſt,ꝙ ut omiſsio dignioris ſit peccatū,debet eſſe notabiliter dignior,& ſi electio faciēda eſt à pluribus, & proponantur

Sot.de iuſt. & iure. lib.3. q.6. ar.2.

tres

tres digniſsimus, medius, & infimus, & maior pars conuenit, vt relicto digniſsimo, eligatur medius, uel infimus poſsũ tuta cõſciẽtia dare uotũ meũ pro electione medij, ad excludendũ infimũ, etiã ſi iuraſsẽ eligere digniorẽ, quia intelligitur inter poſsibiles. Minus dignus electus (dũmodo nõ certo ſciat ſe eſſe indignũ) eſt tutus in cõſciẽtia, etiã ſi electores eũ eligẽdo peccauerint, & fuerint periuri cõtra iuramẽtũ præſtitũ de eligẽdo meliorẽ, nã electo nõ incũbit cõferẽdi cura, & in dubio nõ tenetur ſe ipsũ examinare, hoc ad electores pertinet, & periuriũ auget eorũ crimẽ, ſed nõ reddit electionẽ nullam; cũ igitur electio teneat, peccarũt eligẽtes, ſed ipſe tuta cõſciẽtia retinet beneficiũ.

Patroni qui debẽt pręsẽtare aliquẽ de familia, ſi nõ habẽt de familia dignũ, peccãt præsentãdo indignũ de familia, & debent extra illã querere dignũ; ſi habẽt in familia dignũ, & digniorẽ, peccãt nõ præſentãdo digniorẽ, at ſi habent ſolũ dignũ, nõ tenẽtur quærere extra familiã digniorẽ, ſed illũ præſentare poſſunt. Epiſcopus autẽ quãdo ei præsẽtãtur plures, poteſt eligere meliorẽ, at ſi præsẽtatus de familia eſt dignus, uidetur præferẽdus. Si autẽ nõ præsẽtatur illi niſi vnus dignus, nõ poteſt illũ reijcere per hoc, ꝙ nõ præſentatur dignior, nã cũ præſentatio ad illos pertineat, ſatis illi eſt, ꝙ nõ cõferat beneficiũ indigno. Eadẽ ratione excusãtur Epiſcopi, quãdo dãt Cappellas alicuius Eccleſiæ dignis, omiſsis dignioribus, ex eo ꝙ Apoſtolico priuilegio illæ cappellæ sũt debitæ clericis illius Eccleſiæ; ꝙ ſolet aliquando Papa cõcedere, ut ſic ueluti ſeminariũ inſtituat, & quia illis clericis cõcedit, ut ad titulum clericatus illius Eccleſiæ, & hac ſpe, ad Sacros Ordines ꝓmoueãtur, quo caſu ille ad cuius collationẽ pertinẽt, ſiue ſit Ordinarius, ſiue ſit Capitulũ, ſi ex clericis eſt dignus, nõ poteſt cappellã uacãtẽ dare alteri digniori, & ſi dat, tenetur ad reſtitutionẽ, quã alicui ex illis clericis facere debet; nec ſatisfacit dãdo eis reliquas cappellas, quia sũt eis debitæ, cũ ad illas habeãt ius acquiſitũ; Et ſicut nõ poteſt Ordinarius præferre digno præsẽtato à patrono, digniorẽ nõ præsẽtatũ, & præferẽs collatio eſt nulla, ita nec priuilegiato à Papa, non priuilegiatũ, ꝓp ius acquiſitũ, ꝙ habẽt illi clerici, uigore priuilegij; eadẽ.n. eſt ratio, niſi ꝙ clerici reclamare, & appellare non audẽt. Quãdo autem utilitas Eccleſiæ ſuadet, ut relicto clerico illius Eccleſiæ digno, Cappella uacans detur alteri digniori, Epiſcopi, uel Capitula, ſi nõ poſsũt ei prouidere de proprio petãt à Papa diſpẽſationẽ; nã aliàs collatio eſt nulla, & ille eſt intruſus, & nõ facit fructus ſuos; quia ius acquiſitũ, & Apoſtolicũ priuilegiũ, tollit ſolus Papa, & non poteſt illud tollere, etiã Legatus de

Latere,ut dicit,& probat Gomes, & tamē Legatus de Latere habet ampliſsima priuilegia,& beneficia cōfert,ut Papa (cū Papæ perſonā repræsētet) ſed ſub illa generalitate,nō veniūt ea, quæ in ſpecie nō fuiſſent ei conceſſa,niſi exprimantur,huiuſmodi eſt iſtud,de tollēdo ius acquiſitū,& Apoſtolicū priuilegiū, ꝙ Papà nūquā intēdit tollere,niſi exprimat,& quādo tollit, de plenitudine poteſtatis illud tollit. Ex quo ſequitur, ꝙ ſi aliquis nō clericus illius Eccleſiæ, impetraret à Papa cappellā illius Eccleſiæ nō facta mētione dicti priuilegij, & ꝙ ipſe nō habet cōditiones requiſitas,ut pro illa vice diſpēſet,gratia, & collatio eſſet ſubreptitia,& nulla,& ipſe eſſet intruſus,& non faceret fructus ſuos. Addo ꝙ ſi Ordinarij, uel Capitula nō dant Cappellas iuxta formā priuilegij, non poſſunt etiā Epiſcopi ordinare illos clericos ad titulū illius clericatus,qa ex titulo debēt habere vnde viuāt, & propterea Papa illis applicuit Cappellas, quæ ſi eis nō dētur, ceſſat ratio priuilegij de promouēdo ad ſacros Ordines ad illū titulū,qa redditur vanus,& ceſsāte cauſa,ceſſat effectus. Quare hortādi ſūt in Dño illi ad quorū collationē huiuſmodi Cappellæ ptinēt,ne formā priuilegij trāsgrediātur,qa aliàs faciunt, ꝙ nō poſsūt,& ꝙ ptinet ad plenitudinē poteſtatis Papæ, tollūt alijs ius acquiſitū,nūquā eis reſtitutionē faciūt,collationes ſunt nullæ,alij intrudūtur, intruſi Cappellas non reſignant, fructus indebite perceptos non reſtituunt, titulus ordinum redditur nullus,promotiones ad Ordines fiunt ſine titulo ſubſiſtente,& licet pro tūc Eccleſiæ cōſulere uideantur, ei tamē nocent,quia ſic deſtruitur ſeminatiū, & Eccleſia vult, quod debito modo ei cōſulatur, cū doceat nō eſſe faciēda mala,ut inde eueniāt bona.

Sed cū Doctores nimis liberè loquātur cōtra Prelatos dātes beneficia ſuis nepotibus,& familiaribus, niſi ſint cæteris omnibus digniores,non ꝙ eis adulari uelim,nec ꝙ id in uniuerſū approbem, uel quod aliquo modo mihi placeat,ꝙ ſuos beneficijs onerēt,& ditēt;ſed quia durū mihi uidetur omnes Prælatos dānare,dico ꝙ licet beneficiū ſit dandū digniori, charitas tamē,& ratio aliquādo ſuadere poſſunt, ꝙ omiſſo digniori detur digno hoc prius exēplis oſtēdā,& poſtea ratione probabo,Patronus,ꝗ habet dignū ex familia,ſecūdū cōmunē, nō tenetur quærere digniorē extra familiā,ſed illū præsētare pōt,imo ſi ille ſit pauper & uir probus debet eū præferre alijs dignioribus,ꝗ nō ſūt de familia,& erit opus charitatis;Epiſcopus etiā, ꝗ habet nepotē dignū,& pauperē,poterit relicto digniori tuta conſciētia ei beneficiū cōferre.Et ꝓbatur,qaꝙ beneficiū detur digniori,nō eſt inſtitutū infauorē dignioris,ſed Eccleſiæ,& ſi aliqua ob id reſtitutio

eſt

eſt facienda, Eccleſiæ læſę,& non digniori eſt facienda, quia per hoc ſolum, quod eſt dignior, nullum habet ius acquiſitũ ad beneficium; per hoc ergo, quod omiſſo digniori eligitur dignus, nulla fit digniori iniuſtitia, quia cum nullũ ex hoc, quod eſt dignior habeat ad illud beneficiũ ius acquiſitũ, nec in re, nec ad rem, non eſt ei iure debitum, ſed damnũ fit Eccleſiæ cui Prælatus tanquã fidelis ſpõſus,& diſpẽſator debet prouidere digniorem miniſtrũ, per hoc autem, quod illi prouidet dignũ, nullum patitur detrimentũ, ſed ipſe non fideliter exercet officiũ ſuum. Verum Eccleſia eſt pia mater, quæ libenter adiuuat de ſe bene meritos, & vult illos in beneficiorum diſtributione ſi digni fuerint præferri dignioribus, quia per hoc ipſa nullum detrimentũ patitur,& benemeritos recognoſcit. Vnde uidemus, quod in eorum recognitione illos alit,& etiã fructus beneficiorum ſeparat,& illis penſiones aſsignat, & quod cũ ſtatuat beneficia dari dignioribus, quando de patronis loquitur, dicit quod præſentent quos uoluerint, dummodo non malos, 16.q.7.c. Monaſterium, nõ quod non teneãtur eligere digniorẽ de familia, ſed vt oſtendat, quod non tenẽtur omittere dignũ quẽ habẽt, propter digniorẽ extra familiam; & ſicut ratio ſuadet, quod præferat patronos ita etiã dignos Prælatorũ cõſanguineos quãdo indigẽt, cum Prælati ſint eius ſponſi,& Miniſtri; licet ergo digni de familia,& Papæ,& Epiſcoporum conſanguinei, & familiares uideantur poſt ponendi dignioribus, attento tamen, quod nominatio, & collatio eſt gratuita,& non debita,& quod Eccleſia patronis, & ſponſibus ſuis magis tenetur, ratio,& charitas Eccleſiæ, illos præſert, cum iure naturæ,& charitatis propinquioribus, & benefactoribus magis teneamur.

De Coadiutoribus ab Epiſcopis petitis, & obtentis, & eorum auctoritate. *Cap. XXIIII.*

MVltipliciter etiã peccãt Epiſcopi ratione Coadiutorũ & Coadiutores ratione Epiſcoporũ, quorũ sũt Coadiutores, nã ſæpe Epiſcopi petũt Coadiutores, cũ ſpe futuræ ſucceſſionis,& illos poſtea, ut ſimplices miniſtros tractant, uel potius è cõtra Coadiutores dati, Epiſcopos expellere conãtur, cũ magno ouium ſcandalo,& detrimento,& hoc procedit, quia nõ aduertũt, quid eis iure competat;& Coadiutores ſic dati attẽdentes amplã in ſuis bullis facultatẽ

eis à Papa conceſſam,& quid Canones,& Doctores dicunt de Coadiutoribus,putant ſe in nullo ſubdi Epiſcopis, & quod Epiſcopi quorum ſunt Coadiutores, ipſis in omnibus ſubdantur; propterea cum Canones, & Doctores non ita loquantur de Coadiutoribus ad Epiſcoporum inſtantiam datis, de illis tractare uolui, ſub hoc dubio, quod mihi nuper propoſitum fuit. An Coadiutor datus à Papa Epiſcopo ſeni,& ægroto, de conſenſu eiuſdem Epiſcopi cum plena,libera,& omnimoda facultate, tam in ſpiritualibus,quam in temporalibus, poſſit ea liberè uti quando iudicauerit expedire,etiam contradicente Epiſcopo. Ad quod ſic tunc reſpondi, Coadiutor ab Apoſtolica Sede tribus præcipuè de cauſis ſolet dari, prima propter impotentiam Epiſcopi ſimpliciter,uel reſpectu omnium,uel reſpectu aliquorum actuum particularium. Secunda,propter delictum Epiſcopi, ob quod remouetur ab adminiſtratione. Et quando datur ob aliquam ex his duabus cauſis, Coadiutor poteſt liberè exercere omnia,quæ ei conceſſa fuerunt, etiam contradicente Epiſcopo, imo Epiſcopus non poteſt in illis ſe intromittere ſine cōſenſu Coadiutoris,& hoc probant Canones, & Doctores, parū ad rem in propoſito dubio, contra quendam Epiſcopum in fauorem Coadiutoris eius,citati;qui partim quidem loquuntur, de Coadiutoribus datis ob dictas cauſas,partim de adminiſtratore dato Eccleſiæ vacanti; quibus de cauſis Coadiutores dantur etiam Epiſcopis contradicentibus, qui illos admittere coguntur. Tertia cauſa eſt propter Epiſcopi quidem ſenectutem, & infirmitatem,ſed non talem,quæ ipſum ſimpliciter impotentem reddat, quo caſu Papa non dat Coadiutorem nolenti, ſed petenti ex gratia ſpeciali facta,& ipſi Epiſcopo, ut ſi voluerit, à laboribus quieſcere poſſit,& ipſi Coadiutori,quem hoc caſu cū ſpe futuræ ſucceſſionis deputare ſolet, quo caſu Epiſcopus non eſt ſuſpenſus,nec priuatus;& Coadiutor ipſo contradicente nihil efficere poteſt; nec facultas ei generaliter data eſt ob id ſuperflua, ſed datur non ſolum, ut Epiſcopo conſentiente illam adminiſtret;ſed etiam,quia uigore huius deputationis, Epiſcopus ex ſpeciali gratia ei facta,poteſt cedere Epiſcopatui, & conſulens ſanitati à curis,& à reſidentia abeſſe,ſi uoluerit, & quando uoluerit. Et quod hoc caſu Coadiutor non obſtante omnimoda facultate ei ab Apoſtolica Sede conceſſa, nihil poſſit ſine conſenſu Epiſcopi, probatur primo, quia per hanc Coadiutoris deputationem, Epiſcopus non declaratur ſimpliciter impotens,aut ſuſpenſus ab his, quæ ei iure competunt. 2. quia

ſecun-

ſecundum Canones ita datur coadiutor Epiſcopo infirmo, ut non propterea deponatur, uel honore ſuo priuetur, 7.q.1.ca.2. ſcripſit; at ſi Coadiutor datus impotenti exercere ſolum pontificalia, occaſione omnimodæ facultatis ei conceſſæ in gratiam Epiſcopi infirmi, uellet reliqua adminiſtrare ipſo etiam cõtradicēte, eſſet illum, uel inſanum, vel ineptum, uel depoſitum declarare, quod non pertinet ad Coadiutorem, ſed ad Papam, apud quem agat Coadiutor ſi quid habet. 3. quia Coadiutor ſic de conſenſu partium à Papa conſtitutus intelligitur, ut ipſe, & Epiſcopus in adminiſtratione in unum, ut fratres conueniāt, & quando conuenire non poſſunt, Epiſcopus præcedat, eiuſq; diſpoſitioni ſtetur, cum ipſe ſit Epiſcopus, & Coadiutor nõ ſit ei datus tanquam ſimpliciter impotenti, uel depoſito, aut ſuſpēſo, ſed in ſubleuamen laborum. 4. quia per generalem Papæ conceſſionem non ueniunt ea, quæ in particulari non fuiſſent conceſſa, cap. fin. de Off. Vic. in 6. ſed in iſto caſu omnimoda facultas in ſpiritualibus, & temporalibus eſt in duobus in Epiſcopo iure ſuo, & in Coadiutore ex priuilegio; quod autem ita ſit pœnes ipſos ex æquo, & independenter, ut quod unus facit, alius deſtruat, uel unus una, alter altera tendat uia, hoc nunquā Papa in particulari conceſſiſſet; quod etiam hoc caſu uelit Epiſcopum non depoſitum, nec ſuſpenſum, in his, in quibus nõ eſt impotens ſubeſſe Coadiutori, nunquam in particulari conceſſiſſet, quia neminem intendit ſine cauſa priuare iure ſuo. Probatur tandem 5. quia Papa in huiuſmodi deputatione, ſemper ſolet in ſuis bullis expræſsè, uel tacitè declarare; quòd Coadiutor ita habeat, & exercere poſſit omnimodam facultatem in ſpiritualibus, & temporalibus, ut illam Epiſcopo contradicēte exercere non ualeat, & præcipuè in bulla reſeruationis penſionis ob coadiutoriam, in qua communiter ponuntur iſtæ, uel ſimiles clauſulæ. *Quamdiu officium Coadiutoris huiuſmodi realiter, & cum effectu in dicta Eccleſia .N. exercueris, vel per te non ſteterit quominus illud exercueris*, & Paulò inferius caſu, quod Reuerendiſſimus dominus .N. nõ ſoluat penſionem dicitur. *Si uero per ſex menſes dictos, triginta dies immediatè ſequentes, ſub huiuſmodi interdicto animo (quod abſit) permanſerit indurato, ex tunc effluxis menſibus eiſdem, à regimine, & adminiſtratione ipſius Eccleſiæ .N. ſuſpenſus exiſtat eo ipſo*. Et in bulla Coadiutoriæ, *deſideretq; pro faciliori cura dictæ Eccleſiæ ſibi de Coadiutore, &c.* Et Paulò inferius. *Et nihilominus dicto .N. Epiſcopo cedente, uel decedente, ſeu, &c.* Ex quibus uerbis tria patent. Primo, quod Epiſcopus non obſtan-

te coadiutoria habet omnimodam adminiſtrationem, tũ quia Coadiutorem petit,& Papa dat pro faciliori cura, tum quia ab ea ſuſpenditur in caſu non ſolutionis penſionis. 2. quod Coadiutor contradicente Epiſcopo, non poteſt exercere facultatem ei conceſſam, propter illa uerba, *vel per te non ſteterit quominus illud exercueris*. 3. quod Coadiutori datur omnimoda facultas in gratiam Epiſcopi, & regimen Ciuitatis, caſu quod Epiſcopus cedere uelit, illis uerbis, *dicto .N. cedente, uel decedente*. Nec obſtat ſi magis non exprimantur, nam ſatis eſt, quòd aliquo modo exprimantur, quod autem fuſius, uel non ita fuſius exprimantur, eſt à copiſtis, qui ſupplicationes faciunt, imo etiam ſi non eſſent expræſſa intelligerentur ex hoc, quòd Epiſcopus non declaratur impotens, nec ſuſpenſus, & quod Coadiutor datur ipſo petente, & non cedente, vel renunciante,per rationes ſuperius adductas.

Stantibus prædictis, aliqua adhuc oriuntur dubia, ad quæ ſequentibus concluſionibus breuiter reſpondebo. Prima concluſio ſit Epiſcopus ea omnia, quæ per ſe exercere poteſt, tam in pontificalibus, quam in cæteris alijs omnibus; ſi illa vult exercere, poteſt, & Coadiutor non poteſt in illis ſe intromittere, ſine illius conſenſu, hæc concluſio ſatis probata eſt in præcedentis dubij ſolutione.

Secunda Concluſio, Epiſcopus eá, quæ non poteſt facere, uel ſi poteſt, non vult, non poteſt per uiam commiſsionis,aut delegationis committere Coadiutori; & probatur primo, quia Coadiutor non eſt eius miniſter,ſed eſt illi datus à Papa,vt ſuppleat in his, quæ Epiſcopus non poteſt, uel conſulens ualetudini, non vult. 2. quia ſi Coadiutor ea quæ facit, de Epiſcopi commiſsione, deberet facere, ſuperfluè petitus, & datus fuiſſet à Papa Coadiutor, nam Epiſcopus ea, quæ non poterat, potuiſſet iure ſuo cuicumque committere, pro Pontificalibus quidem,vocare aliquem Epiſcopum uicinum,vel ad eũ mittere;pro alijs verò aſſumere perſonas idoneas; & ita nulla etiam eſſet differentia,inter Coadiutorem à Papa datum, & miniſtrum aſſumptum;Nec obſtat ſi dicatur,quod datus eſt de conſenſu Epiſcopi;nam ex quo non eſt aſſumptus ab Epiſcopo, ſed petitus, & datus à Papa ob ſpecialem gratiam utriq; factã, non eſt eius miniſter,ſed Coadiutor,ſocius,& fratrer. Et cõfirmatur,quia Coadiutor ſecundũ Canones datur impotenti, uel ſuſpenſo,& poteſt officium ſuum exequi, etiã contradicẽte Epiſcopo,& Epiſcopus nihil poteſt efficere ſine cõſenſu Coadiuto-

ris,

ris,in his,in quibus eſt ei datus Coadiutor; quòd autem detur Coadiutor de conſenſu partiũ in gratiã,& Epiſcopi, ut ſi uoluerit,poſſit à curis, & reſidentia abeſſe,& Coadiutoris,ratione ſu turæ ſucceſſionis,eſt gratia peculiaris de plenitudine poteſtatis & ſicut Papa conſulit Epiſcopo,ut non propterea per hoc,quod dat ei Coadiutorẽ,illũ ſuſpendat,uel impotentem declaret, & conſequenter ſubdatur Coadiutori, iuxta Canonum diſpoſitionem, ita etiam conſulit dignitati Coadiutoris, ut non ſit miniſter Epiſcopi,& hoc tribuendo illi quatuor, nam illum Epiſcopum titularem creat. 2. illum Coadiutorem perpetuum, & irreuocabilem conſtituit. 3. dat ei plenam,& omnimodam facultatem in ſpiritualibus, & temporalibus. 4. illum Epiſcopi ſucceſſorem in illa Ciuitate facit.

Tertia Concluſio. Ea quæ pertinent ad Epiſcopum,& Epiſcopus non poteſt illa per ſe exercere,uel ſi poteſt non vult, tã Pontificalia,quam alia,vt uiſitare monaſteria,viſitare diæceſim,&c. non poteſt alteri committere, ſed iure pertinenr ad Coadiutorem;Iſta concluſio ſequitur ex præcedenti,& probatur, primo, quia eſt Coadiutor perpetuus datus à Papa in omnibus,quę ad munus Epiſcopale pertinent,ergo non poteſt Epiſcopus in eius præiudicium ea,quæ ad ipſum pertinent,alteri committere,fieret autem ei duplex notabile præiudicium,primũ,quia Epiſcopus hoc ipſo oſtenderet,ſe Coadiutorem contemnere,in graue Ciuitatis ſcãdalum,cum Coadiutorem,ut patrem, & paſtorem teneriri debeãt. 2. quia cum Coadiutor ſit futurus Epiſcopus ea,quæ pertinẽt ad agnitionẽ vultus pecoris ſui,non debet mercenario cõmittere;ſed ſi non poteſt ipſe paſtor,ei, qui poſt ipsũ futurus eſt paſtor,& ut talis,eſt ei datus pro animarũ ſalute,relinquere debet.Probatur tertio,quia ſi poteſt alteri cõmittere, vel eſt,quia cũ nõ teneatur,nõ vult uti eius opera, uel quia non eſt ad idoneus,nõ primũ qa eſt eius Coadiutor perpetus; non aſ ſũptus,ſed à Papa datus;nõ ſecũdũ, qa fuit à Papa approbatus.

Quarta concluſio ea, quæ neceſſaria ſunt, & ab Epiſcopo facienda,& Epiſcopus non poteſt,vel non vult illa facere;pertinẽt ad Coadiutorem,non ex delegatione Epiſcopi,ſed iure ſuo, eo ipſo,quod neceſſaria ſunt,& facienda ab Epiſcopo,& Epiſcopus relinquit,ut ab alio fiant. Iſta concluſio probatur ex ſecunda, & tertia concluſione.

Quinta concluſio Coadiutor in his, quæ inre ſuo facit,habet plenam, & omnimodam facultatem; probatur, quia à Papa factus eſt Coadiutor cum plena, & omnimoda facultate.

Nec

Nec obſtat ſi dicatur, quod non poteſt illa uti ſine conſenſu Epiſcopi; nā eſt Coadiutor cū plena,& omnimoda facultate Epiſcopi,qui iure ſuo habet plenam, & omnimodam facultatē, & non eſt ob id ſuſpenſus,nec declaratus impotēs, & propterea nō poteſt se ingerere in his, quæ Epiſcopus vult per ſe facere, uel nō iudicat facienda,ea autem, quæ Epiſcopus relinquit facienda Coadiutori,illa Coadiutor facit, non ut miniſter Epiſcopi, ſed ut ſocius ex officio ei à Papa dato cum plenitudine poteſtatis in ſpiritualibus, & temporalibus; ab Epiſcopo quidem datur Coadiutori materia, circa quam poſſit ſungi ſuo officio;ſed facultas,& poteſtas ſupra illam materiam illi data eſt à Papa, qui ut dixi in ſecunda concluſione vtrique prouidit, Epiſcopo, dū Coadiutor non poteſt ſe ingerere in his, quæ ipſe vult facere, vel non iudicat facienda,& Coadiutori, ne ſit miniſter Epiſcopi & ne Epiſcopus ea,quæ Coadiutor cæpit reuocet cum magno, & ipſius, & officij eius dedecore, quod etiam in Apoſtolicam Sedem redundaret,à qua eſt deputatus, & ut idoneus approbatus,imo & in Epiſcopatu ſucceſſor conſtitutus, idq; de conſenſu Epiſcopi,qui propterea non poteſt prætendere ſe grauatum.

Sexta Concluſio cauſa per Coadiutorem expedita, Epiſcopus poteſt condemnato gratiam facerē, quod tamen nō poteſt Coadiutor contradicente Epiſcopo.Quòd Epiſcopus poſſit,eſt clarum,cum ſit Superior,& proprius paſtor, & per ſententiam Coadiutoris,qua puniuntur eius filij, non ligētur manus pij patris,& aliud eſt impedire iudicium cæptum, uel diuidere iudicium,quod non poteſt per quintam Concluſionem;aliud completo iudicio condemnatum,& pœnitentem abſoluere. Secunda pars concluſionis probatur,quia iam abſolutum eſt iudiciū, & Coadiutor iam functus eſt officio ſuo, & propterea ex ſuperius dictis,& probatis, non poteſt ulterius in illa cauſa ſe ingerere,ſine conſenſu Epiſcopi; ſed quia quodammodo eſt eadem cauſa,non quaſi iure ſuo quo iam functus eſt, ſed ex tacita Epiſcopi conceſſione,per hoc quod non contradicit, poterit & ipſe quoque per remiſsionem pœnæ aliquam gratiam facere, nam propriè filijs gratiam facere ad patrem pertinet.

Septima Concluſio,vbi dubium eſt,an aliquid ſit faciendum ſtandum eſt iudicio Epiſcopi, & Coadiutor non poteſt se intromittere in his, quæ Epiſcopus iudicat non eſſe tunc facienda. Et ſi Coadiutor iudicat illa neceſſaria, & quod Epiſcopus deſit muneri ſuo,recurrat ad Summum Pōtificem. patet ex his, quæ diximus in ſolutione primi dubij, quia non eſt illi datus Coadiu-

diutor, ut ſuſpenſo, uel ſimpliciter impotenti, ut ſupra ipſum iuriſdictionem habeat, nec conſtitutus eſt illius iudex, aut corrector.

De ſtatibus Secularium, Principum, Iudicum, ad iudicium ſpectantium, Dominorum, Doctorum, Scholaſticorum, Medicorum, & Artificum.

Cap. XXV.

Regum ſe Principum peccata ſunt, aliena dominia iniuſte quærere, & iniuſte quæſita non reſtituere; iuſte poſſeſſa iniuſte gubernare non reddendo ſuum cuiq; excitando factiones, non ſedando illas, non prouidendo annonæ, non præficiendo rectores idoneos, non ferendo leges neceſſarias, uel conſtitutas non exequendo, non communiendo illa armis, artibus, & exercitijs ad ſe, & ad illa tuenda neceſſarijs, nimis grauando ſubditos, libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam uiolando non præbendo brachium ſeculare iudici Eccleſiaſtico, & huiuſmodi. Nauarrus in Man. cap. 17. num. 195. dicit eos mortaliter peccare ſi quærunt lucrum, uel tributum ex meretricio, & fœdis meretricum opera, & lucro, quia cooperantur, & ſunt participes peccati, & in confirmationem adducit factum Anaſtaſij Imperatoris, qui huiuſmodi tributum abſtulit, ut refert, & commendat Niceph. lib. 16. cap. 40. Hoc quidem Nauarro concederem ſi id facerent quaſi eis placerent fœda illa opera meretricia, & ut eſſent participes illius turpis lucri; Sed cum illis diſpliceant earum fœda opera, & ad euitanda maiora mala cogantur meretrices permittere, in pœnam eis tributum imponunt, & partem lucri ab eis exigunt, ut ſic ab illis ſceleribus retrahantur, & illud turpe lucrum ſolent Principes Monaſterio Conuertitarum, & alijs pijs operibus applicare, & cum experientia doceat, quod meretrices eo ſint peſtilentiores quo ditiores, quia iuuenes ad illas magis accedere cupiunt, & illæ etiam illos magis expoliant, benè, & ſanctè faciunt Principes illas impoſitionibus, legibus, & pœnis, onerando, ut ſic ſemper egeant, & in felicem ſtatum ſuum agnoſcant, & relinquant, & aliæ mulieres honeſte uiuant, ſaltem timore, ne ut meretrices deſcribantur, quia oculos quos claudit culpa, aperit uexatio, quæ dat etiam intellectum.

Iudicum peccata ſunt, iniuſtam ferre ſentẽtiam, iuſtam etiã ferre ſententiam, ſed non ſeruato ordine iuris, uel in cauſa in qua — *Iudicum peccata.*

qua non habet iuriſdictionem;odio,amore,precibus,aut metu moueri, munera accipere ad bene, uel male iudicandum, aut omittendum iudicium; pauperum,& uiduarum cauſas negligere,non dare debitas dilationes parti,aut non debitas concedere,teſtes,& reos interrogare, de his quæ ſecundum formam iuris non ſunt interroganda, illos indebite torquere,aut plus torquere;non admittere appellationem quando debent,vel admittere quando non debent,& multa alia,quæ ipſi melius norunt, & propterea ipſi de ſeipſis loquantur.

An debeat iudicare contra veritatem quam certo nouit.

Sed occurrit hoc loco dubium,an Iudex poſſit iudicare contra ueritatem quam certo nouit,condemnando, uel abſoluendo quando legitime probatur cõtrarium,& ſupponimus, quod iudex omnem diligentiam adhibuerit in examinãdis teſtibus, pro inuenienda ueritate, quam certo nouit, quia exempli gratia accuſatus fuit; de homicidio ille, qui tunc erat cum iudice quãdo cõmiſſũ fuit:& tamen falſis teſtibus cõuincitur illud cõmiſiſſe, & ſecundum probata debet ſuſpendi. de quo ſunt tres ſententiæ. Prima eſt Hug.Cald.Panor.Summæ Ang.& Nic. de lyra,quod in nullo caſu,neque ciuili,neque criminali,licet iudici condemnare eum,quem euidenter ſcit eſſe innocentem. Secunda eſt media Rodul.Ioa.de Imol.Roſellæ, & Supplementi, quod in cauſa criminali,ſiue ſit capitalis,ſiue mutilationis,non poteſt iudex condemnare innocentem, ſecundum allegata, & probata, ſecus in ciuilibus quando agitur de pecunia, aut de aliarum rerum poſſeſſione. Tertia eſt S.Tho.Alex de Ales, Rich.Pet.de Tarant.Bart.Ioa.And.Pet.de Pal.Sylu.Soti, & aliorũ, quod iudex,tam in cauſa ciuili, quam criminali, debet iudicare,ſecundum allegata, & probata, & non ſecundum propriam ſcientiam. Et hanc ſententiam ſequimur,quam multis rationibus probat Sotus,& præcipua ratio eſt,quia iudex duplicem repreſentat perſonam priuatam.ſ.& publicam, & dupliciter aliquid ſcit,vt priuata perſona,& vt publica,& quatenus iudex eſt publica perſona,& ſecundum ſcientiam,tam iuris, quam facti, quam habet,ut iudex,debet iudicare.& ſicut in iure non poteſt ſequi propriam opinionem, quam demonſtrationem eſſe putat contra leges, ſed debet iudicare ſecundum leges, ita etiam in cognitione facti,non debet ſequi propriam ſcientiam,ſed illam quam deponunt teſtes,& leges probant,& requirunt;& ſi iudex non teneretur ſecundum allegata, & probata iudicare tranquillitas,& pax reipublice ob quam ſũt publica iudicia turbaretur, cum enim populus non iudicet de occultis, uidens nõ ſtari pu-

Sot. de iuſt. & iure lib. 5. q. 4. ar. 2.

relin-

blicis probationibus, in iudicem proclamaret, & iudici ſemper relinqueretur uia excuſandi ſe ab executione iuſtitiæ, nam poſſet dicere ſibi contrariam ueritatem conſtare. Et licet in hoc caſu Iudex poſſit accuſatum remittere Superiori, & relinquere officium, neutrum tamen tenetur, nam remittere Superiori eſt illum ſupplicio offerre, cum ipſe etiam ſecundum probata iudicare debeat; & cum iudex tuta conſcientia ſecundum allegata, & probata iudicare poſſit, non tenetur cũm ſuo diſpẽdio relinquere officium; & condemnando, & occidẽdo in dicto caſu innocentem, non agit contra ius diuinum, quod iubet iudicare ueritatem, & inſontem, & iuſtum non occidere; nam ueritas, quam iudex ſecundum debitũ ſui officij iudicare debet, eſt illa, quæ in ore teſtium conſiſtit. Et in hoc etiam non agit contra propriam conſcientiam, nam licet uideatur agere contra propriam conſcientiam, quatenus agit contra propriam ſcientiam, conſcientia tamen dictat, quod non ſecundum illam ſcientiam, ſed ſecundum leges, & iuxta allegata, & probata iudicare debet. Et non ſolum iudex, qui ſuperiorem agnoſcit, ſed etiam Rex debet iudicare ſecundum allegata, & probata, & non ſecundum propriam ſcientiam; poſſet tamen dari caſus in quo Rex, non quidem ſecundum propriam ſcientiam, ſed ſecundum publicam poſſet iubere alterum ſtatim occidi, illo non citato, nec audito, quando ſcilicet eſſet periculum tumultus, & rebellionis ſi citaretur, & notoriè conſtat illum eſſe dignum morte.

Aduocatorum, & Procuratorum peccata ſunt, cauſam quam ſciunt eſſe iniuſtam defendere, etiam ſi illam defendant ex capite iuſto; Cauſam quam iuſtam exiſtimabant proſequi eius iniuſtitia cognita; Merita cauſæ non ſcrutari; clientem inſtruere, ut falſum dicat, aut doloſe reſpondeat, à cliente plus iuſto exigere, iuſtam cauſam pauperum quos ſine eorum auxilio opprimi credunt defendere nolle, parti aduerſæ contra iuſtitiam fauere. Et tenentur reſtituere damna parti aduerſæ, & ſuæ, quæ eorum culpa patiuntur, ſimiliter, & iudices iniuſte iudicantes, & ſuperfluas dilationes contra ius in detrimentum partis concedentes. De Aduocatis, & procuratoribus.

Notariorum peccata ſunt, ſi non obſeruant capitula ab eis iurata, ſi faciunt falſa inſtrumenta, ſi occultant, aut lacerant inſtrumenta, ſi faciunt inſtrumenta illicita, ut uſurarum, ſi non informant partem ignorantem, quæ renunciatura eſt alicui iuri, quale ſit illud; ſi per malitiam, aut ignorantiam notabilem, De Notarijs.

 male

male aliquod teſtamentum, aut inſtrumentum conficiunt, addendo clauſulas obſcuras, aut neceſſarias omittendo, propter quod aliquis ſuum legatum, aut debitum perdit, aut conficiunt teſtamentum carentis iudicio, aut ratione non utentis, & obligantur ad reſtitutionem. Si ſecreta ipſis commiſſa contra ius reuelant.

De reis, & quando teneātur reſpondere ad rem.

Rei peccata ſunt non fateri crimen etiam morte plectēdum, quando à ſuo iudice iuridice interrogatur: differre iuſtæ ſententiæ executionem iniuſta appellatione; contra ius occultos criminis ſocios, etiam interrogatus nominare. Vbi notandum eſt, quod reus non tenerur reſpondere iudici niſi, ei conſtiterit, quod iuridice illum interrogat, tres autem ſunt caſus, ut inquit S.Tho.2.2.q.69.ar.2. in quibus Iudex poteſt interrogare reum, & reus tenetur reſpondere ſecundum intentionem Iudicis. Primus eſt, quando præceſſit infamia, quod ille commiſerit delictum de quo agitur. Secundus, quando unum, uel plura apparent indicia. Tertius, quando interuenit ſemiplena probatio. Non ſufficit quecumq; infamia, nam clamor perditorum, & hominum infimæ conditionis non facit legitimam infamiam, ſed bonorum rumor, & propter dicta paucorum non debet quis infamatus iudicari, niſi opinio eius apud probos, & graues, læſa exiſtat, cap. Inquiſitionis de accuſat. ubi gloſa dicit, quod tunc infamia eſt ſufficiens quando rumor eſt ſparſus per maiorem partem uiciniæ, aut collegij, aut uniuerſitatis. Indicia autem ubi non eſt infamia, debent eſſe expræſſa, & talia, quæ uehementer reum indicent; quæ autem ſint talia, & quæ ſufficiens infamia, prudentum arbitrio æſtimandum eſt. Semiplena probatio cenſetur, vnus teſtis oculatus omni exceptione maior: Ecce quam ſancte iura, famæ, & honori conſulant delinquentium ut maluerint aliqua crimina impunè fieri, quam occultos delinquentes temere infamari. Et reus uirtute alicuius dictæ probationis captus, & examinatus, ad huc non tenetur fateri crimē, & reſpondere ſecundum intentionem Iudicis, ſed requiritur etiam, quod probatio ſit poſita in proceſſu, & illi notificata, ut uideat ſe ad obediendum mandato Iudicis teneri, aliàs poteſt non reſpondere, & ſi cogitur reſpondere, & accipere iuramentū de dicenda ueritate, licet non debeat mentiri, poteſt tamen reſpondere uerum ſecundum propriam intentionem, & falſum ſecundum intentionem iudicis, dicendo ſe non feciſſe. ſ. vt illi dicat, uel tali die, & anno, ſicut diximus quando egimus de ſigillo confeſsionis. Nec obſtat ſi dicatur, quod negando infamatur

accuſator, aut teſtis, nam hoc eſt per accidens, quia ſeipſum, & honorem ſuum tuetur modo licito, cum non teneatur reſpondere ad rem, & ſibi imputet accuſator, ſi accuſauit, cum nō poſſet probare, ſimiliter, & teſtis, ſi depoſuit cum non eſſet teſtis idoneus. At ſi iuridice interrogatur, tenetur reſpondere ad rem, & fateri ſuum crimen, etiam ſi propter illud eſſet ſuſpendendus, & adeo obligatur, ut a confeſſario non ſit abſoluendus niſi proponat illud confiteri, quia eſt in peccato mortali, quod non uult relinquere; at ſi cum negauerit non eſt amplius examinandus, non tenetur ſponte, & ſine examine illud confiteri, ſed ſufficiet illi coram Deo pœnitentia, & propoſitum, quod ſi iterum iuridice interrogabitur, non negabit illud, nec etiam tenetur cauſa reſtituendi famam accuſatoris, & teſtium, quia iam ſatis ſcitur, quod reus negando, quacumque uia, & arte poteſt, ſe defendit, & propterea non ob id illi remanent infamati, ut diximus ſuperius cum ageremus de reſtitutione famæ.

De teſtibus.

Peccata teſtium ſunt primo, tanquam uerum in iudicio affirmare, quod ſciunt eſſe falſum, aut dubitant an ſit uerum. Secundo, in notabile alterius partis damnum uerū tacere, cum obligatione reſtituendi. Tertio, nolle teſtificari in caſibus in quibus iuridice interrogantur. Quarto nolle ſe offerre ad teſtimonium ferendum, quando ad id tenentur. Quinto, ſe offerre, cum non debent. Sexto, mercedem non ſolum pro falſo teſtimonio ferendo, ſed etiam pro uero, accipere. Illi autem, qui coguntur à iudice teſtificari in caſibus in quibus non tenentur, poſſunt non reſpondere ad rem, & uerum dicere ſecundum propriam intentionem.

De Dominis.

Dominorum peccata ſunt primo, notabiliter negligere ea, quę pertinent ad famulorum ſuorum conſcientiam, puta ne aſſueſcant iuramentis, ut Dei præcepta cuſtodiant, temporibus debitis confiteantur, communicent, Miſſam audiant. Secundo prohibere ſeruis ſuis, maxime quos ſciunt concubinis allegatos, ne uxores ducant. Tertio, notabiliter negligere noſſe eorum peccata manifeſta, ut eos corrigere poſsint. Quarto, ſi habent ſeruos neophytos, & non curant, ut in doctrina Chriſtiana inſtruantur.

De doctoribus.

Doctorum peccata ſunt. primo, ſi cum legūt phyſicam, id eſt medicinam, uel leges, ſcienter admittunt religioſos, & Sacerdotes ſeculares indignitate conſtitutos. Secundo, ſi habentes ſalarium, uel beneficium ſufficiens, aliquid exigunt à diſcipulis præcipue pauperibus, licet donata poſsint accipere. Tertio, ſi magi-

magiſterium requirunt, uel recipiunt valde ignari, uel alios admittunt. Quarto, ſi ad malos fines quærunt gradus. Quinto, ſi ſcientijs prohibitis ſtudent, aut eas docent. Sexto, ſi non confutant errores philoſophorum, & aliorum, qui ſunt contra fidē, uel illos leuiter impugnant, aut dicunt ſecundum philoſophiā ita tenendum eſſe, ſed aliter ſecūdum fidem, nam quod Catholicæ fidei aduerſatur, falsum & impium eſt, etiā in philoſophia. Septimo, Si non adhibent diligentiam, ut diſcipuli proficiant. Octauo. Si iuramenta licita uniuerſitatis non ſeruant. Nono, ſi alijs profeſſoribus detrahunt. Decimo, ſi ab illis ſcholaſticos ad ſe traunt, aut ſectas nutriunt.

De Scholaſticis. Scholaſticorum peccata ſunt, Primo, ſtudere ob finem mortalem. 2. ſcientias vetitas, aut ſuperſtitioſas diſcere. 3. magiſtrum minus aptum ex iniuſta cauſa eligere. 4. ſuffragari alicui indigno. 5. inter ſe rixari. 6. contra agnitam veritatem contendere. 7. Magiſtris non obedire in quibus tenentur. 8. eis debitam mercedem non dare. 9. Sectas facere. 10. Magiſtris detrahere. 11. iuſta accademiæ præcepta non obſeruare.

De Medicis. Medicorum, & Chirurgorum peccata ſunt. Primo, ante cognitam ægritudinem temere curare, uel dum exploratur morbus, periculoſa adhibere. 2. temere etiam poſt cognitū morbum curare, dum negligunt ſtudere, alios conſulere, uiſitare, conſiderare, mutare ſententiam. 3 medicinam in certam cum periculo uitæ experiri. 4. conſulere infirmis, ut pro corporis ſanitate aliquid faciant contra ſalutem animæ, ut illicite coire ſe inebriare. 5. prægnantibus aliquid præbere quo abortiant, etiam ſi præbeant, ut illas à morte ſeruent, ſi credunt, uel dubitāt fætū eſſe animatū; dare medicinas ad procurādā ſterilitatē, & ſunt excōmunicati, & puniendi tāquā homicidæ, per extrau. Sixti V. de qua ſuperius c. 10. huius libri. 6. ſine iuſta cauſa cōcedere debilibus facultatē frangendi ieiuniū; 7 nō admonere infirmos, ut uocent medicos animarū cū opus eſt, & in principio infirmitatis debent procurare, ꝙ infirmi confiteātur, quod ſi non fecerint nō debent ad illos amplius accedere donec fuerint confeſsi, & quando uident periculum mortis debent, id eis ſignificare, ne mors illos imparatos inueniat. 8. ſtipendiū notabiliter nimium exigere, 9. plus quam opus eſt medicamenta infirmis dare, ut eo magis, ipſi, viſitando, & pharmacopolæ medicinas præbendo, lucrentur, cum obligatione reſtituendi. 10 nolle gratis mederi pauperibus ægrotis, in extrema neceſſitate exiſtentibus. 11. alijs medicis idoneis detrahere.

Ar-

Artificum,& Mercatorum peccata ſunt. primo,mendacia. 2. periuria. 3 fraus in ſubſtantia,pondere,& menſura rei uēditę. 4 non uendere,nec emere iuſto pretio. 5 pluris, uel minoris iuſto pretio uendere,vel emere,propter dilatam, uel anticipatam ſolutionem, unde conſurgit uſura cum obligatione reſtituendi,tam ratione vſuræ,quam ratione cuiuſcumq; iniuſtæ vēditionis,contrectationis,& negociationis,de quibus in ſequenti libro. Sed occurrit hoc loco dubium an liceat facere,& uendere ea quibus,ut plurimum homines utuntur ad malum,ut taxillos,cartas,fucos,& huiuſmodi,Summa Ang.inquit artifices, qui faciunt taxillos,cartas,pompas,curioſitates,& huiuſmodi, quæ ut frequentius ſunt peccatum mortale illis, qui ipſis vtuntur, non poſſe abſolui, niſi à tali arte abſtineant. Sed melius cum S. Tho. & Caiet. reſpondetur, quod ſi eſt aliqua ars ad faciendum opera,quibus homines abſq; peccato uti non poſſunt, talis ars eſt illicita,& artifices talia faciendo peccarent,nec poſſent abſolui, ſi artem illam relinquere nollent, ut ſi quis fabricaret idola, uel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia; at ſi eſt aliqua ars cuius operibus homines benè,& malè uti poſsūt, uſus talis artis non eſt peccatum, eſſet peccatum ſi illa fierent ob malum finem,uel ſi uēderentur illis de quibus ſcitur, quod ea uolunt ad opera peccati,ut arma,uenenum, Cum igitur mulieres licitè ſe poſſint ornare, uel ut conſeruent decentiam ſui ſtatus,uel etiam aliquid ſuperaddere,ut placeant uiris, conſequens eſt (inquit S.Tho.) quod artifices talium ornamentorū non peccent in uſu talis artis,& ſubiungit Caie. quod cum etiā vſus alearum,& cartarum poſſit eſſe ſine peccato, ſicut illa non eſt prohibita,ita nec iſta,& quod artifici non imputatur,ſi emētes eis vtuntur ad malum, ex quo uendit id quo poſſunt bene uti,& nō uendit,ut male vtantur,nec diſcutere tenetur an emētes malè uti uelint,uel utantur,cum conſtet etiam, quod multi benè utuntur,hoc enim magis uidetur ad curam Principis ſpectare, quam artificis, quia iſte circa ſingulos uerſatur quorum conſcientias neſcit, ille autem uerſatur circa communem bonum,uel malum,quod ex multitudine ſcit, & dato quod communiter homines uterentur iſtis ludis ad malum,& quod artifex non eſſet expers culpæ, quia tamen huiuſmodi ludus ſecundum ſuam ſpeciem non eſt peccatum mortale, non eſt ſecundum ſe mortale facere aleas, & chartas, & propterea non eſſet illi deneganda abſolutio.

De Artificibus, & Mercatoribus.

Dubium quādo ars ſit licita. Ang. V. Ars.

S. Tho. & Caie. 2.2. 69. ar. 2.

Principibus autem vnum proponam (quod illis etiam nō erit

Lectori Salutem.

RAtionem inſtituti mei, benigne lector, habebis ex Epiſtola ad Illuſtriſſimum, & Reuerendiſsimum Cardinalem Montaltum. Pro tantis autem meis laboribus, ſi illos tibi vtiles fore cognoueris, hoc à te, etiam atque etiam peto, ut in tuis orationibus,& Sacroſanctis Sacrificijs,Deum pro me orare velis, ut illi ſoli,perfecta omnium peccatorum meorum deteſtatione, & vitæ emendatione, ſeruire ualeam. quod mihi, & tibi,omnibusque concedere dignetur, qui viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

INDEX CAPITVLORVM
PRIMAE PARTIS
LIBRI PRIMI.

De Horis Canonicis.

QVid,& quot ſint Horæ Canonicæ. Cap. primum. pag. 2.
Qui teneantur recitare Horas Canonicas, & vbi habeatur hæc obligatio. cap.2. pag.3.
An illi, qui non percipiunt fructus beneficij, teneantur ratione beneficii recitare officium,cap.3. pag.6
*De illis, qui habent tenue beneficium, an teneantur recitare officiũ.c.*4.8
Quæ Horæ dicendæ ſint,& quando. cap.5. pag.10
Quomodo recitandæ ſint Horæ Canonicæ. cap.6. pag.12
De officio B.Virginis,& Mortuorum,ſeptem pſalmis, & Gradualibus. cap.7. pag.15
*De illis qui habent plura beneficia,vel cum beneficio penſionem,an ſatisfaciant recitãdo ſingulis diebus ſemel tantũ Horas Canonicas .c.*8.15
Quibus de cauſis excuſemur à recitandis Horis Canonicis. c.9. pag.10
An illi, qui excuſantur à recitatione officii, teneantur ſi poſſunt illud cum aliis dicere,vel eius partem, quam poſſunt recitare. c.10. p.19
De illis, qui excuſantur à recitatione officii, an teneantur aliquid aliud eius loco dicere. cap. 11. pag.22
De pœna non recitantium Horas Canonicas. cap.12. pag.23
An illi, qui non interſunt Horis Canonicis, pro quibus ſunt quotidianæ diſtributiones,poſſint iure illas percipere, & retinere ſi ab illis concedantur,quibus ob eorum abſentiam iure debeantur. cap.13. pag.23

Pp Quo-

Quomodo concilientur duæ Concilii Tridentini auctoritates. c.14. p.27

Libri ſecundi, de Sacrificio Miſſæ.

QVæ requirantur ad Miſſæ celebrationem, & primo ex parte celebrantis. cap. 1. pag.28
An ad communicandum infirmum in extremis laborantem poſſit non ieiunus celebrare. Vbi etiam tractatur, an communicare ſit de iure diuino, & an ius diuinum obliget in articulo mortis, & an etiam obliget Sacerdotem ad communicandum infirmum in extremis exiſtentem. cap.2. 29
Quæ requirantur ex parte Miſſæ, & quid ſi celebrans non poteſt illam perficere, aut ſi in calice fuit poſita aqua loco vini. cap.3. 35
Vbi debeat celebrari Miſſa; Quibus præſentibus, & quo tẽpore. c.4. 37
An liceat pluries eadem die celebrare, & quoties. cap.5. 39
Pro quibus ſit celebrandum. cap. 6. 41
Quod damnatorum pœnæ ſint æternæ, & eis non proſint Eccleſiæ ſuffragia. cap.7. 42
Quod non liceat ſine reuelatione orare pro damnatis, & quod ex peculiari priuilegio aliqui damnati fuerunt ſalui, & quomodo. cap.8. 50
Argumenta contraria cum ſolutionibus, & quomodo intelligantur illa verba Eccleſiæ. Ne abſorbeat eas tartarus. Ne cadant in obſcurum. cap. 9. 55
In qua parte Miſſæ conſiſtat ratio Sacrificij. cap. 10. 59
De diſtinctione Miſſarum, & an ſatisfaciat Sacerdos dicendo unam Miſſam pro alia, & an diebus feſtis, poſsint dici, & cantari Miſſæ uotiuæ. cap.11. 64
De illis, qui quotidie tenentur celebrare, an poſsint aliquando abſtinere. cap. 12. 66
De perpetuis anniuerſariis, & quare in Cappella Papæ non fiat anniuerſarium pro omnibus Summis Pontificibus, ſicut fit pro Cardinalibus, & quid ſi aliqua Eccleſia non poteſt ſupplere obligationibus celebrandi tot Miſſas. cap.13. 67
Quod Sacerdos non ſatisfaciat celebrando unam Miſſam pro illis omnibus, quibus ſingulis, ſingulas promiſit Miſſas, vel à quibus plures eleemoſynas accepit, ut plures Miſſas diceret, & quod ſi illas alteri Sacerdoti celebrare facit, non poſsit ſibi retinere partem eleemoſinæ, quam pro illis accepit. cap. 14. 68
De ſignificationibus, eorum quæ in Miſſa dicuntur, & fiunt. c.15. 72

Libri tertij. de Cenſuris,& pœnis Eccleſiaſticis.

Quid,& quotuplex ſit cenſura, & quare reliquæ pœnæ eccleſiaſticæ non dicantur cenſuræ, & quæ nam ſit formalis cenſurarum,& pœnarum differentia. cap. 1. 79

De Excommunicatione.

Quid ſit excommunicatio,& an ſit conueniens aliquem excommunicare. cap.2. 81
Quibus de cauſis Excommunicatio ſit nulla, & an ſit ſeruanda quando eſt nulla,vel iniuſta. cap.3. 83
An excommunicatio liget ignorantes. cap.4. 87
An excommunicatio liget impotentes, excommunicantem, ſuperiores, æquales,non ſubditos,& extra terminos iuriſdictionis. c.5. 92
An Excommunicatio liget non completa actione,& an liget etiam mandantes, conſulentes, auxilium dantes, & de differentia, quæ eſt inter participationem ante incurſam, & poſt incurſam excommunicationem. cap.6. 94
Quando Excommunicatio liget ſtatim ipſo facto, & quomodo ſuſpendatur,& retro trahatur. cap.7. 97
Quando excommunicatio liget mortuo illo, qui excommunicauit, & an excommunicationes præceptis appoſitæ,& Bullæ cœnæ Domini ſint à iure. cap.8. 100
*An ligent excommunicationes, & ſuſpenſiones, quæ non fuerunt receptæ,vel quæ nō ſunt amplius in uſu,& quomodo cognoſcātur.c.9.*105
An ſit ſeruanda illa excommunicatio,vel ſuſpenſio, in quam quis incidit ob delictum omnino occultum, ſi per eius obſeruationem ille ſe prodit cum infamia,& uitæ periculo, & an ſic celebrans efficiatur irregularis,& an teneatur priuſquam celebret confiteri. cap. 10. 109
De vera diſpoſitione Capituli ad euitandum, de euitandis excommunicatis. cap. 11. 114
An ſint firma ea,quæ fiunt ab Excommunicatis. cap.12. 116
*Qui excommunicati ſint euitandi, tam iure diuino, quam Eccleſiaſtico; & vbi, & ꝙ omnes excommunicati alios euitare teneātur.c.13.*118
Quibus in rebus vitari debeant notoriè excommunicati. c.14. 119
Quale peccatum committant tam excommunicati, quam non excommunicati in prædictis communicantes,& an excuſentur ratione infamiæ, vel metus cadentis in uirum conſtantem. cap.15. 120
Quibus de cauſis liceat communicare cum excommunicatis. c.16. 122

Quid ſit excommunicatio minor, & qui ſint eius effectus, & quomodo incurratur. cap.17. 123
Qui nam poſsint excommunicare. cap.18. 125
Qui poſsint abſoluere ab excommunicationibus à iure latis, & an Parochi poſsint abſoluere ab illis, quæ nemini reſeruantur. c.19. 126
Qui poſsint abſoluere ab excommunicationibus latis ab homine, & ab excommunicatione minori. cap.20. 134
Quod in articulo mortis quilibet Sacerdos poſsit abſoluere ab omnibus excommunicationibus, & qui nam ſint in articulo mortis, & ad quid teneantur ſic abſoluti: cap.21. 137
Qui poſsint abſoluere illos, qui non poſſunt accedere ad Sedem Apoſtolicam pro abſolutione ab excommunicatione ei reſeruata, & qui nam ſint iſti. cap.22. 139
De obſeruandis in abſolutione, quę datur ob aliquod prædictorum impedimentorum. cap.23. 148
De abſolutione fraudulenter obtenta. cap.24. 150
De forma abſolutionis ab excommunicatione, & de requiſitis ad abſoluendum. cap.25. 151
De generalibus abſolutionibus à cenſuris, quas dat Papa, dum beneficia confert. cap.26. 152
Quod generalis facultas abſoluendi vigore Bullarum, & indulgentiarum conceſſa non extendatur ad hæreſim, & de abſolutis in foro conſcientiæ earum virtute. cap.27. 153
De excommunicatione, & peccato reſeruatis, per obliuionem omiſsis in confeſsione facta ei, qui poterat abſoluere, an quilibet confeſſarius poſſit poſtea ab illis abſoluere. cap.28. 155
An teneat abſolutio ab excommunicatione ſub conditione data, & an excommunicatus ad tempus, indigeat abſolutione. cap.29. 157
De excommunicationibus Papæ reſeruatis. cap.30. 158
De excommunicationibus Epiſcopis reſeruatis, uel partim Papæ, partim Epiſcopis, partim neutris. cap.31. 164
De excommunicationibus nemini reſeruatis. cap.32. 164
De quibuſdam notandis circa excommunicationem ob percuſsionem clerici. cap.33. 168
De excommunicationibus, quę paſsim feruntur contra non reſtituentes, & non reuelantem res perditas, uel eos, qui aliquod commiſerunt delictum. cap.34. 173

Libri quarti. De Suſpenſione.

QVid, & quotuplex ſit ſuſpenſio, & qui poſsint ab ea abſoluere. Cap.1. 176

De

De ſuſpenſionibus ipſo facto à iure latis. cap.2. 178

De Interdicto,& Degradatione.

QVid,& quotuplex ſit interdictum, & quæ tempore interdicti prohibeantur, & concedantur. cap.3. 179
De interdictis à iure ipſo facto poſitis, & quibus de cauſis polluitur Eccleſia,& an ſit eadem ratio interdicti,pollutionis Eccleſiæ, & ceſſationis à diuinis. cap.4. 183
Quid,& quotuplex ſit degradatio,& qui ſint eius effectus. c. 5. 185

De Irregularitate.

QVid ſit irregularitas,& quibus modis contrahatur,& ad quem pertineat diſpenſare,cum aliquibus notandis. cap.6. 186
De prima ſpecie Irregularitatis ex bigamia. cap.7. 188
De ſecunda ſpecie Irregularitatis ex defectu corporali, & de aliis, quæ ad eam reducuntur. cap. 8. 189
De tertia ſpecie Irregularitatis ex defectu animæ. cap.9. 190
De quarta ſpecie Irregularitatis,quæ eſt ob defectum perfectæ lenitatis. cap.10. 190
De quinta ſpecie Irregularitatis, quæ ex quibuſdam delictis oritur, & primo ex homicidio. cap.11. 190
Deducuntur aliqui caſus particulares. 192
De occidente, & præbente arma ob neceſſariam uitæ propriæ defenſionem. 193
De Prælato,de Accuſante,& denunciante. 194
De hortante in bello,& præbente arma ad bellandum. 195
Tria argumenta contra prædicta,cum ſolutionibus, & de Clerico in bello de licentia Papæ pugnante. De Nuncio Apoſtolico petente bannito,& de Inquiſitore inſtante,ut comburatur hæreticus. 196
De homicidio,ſeu mutilatione caſuali. 200
De huius irregularitatis diſpenſatione. 203
De ſecundo delicto,quod in Sacramento Ordinis committitur,ex quo contrahitur irregularitas. cap.12. 204
De tertio delicto violandi cenſuras celebrando ex quo contrahitur Irregularitas. cap. 13. 206
De quarto delicto,ob quod incurritur irregularitas.ſ.de iteratione Sacramentorum imprimentium caracterem. cap.14. 209
De Irregularitate, quæ oritur ex delicto notorio, & quod dicatur notorium. cap. 15. 209

INDEX CAPITVLORVM SECVNDAE PARTIS LIBRI PRIMI.

De Sacramentis in Communi.

De varia, & propria Sacramenti ſignificatione, quis poſsit Sacramenta inſtituere, & quid ſit Sacramentum. cap. 1. 214
Cum numquam Deus denegauerit ſuam gratiam, quomodo ſit proprium Sacramentorum noue legis conferre gratiã. c.2. 216
Quod Circunciſio contulerit gratiam eo modo, quo noſtra Sacramenta ex opere operato. cap.3. 218
Cum gratia creetur, quomodo Sacramenta ſint illius cauſa. cap.4. 225
De Charactere, quid ſit, & quod eius ſubiectum, & quod ſit indelebilis, & quod pro Sacramentis non imprimentibus Characterem, non ſit ponendus ornatus. cap.5. 231
Quot ſint Sacramenta, & quæ in illis omnibus neceſſario, & eſſentialiter requirantur, & quomodo inter ſe differant. cap.6. 234

De Sacramento Baptiſmi.

Quid ſit Baptiſmus, De ſupplendis exorciſmis, & de Baptiſmo in nomine Trinitatis, Genitoris, Geniti, & procedentis, uel Chriſti. cap.7. 236
De Miniſtro Baptiſmi. Qui debeant baptizari. An paruuli infidelium ſint baptizandi inuitis parentibus, & quid ſi de facto baptizentur. cap. 8. 240
De effectibus Baptiſmi. cap.9. 243
De baptiſmo flaminis, & ſanguinis, & de pueris, qui baptizari non poſſunt, & qui ſunt in uteris maternis. cap. 10. 247

De Sacramento Confirmationis.

Quid ſit Confirmatio, an balſamum ſit de eius eſſentia, & an poſsit ſimplici Sacerdoti, & non Sacerdoti illius adminiſtratio committi. cap.11. 249

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

Quid ſit extrema vnctio, quæ materia, quæ forma, quis miniſter, quibus ſit danda, & quibus in partibus vngendi ſunt infirmi, & quoties. cap.12. 253

De

De Sacramento Ordinis.

QVid, & quotuplex ſit ordo, An prima tonſura, & Epiſcopatus ſint ordines, quæ ſit Materia, & forma cuiuſq; ordinis, & quis ſit eorum miniſter, quod etiam ſit cuiuſq; Ordinis officium, & qui ſint ordinandi. cap. 13. 255

An Papa poſsit ſolo verbo ordinare, dicendo eſto Sacerdos. c. 14. 258

De Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento.

QVid ſit Euchariſtia, quæ ſit eius materia, & forma, & in quo conſiſtat differentia inter Eccleſiam latinam, & Græcam, quoad azimum, & fermentatum. cap. 15. 262

Quid contineatur poſt conſecrationem ſub illis ſpeciebus, & quomodo fiat iſta tranſubſtantiatio. cap. 16. 265

Quod ſubſtantia panis, & vini non annihiletur, & qua ratione iſta conuerſio dicatur tranſubſtantiatio. cap. 17. 268

Quod accidentia panis, & uini ſint ſine ſubiecto, & quantitas efficiatur aliorũ accidentiũ ſubiectũ quod, & non acquirat nouũ eſſe. c. 18. 270

De generationibus, quæ fiunt ex ſpeciebus panis, & vini. cap. 19. 272

Quomodo Chriſtus ſit ſub illis ſpeciebus panis, & uini, & quomodo ſub illis incipiat, & deſinat eſſe. cap. 20. 275

Libri ſecundi, de ſponſalibus.

QVæ dicantur ſponſalia, & quando ſint valida. De conditionibus illis, & Matrimonio appoſitis, & quibus de cauſis ſoluantur ſponſalia. cap. 1. 278

De Sacramento Matrimonij.

QVid ſit Matrimonium, & quæ ſint de illius eſſentia, & quod conferat gratiam, & quando. cap. 2. 281

De Impedimentis Matrimonij.

DE duplici impedimentorum genere. cap. 3. 283

De impedimentis non dirimentibus. cap. 4. 284

De impedimentis dirimentibus.

DE impedimentis. Erroris, Conditionis, Voti, Criminis, & Diſparitatis cultus. cap. 5. 285

De impedimento violentiæ, an teneat Matrimonium metu contractum. cap. 6. 288

An

An matrimonium metu contractum validetur. iuramento, & de obligatione iuramenti metu extorti. cap.7. 290
Quis metus impediat, quid ſit metus cadens in uirum conſtantem, & an tali metu poſsit Matrimonium contrahi, & conſummari. cap.8. 292
De *impedimentis* Ordinis, & *ligaminis. cap.9.* 295
De *Impedimentis publicæ honeſtatis, & impotentiæ, & an Caſtrati poſſint contrahere. cap.10.* 296
De *impedimentis cognationis ſpiritualis, & legalis. cap.11.* 299
De *impedimentis Conſanguinitatis, & Affinitatis, & an impedimentum rectæ lineæ ſit perpetuum, & de duobus generibus affinitatis ſublatis. cap.12.* 301
De *Matrimonio nullo propter aliquod impedimentum, & quomodo obtenta diſpenſatione ſit iterum contrahendum. cap. 13.* 306
Quid faciendum ſit quando ſine periculo famæ, & vitæ non poteſt peti nouus conſenſus. cap. 14. 307
Quid faciendum ſit quando Matrimonium fuit contractum cum impedimento indiſpenſabili, & ſine periculo vitæ non poſsit detegi, nec denegari debitum. c.15. 310
Quod Matrimonium conſommatum ſit indiſſolubile. De *Matrimonio ad fidem conuerſorum, & an Matrimonium non conſummatum poſſit diſſolui. cap.16.* 317
De *ſeparatione quoad thorum, & habitationem, & an coniux innocens teneatur reconciliari alteri adulteræ poſt eius vitæ emendationem, vel poſsit ea, vel eo inuito, perpetuo continenter viuere, in Religione, vel extra. cap.17.* 321

De Sacramento Pœnitentiæ.

QVid ſit Pænitentia, vt eſt uirtus, & vt eſt Sacramentum quid Contritio, quid, & quotuplex ſit Attritio, quæ ſit illa, quæ vi Sacramenti efficitur Contritio, & quomodo efficiatur. cap. 18. 323
Quod Contritio, & Dei *dilectio ſuper omnia non poſsint eſſe ſine gratia. cap.19.* 325
An præter generalem contritionem omnium peccatorum, ſit neceſſarium de ſingulis in particulari conteri. cap.20. 329
Præceptum de contritione quando obliget. cap.21. 333
Quid ſit confeſsio, & quæ peccata, & peccatorum circunſtantiæ neceſſario confiteri debeant. cap.22. 334
De *forma Sacramenti Pænitentiæ, & quomodo verificetur in contrito, & aliàs confeſſo, & plenariam indulgentiam conſequuto. c.23.* 340
Qui poſsint audire Confeſsiones poteſtate ordinaria, & delagata, An petens, & non obtinens à proprio Parocho facultatem alteri confitendi poſ-

poſſit ob id alteri confiteri. Qui poſſint eligi, & quamdiu duret iuriſdictio delegata. cap.24. 343

Quod inferiores non poſſint abſoluere à reſeruatis Superioribus, A quî poſſint Epiſcopi, & ab eis electi. Quod Regulares non poſſint abſolui à ſuis Superioribus à caſibus Bullæ Cœnæ. & quod non poſſint abſoluere à caſibus reſeruatis Epiſcopis. cap.25. 347

De *Peregrinis, quò ad caſus reſeruatos. Quid faciendum cum occurrit caſus reſeruatus, An poſſit dari abſolutio ſolum à reſeruatis, uel à non reſeruatis. Quid faciendum cum fuit abſolutus, qui non potuit, & qui ſint caſus reſeruati. cap.26.* 350

Quæ ſint conditiones legitimæ Confeſſionis, & quomodo poſſit integre confiteri, qui habet peccata, quæ ſine propria uitæ, uel animæ periculo, vel alterius infamia dici non poſſunt. cap.27. 354

De *cauſis ex parte Confeſſoris, ob quas eſt reiteranda Confeſſio, & de prima cauſa ex parte pœnitentis, an ſit reiteranda, quando conſtat fuiſſe informem. cap.28.* 358

De *confeſſionis reiteratione ex eo, quod fuit dimidiata, uel pœnitens fuit excommunicatus. An ſit reiteranda ob ommiſſam pœnitentiam, & quomodo ſit reiteranda. cap.29.* 364

Quanta debeat eſſe fidelitas Confeſſoris in ſeruando ſigillũ Confeſſionis, & quæ ſunt illa, quæ cadunt ſub ſigillo. cap. 30. 368

De *quibuſdam notandis à Confeſſariis, dum confeſſiones audiunt, & quã fugienda ſit ab eis ſuarum filiarum ſpiritualium familiaritas. cap.31.* 370

Quibus ſit deneganda abſolutio, quæ ſit illa peccandi occaſio, quam niſi pœnitens relinquat, non eſt ei danda abſolutio, quando ſit imponenda pœnitentia, & quomodo ſit dimittendus pœnitens. cap. 32. 376

Libri tertij, de Præambulis ad præcepta.

I*N quibus differant peccatum mortale, & veniale, & an ueniale poſſit fieri mortale, & è contra mortale veniale. cap.1.* 381

Quomodo cognoſcatur legem obligare ad peccatum mortale, & præcipuè ciuilem pœnalem, & an Clerici teneantur ad leges ciuiles. cap.2. 384

Quod transgreſſio legis, Voti, & Iuramenti in re minima non ſemper excuſet à mortali. cap.3. 390

De *interpretatione,* Diſpenſatione, *Commutatione, Irritatione, ignorãtia, & metu, quando, & quomodo excuſent à peccato. cap.4.* 394

De

De primo Præcepto Charitatis.

QVod præceptum de dilectione Dei ſit fundamentum præceptorum primæ tabulæ, Quando obliget, & an obliget ſtatim in principio vſus rationis, & quibus modis contra illud peccetur. cap.5. 403

De primo Præcepto Decalogi.

QVod primo Præcepto Decalogi non prohibeatur Sanctorum, Sacrarum Imaginum, ac Reliquiarum adoratio, & qua ratione adorentur. cap.6. 409
De Idololatria, De Maleficiis, & Strigibus; quod ad diabolicum ludum; & ad maleficiandum realiter portentur. cap.7. 412
De Dæmonum ſcientia, potentia, & iniquitate, ex quibus cum multis exemplis, deducuntur rationes mirabilium, quæ per ſe, & per maleficos faciunt. cap.8. 422
De peccatis contra primum præceptum, ratione Infidelitatis, Imaginum etiam Sacrarum, & Reliquiarum. cap.9. 430
De ſuperſtitionibus in cultu Diuino, quomodo cognoſcantur ſuperſtitioſæ orationes, & an Verba Sacra poſsint ad collum portari. c.10. 433
An in exorciſmis poſsint naturalia contra dæmones aſſumi, & vana nanis retundi. De peccatis, quæ exorcizantes committunt. c.11. 436
De peccatis ratione diuinationum, & librorum, & familiaritatis cum infidelibus, & an liceat in eodē balneo cū Iudæis ſe lauare. c.12. 439

De ſecundo Præcepto Decalogi.

De Iuramento.

QVid, & quotuplex ſit iuramentum, de illius conditionibus, & de peccatis, quæ iurando committuntur. cap.13. 443
De Iuramentis factis non ſecundum intentionem dantis iuramentum, & quando liceat ſecundum propriam intentionem iurare, & dicere non feci, non uidi. cap.14. 445
Quot modis iuramentum dicatur illicitum, & de obligatione iuramenti, quod vergit in deteriorem exitum: Quod eſt de re omnino indifferenti, & quod eſt illicitum ob defectum circunſtantiæ. cap.15. 448
De obligatione iuramenti coacti, doloſi, & liciti in ſuperuenientibus caſibus, Conditionati, & quando frangitur fides iuranti. De inducentibus ad iurandum, & de Iuramentis, & votis de re minima. cap.16. 450

De

De Voto.

QVid ſit Votum,& de peccatis, quæ vouendo fiunt ratione materiæ. cap.17. 445
De peccatis,quæ fiunt ex hoc,quod non adimpletur uotum,& quid de Voto metu emiſſo,& de Votis eorum,qui non ſunt ſui iuris,& an Pater poſt perfectam ætatem poſsit irritare uotum filij ante illam emiſſum. cap.18. 458
De obligatione Voti ex parte impoſsibilis, An contrahens Matrimoniũ cum uoto ſimplici,ante conſummationem teneatur ingredi religionem. cap.19. 464
De illo,qui poſt votum religionis duxit vxorem,& an votum de profitendo magis obliget,quam Votum de ingrediendo. cap. 20. 466
De obligatione Voti impoſsibilis, & de illis, qui habent votum Religionis,& non recipiuntur,vel expelluntur. cap.21. 469
De obligatione ad uota aliorum, de Votorum diſpenſatione, de Voto pœnali,& de blaſphemia. cap.22. 471

De Tertio Præcepto Decalogi, & de Præceptis Eccleſiæ.

DE ratione tertij præcepti. Quæ feſta ſint obſeruanda,& quæ in illis prohibeantur,& quomodo. cap.23. 474
De Miſſa audienda. cap.24. 479
De ieiunio ſeruando. cap.25. 480
De decimis ſoluendis. Cap.26. 486
De Præceptis Confeſsionis,& Communionis,& quod infirmus, qui mane communicauit, non poſsit eadem die per modum viatici iterum communicare. cap.27. 489

Libri quarti. de ſecundo Præcepto Charitatis, & De Peccatis capitalibus.

QVod Præceptum de dilectione proximi ſit fundamentum præceptorum ſecundæ tabulę,& de eorum ratione, & diſtinctione. cap.1. 492
De peccatis,quæ fiunt contra præceptum de dilectione proximi, & de dilectione inimicorum,de ſignis amicitiæ eis oſtendendis, & an ſit neceſſarium caſſare querelam. cap.2. 493
De operibus Miſericordiæ ſpiritualibus,& corporalibus; De auxilio ſpirituali dando peſte infectis. Eleemoſyna quando ſit de præcepto. Quando teneamur impedire proximi iniuriam,& damnum, & eius peccatum

tum mortale. cap.3. 498
Quot ſint peccata Capitalia, quid ſint Superbia, & Vanagloria, quæ earum filiæ, & quando ſint peccata mortalia. cap.4. 506
De Ornatu, & præcipue mulierum. cap.5. 509
De Accidia, Gula, & Inuidia. cap.6. 514

De Quinto Præcepto.

DE ira, & vi quinti præcepti. An extra caſus in ſacra ſcriptura contentos poſsit infligi pœna mortis, & cuius ſit illam infligere. c.7. 516
An Princeps poſsit concedere quibuſcunque priuatis facultatem occidendi malefactores, & an peccent ſic occidentes. De viro occidente vxorem adulteram, & an condemnati, vt ſeipſos occidant, poſsint id facere. cap.8. 518
An liceat aggreſſorem occidere pro defenſione uitæ, facultatum, & honoris. cap.9. 521
De peccatis contra quintum præceptum, & de pœnis, & cenſuris contra abortum, & ſterilitatem procurantes. cap.10. 526

De octauo Præcepto.

QVid, & quotuplex ſit mendacium, & quale peccatum ſit. c.11. 529
Quid ſit detractio, & quotuplex, quale peccatum ſit, & quam multipliciter detractione peccetur, De ſecreto, & de ſecreti detectione. cap.12. 531
Quid ſit fraterna correctio, De quibus ſit facienda, & quo ordine, Quando obliget eius præceptum. cap.13. 536
Quod non ſimus domini famæ noſtræ, & quod illi renunciare non poſsimus. cap.14. 538
Quod fama ſit reſtituenda, & quomodo, quibus de cauſis ab eius reſtitutione excuſemur, An poſsit remitti, Quomodo ſit ſibi ipſi in iudicio reſtituenda, & de reſtitutione bonorum animæ. cap.15. 545

De Luxuria, & de Sexto, & nono præcepto.

DE vi ſexti, & noni præcepti, de Luxuriæ filiabus, & ſpeciebus, & quibus modis peccetur mortaliter. cap.16. 550
Ad quid teneatur qui rem habuit cum virgine, vel putata virgine. cap.17. 552
De delectatione moroſa, & de delectatione conditionata ſi eſſet vxor, & vidua, et coniugis abſentis, de viſu, et tactu pulcræ mulieris, et de pollutione. cap.18. 553

De

INDEX.

De ſtatibus diuerſarum perſonarum, & proprijs earum peccatis.

DE peccatis Coniugatorum, In quibus caſibus poſsit vxor de bonis mariti facere eleemoſynam. Et quid faciendum ſit vxori, quæ ſibi partum ſuppoſuit, vel ex adulterio peperit. cap. 19. 560

De quarto præcepto, & ſtatibus, qui ad illud reducuntur, & proprijs illorum peccatis.

DE ſtatu, et peccatis parentum in ordine ad filios, de propriis filiorum bonis, et de teſtamentis. cap. 20. 566
De ſtatu, et peccatis filiorum contra parentes. cap. 21. 570
De ſtatu, et peccatis Clericorum, Curatorum, Religioſorum, Concionatorum, et Epiſcoporum. cap. 22. 572
An beneficium ſit ſemper dandum digniori. cap. 23. 578
De Coadiutoribus ab Epiſcopis petitis, et obtentis, et eorum auctoritate. cap. 24. 581
De Statibus Secularium, Principum, Iudicum, ad iudicium ſpectantium Dominorum, Doctorum, Scholaſticorum, Medicorum, et Artificum. cap. 25. 587

FINIS.

ERRATA

Errata ſic corrigito.

Primus numerus paginam, ſecundus lineam oſtendit.

13. 2. in diuerſorium, in diuerſorio. 16. 32. conſideratur, conſiderantur. 48. 7. inconueniens, in inconueniens. 56. 17. caluarie, caluaria. 65. 12. perhibent, prohibent, 97. 14. & ut non. ut non. 105. 8. caſu. vſu. 159. 40. ſublato, ſublatio. 246. 11. gratiam, gratia. 258. 17. nam niſi dicit, nam dicit. 258. 19. habetur quod, habetur niſi quod. 263. 2. virtute, virtutem. 272. 12. ſi, ſit. 311. 30. filiam, filia. 322. 25. igne, digne. 336. 19. poteſt, poſsit. 340. 13. maiorem, ad maiorem. 356. 13. tenet, tenetur. 390. 4. poſſumus, poſuimus. 405. 9. & eſt ex natura, eſt ex natura. 417. 6. reuerentia, reuerentiam. 427. 30. maleficium, maleficum. 440. 25. in interrogatione, interrogatione. 499. 13. anurem, aurem. 527. 2. cauſale, caſuale. 534. 28. deciari, denunciari. 536. titulum Cap. 13. corrige ut in indice. 541. & 542. fratrer, frater. 550. 19. illiuſue, ulliuſue. 573. 6. Subdere iudicio fori ſecularis. Nec obſtat. Subdere iudicio fori ſecularis; quod intelligitur de cauſa Eccleſiaſtica, & criminali, nam ciuilem poteſt committere, particulariter tamen, ſed non generaliter omnes. & non loquimur de Papa, ſed de Epiſcopo. Nec obſtat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

l. A

¶ Primo, illo-
& 9.& 12.& 15.
et attendi huiuſ
ad quem perti-
rtio [illegible] amdem
[illegible] & B
llæ pro[illegible]
ifra, §. 3. & [illegible]
rum communi-
rum. ¶ Vltimo,
orum occurrūt
ones.
nouatio Priui
ius conſeruat.
rbum, Antiquū
oris acquiritur: C

uilegijs, confir
vetus tollit.
rmittant Fra-
ip, ac Regulari-
s, b[illegible]. Et ffo.

s, quas Arch[illegible]
pſerint, contra
oca eorum: ſeu
onceſſis Ordini D
.conc. 509.
relatis, ne in-
Minoribus, &
e dubia conti-
& obſcuris re-
adere, b.fo.30.

rum, quod vir-
x concedenda-
s prędictorum
boad verbum E

a Pr[illegible] ſſori-
a in [illegible]
s quibuſcum[illegible]
quę incipiunt

rel a ſuis prede
alibus, quoad
viſi-